

Sclopis 1790

Auteur : Bonaventure-Noël d'Argonne O. Carth.

DE OPTIMA LEGENDORUM ECCLESIÆ PATRUM METHODO

In quatuor Partes tributa,

Ex Gallico in Latinum Sermonem translata, & nonnullis annotationibus illustrata,

INTERPRETE J. F. R.


SACRÆ THEOLOGIÆ DOCTORE,

Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt Patres tui. Proverb. C. 22. ℣. 28.

[redacted]


9 aprile 1776





AUGUSTÆ TAURINORUM. MDCCXLII.

EX TYPOGRAPHIA REGIA.
Superiorum permissu.





PRÆFATIO INTERPRETIS.



UUM saniora Theologiæ Studia ex incorruptis Scripturæ, & Traditionis fontibus petita, atque durissimo, quo dudum oppressa fuere, Pseudo-Scholasticæ imperio soluta, novum in dies incrementum accipiant, Sanctorum iccirco Patrum lectio, quos Christiana Religio veluti locupletissimos Traditionis testes veneratur, ac suspicit, iis omnibus, qui ad Ecclesiasticæ Scientiæ acquisitionem contendunt, post Divinas Literas pernecessaria est: dicente Hieronymo Epistola decima, „Post Scrip„ turas Sanctas Doctorum Hominum

„ Tractatus lege . „ Atque illud quanti ponderis sit , tum cultissimæ Nationes aliæ , tum præsertim Itala adprime novit; ut argumento sunt quamplurimæ Sanctorum Patrum Editiones , quæ undique prodeunt , novisque in dies Typis cuduntur .

Verum quia suspicari quis posset , ne juniores Theologiæ Cultores , qui exactis Studiorum curriculis ad hoc Scientiæ genus animum appellere debent , vel nimia suscepti oneris magnitudine deterreantur, vel non satis inde fructus percipiant , propterea quod aut ordo quidam , & methodus necessaria desideretur , aut præviis cognitionibus careant , quibus sublatis , nulla profectus spes esse potest ; rem iccirco non inutilem facturum me esse putavi, si Opusculum DE OPTIMA LEGENDORUM ECCLESIÆ PATRUM METHODO, *quo tum illorum lectionis necessitas ostenditur , tum planissima indicatur via ad Ecclesiasticæ Scientiæ acquisitionem*

sitionem, in illorum gratiam, quibus Sermo Gallicus parum perspectus est, in Latinum translatum, & pauculis quibusdam Annotationibus illustratum in lucem proferrem. Quam ego quidem provinciam libenter suscepi, non ob utriusque Sermonis, Gallici, & Latini peritiam, non ob Eruditionem Ecclesiasticam, quæ quidem novi quam tenuia in me sint, quam exilia, sed quia per otium, quo singulari Superum Immortalium beneficio largissime fruor, id facilius perficere posse viderer.

Quanta vero sit hujusce Operis utilitas, quin longius dicendo persequar, vel una illius lectio abunde compertum, perspectumque facere poterit. Quod si eruditissimos, æquissimosque rerum æstimatores consulere cuiquam libeat, persuasum illi profecto erit, plurimum in eo esse judicii, ejusdemque exquisitissimi; illius Auctorem, quod sibi proposuerat, accuratissime absolvisse, saniores, perfectioresque regulas

gulas adhibuisse, ac demum amplissimis juxta, ac spinosissimis studiis viam parasse. Testem appello omnium integerrimum, gravissimumque Patrem Mabillonium, qui in suo de Studiis Monasticis *Tractatu hujus Operis summarium exhibet, ejusque lectionem omnino commendat.*

Lutetiæ Parisiorum hactenus vulgatum fuit, omisso Auctoris nomine. Quo tamen legentibus fiat satis, quorum alii curiositate quadam, alii grato animo ducti, Auctorum nomina scire cupiunt, quis fuerit hujusce Tractatus Auctor paucis indicamus. NATALIS ARGONENSIS *illi nomen, Lutetiæ ortus est, Causidicum egit ad annum usque ætatis octavum, & vigesimum: Carthusianum deinde institutum amplexus ab emissa professione* BONAVENTURÆ *sibi nomen adscivit. Electus autem Carthusiæ Sancti Juliani Rhotomagensis Vicarius, hunc Tractatum edidit anno millesimo sexcentesimo octuagesimo*

gesimo octavo; vita demum functus est anno millesimo septingentesimo quarto in Carthusia Gallionensi, annos natus novem, & sexaginta.

Opusculum hoc duabus primum Partibus, secunda nimirum, & tertia constabat; anno autem millesimo sexcentesimo nonagesimo septimo dimidio auctum fuit, addita nimirum prima, & quarta Parte, atque iterato editum, opera, & studio Petri Belbestri, qui Franciscanorum Parisiensium Bibliothecæ praerat, licet nullo Religiosi Instituti vinculo adstrictus; quod Opus secundo editum, Latinitate donatum in lucem ego proferendum suscepi.

Duo præterea extant ejusdem Auctoris Opera: alterum, cui titulus, Melanges de Litterature, & d'Histoire *sub nomine* de Vigneul de Marville: *cujus postremam Editionem anni millesimi septingentesimi vigesimi quarti emendavit quibusdam in locis Abbas* Banier; *alteri vero*

titulus, l'Education, Maximes, & Reflexions de Moncade, avec un discours du sel dans les ouvrages d'esprit.

Neque vero mirum cuiquam esse debet a Monacho Carthusiano lucubrata fuisse id genus Opera, quæ alioquin non mediocrem humanarum rerum notitiam postulant: quippe arctissima familiaritate junctus fuerat cum Viris ingenio, & eruditione præstantissimis, antequam Carthusianum Institutum amplecteretur, literarum deinde culturam, ac pristinam cum Viris eruditis consuetudinem nunquam intermisit. Hinc magna Epistolarum collectio, quarum aliæ de politioribus literis Gallico, aliæ de rebus Theologicis Latino Sermone conscriptæ, in magna Carthusia religiose servantur, una cum altero ejusdem Auctoris Opere in hoc Tractatu sæpe laudato, quod Historiam Theologiæ continet tum Veterum, tum Recentiorum absolutissimam.

Multa

Multa sane commendatione digna est Carthusianorum modestia, qui, ut popularem auram fugiant, neve inanem gloriolam captent, latere omnino, quam Librorum Auctores videri malunt. At non video tamen quid causæ esse possit, cur Opus a Monacho vita jam functo, aliisque Libris jam editis celeberrimo conscriptum, Literariæ Reipublicæ subducatur, a quo cæteroquin Viri studiosi uberrimos fructus percipere possent.



MONITUM AD LECTOREM

Secundæ Editioni Parisiensi præfixum.



Ecunda hæc Editio Opusculi *de Optima legendorum Ecclesiæ Patrum Methodo*, priorem, quæ aliquot ante annos (*a*) prodiit, dimidio excedit. Neque enim satis esse duximus argumentis, atque exemplis ea firmare, quæ de rebus ad utilem adeo lectionem necessariis, ac de methodo servanda, ut bene, feliciterque succedat, dicta fuerant; verum etiam consentaneum nobis visum est de auctoritate Patrum, deque illorum usu, & fructibus, qui percipi possunt, singillatim differere.

Equi-

(*a*) Nimirum novem annis.

Equidem res tanti momenti longiori ſermone pertractanda videretur ; at quum id unum propoſitum nobis ſit, ut junioribus Clericis ad optima ſtudia contendentibus opem feramus, paucis hiſce contenti fuimus, alias plura dicturi, nimirum in Opere, in quo tum Veterum, tum Recentiorum Theologia exhibebitur (*b*).

Quem Juvenes inſtituendi amor cepit, recta ratio poſtulat, ne gravius illis onus imponat ; quippe quum perdiſcendis hoc genus artium elementis plurimus labor impendendus ſit, &, ſi longior ea ratio fuerit, & via, haud ſatis ſcio, an ſit oneri ſuccumbendum. Deinde qui erudiri cupiunt, ipſi ſibi non deſint oportet : neque vero ſibi

in

(*b*) Quod Opus in magna Carthuſia ſcrupuloſe ſervatum nunquam in lucem editum eſt.

in animum inducant, in iis, quæ traduntur, Inſtitutionibus, omnia, quæ optare poſſint, præſidia contineri. Nonnihil illorum inveſtigationi, & induſtriæ relinquendum. Equidem Methodus ad parandam aliquam Scientiam multum adfert adjumenti; at in illa una poſita non ſunt omnia. Deſcribi quidem poteſt in tabulis via, quæ Romam, quæ Conſtantinopolim ducit; at illam carpere, longique itineris labores perferre, ſolius viatoris eſt.

Aſperiores ſemitas pro viribus explanavimus, ſpinis etiam flores identidem inſperſimus, Eccleſiaſticæ Eruditioni, ut fieri potuit, profanam miſcentes, veterum Eccleſiæ Patrum exempla ſecuti, quorum non modo Sententias, atque Doctrinam, verum etiam tractandi modum in hoc Opere imitari ſtuduimus.

INDEX
CAPITUM,

Quæ in hoc Tractatu de Optima legendorum Ecclesiæ Patrum Methodo *continentur*.

PARS PRIMA.

De Auctoritate Patrum Ecclesiæ.

CAPUT I. DE Patris *nomine, quo antiqui Ecclesiæ Doctores donari consueverunt, de diversis, quibus floruere temporibus, deque varia illorum auctoritate* pag. 1.
CAPUT II. *Quid sentiant Hæretici de auctoritate Patrum Ecclesiæ.* - - - - - - - 6.
CAPUT III. *Quid sentiant Romanæ Ecclesiæ Theologi de auctoritate Patrum.* - - 12.
CAPUT IV. *Quid sentiant de auctoritate Patrum ipsimet Ecclesiæ Patres.* - - - - - 17.
CAPUT V. *Quid sentiat Vincentius Lirinensis de auctoritate Patrum.* - - - - - 23.
CAPUT VI. *Quid sentiat Ecclesia de auctoritate Patrum.* - - - - - - - - - 28.
CAPUT VII. *Ostenditur erroribus, antilogiis, aliisve mendis, quæ apud Ecclesiæ Patres nonnunquam occurrunt, auctoritatem, quam illis adserimus, illæsam manere, atque incorruptam.* 31.

CAPUT

CAPUT VIII. *Errata Patrum in Scientiis humanis nihil omnino detrahunt illorum auctoritati in rebus Fidei.* - - - - - - - 42.
CAPUT IX. *Difficiles, atque spinosæ, quæ apud Ecclesiæ Patres occurrunt, locutiones, eorum auctoritatem ne tantillum quidem lædunt* - - 49.
CAPUT X. *Etiamsi Patres Ecclesiæ nonnulla ex Scripturis Sanctis loca falso protulerint, in aliis etiam incuriose se gesserint, sarta tamen est, & integra illorum in rebus Fidei auctoritas* - - - - - - - - 55.
CAPUT XI. *Libri Ecclesiæ Patribus suppositi illorum auctoritatem nequaquam lædunt* - 64.
CAPUT XII. *Mutationes, & errata, quæ notantur in Patribus, illorum auctoritatem nullo modo minuunt* - - - - - - - 68.



PARS

PARS SECUNDA.

De rebus necessariis ad Ecclesiæ Patres utiliter legendos.

CAPUT I. *QUA mente legendi sint Ecclesiæ Patres, quæve res postulentur ad eorum intelligentiam assequendam* - - pag. 73.
CAPUT II. *De varietate Linguarum, earumque in optimis studiis usu* - - - - - - 79.
CAPUT III. *De Linguis ad perfectam Patrum intelligentiam assequendam necessariis, ac primo de Lingua Hebraica* - - - - - - 86.
CAPUT IV. *De necessitate Linguæ Græcæ ad Ecclesiæ Patrum intelligentiam* - - - 90.
CAPUT V. *De necessitate Linguæ Latinæ ad intelligendos Ecclesiæ Patres* - - - - 93.
CAPUT VI. *Quanti intersit scire Linguas, ut Patres in fonte legantur* - - - - - 101.
CAPUT VII. *De re critica, ejusque usu in lectione Patrum Ecclesiæ* - - - - - - 108.
CAPUT VIII. *Ad intelligendos Ecclesiæ Patres Gentilium Libri legendi sunt* - - - 120.
CAPUT IX. *Quid conferre possit Scholastica ad lectionem Patrum Ecclesiæ* - - - - 129.
CAPUT X. *Quam necessaria sit ad intelligendos Ecclesiæ Patres Sacræ Scripturæ lectio* - 138.
CAPUT XI. *Historiæ cognitio ad intelligentiam Patrum Ecclesiæ adprime necessaria est* 149.

CAPUT

CAPUT XII. *Digressio ad Historiam Ecclesiasticam, qua Patres Ecclesiæ spectat* - 156.
CAPUT XIII. *De subsidiis, quæ ad intelligendos Ecclesiæ Patres ex Historia profana peti possunt* - - - - - - - - - - 163.
CAPUT XIV. *Permagni interest Scriptores Ecclesiasticos prius nosse, quam illorum opera legantur* - - - - - - - - - - 170.
CAPUT XV. *Quodnam emolumentum adferre possint veterum Scriptorum Collectores intelligendis Ecclesiæ Patribus* - - - - 174.
CAPUT XVI. *De Editionibus Patrum, ac primo de Manuscriptis* - - - - - - 182.
CAPUT XVII. *Quid opus sit, ut sanum, rectumque de veteribus Manuscriptis judicium feratur* - - - - - - - - - - - 188.
CAPUT XVIII. *De recentioribus Ecclesiæ Patrum Editionibus* - - - - - - 194.



PARS

CAPITUM.

PARS TERTIA.

De ordine, ac methodo, qua Patres Ecclesiæ magno cum fructu legi possunt.

CAPUT I. DE *ordine in lectione Patrum servando* . . . . 206.

CAPUT II. *Variæ legendorum Ecclesiæ Patrum methodi proponuntur* . . . . . . 212.

CAPUT III. *Omnes Patrum Tractatus ad quatuor suprema Capita referri possunt, nempe Scripturam Sanctam, Dogmata Fidei, Christianam Morum Doctrinam, atque Disciplinam Ecclesiæ* . . . . 221.

CAPUT IV. *De lectione Patrum Ecclesiæ in Sacram Scripturam* . . . . . . 225.

CAPUT V. *De Methodo, quam tenuere Patres in Sacrarum Scripturarum interpretationi* 229.

CAPUT VI. *De iis, quæ necessaria sunt ad Ecclesiæ Patres in Sacram Scripturam cum fructu legendos* . . . . 238.

CAPUT VII. *De Patrum Ecclesiæ delectu, qui Scripturam Sacram exposuere* . . . 246.

CAPUT VIII. *De lectione Patrum Ecclesiæ, qui Dogmata Fidei exponunt* . . . 252.

CAPUT IX. *De præcipuis Patrum Operibus ad Dogmata Fidei deligendis* . . . . 259.

CAPUT

CAPUT X. *De ordine servando in lectione Patrum de Fidei Dogmatis differentium* - 266.
CAPUT XI. *De regulis Critices servandis in lectione Patrum Fidei Dogmata exponentium* 273.
CAPUT XII. *Quomodo variorum hominum moribus, & ingenio se se accommodarent Ecclesiæ Patres in pertractandis Fidei Dogmatis* 283.
CAPUT XIII. *De loquendi modis, de vocibus, atque figuris, quas Ecclesiæ Patres adhibent in exponendis Fidei Dogmatibus* - - 294.
CAPUT XIV. *De lectione Patrum Christianam Morum Doctrinam exponentium* - - - 307.
CAPUT XV. *Qua ratione comparare se debeat Lector ad perdiscendam Patrum Ecclesiæ de Moribus Doctrinam, necnon de optimo quorundam hac in re delectu* - - - - - 314.
CAPUT XVI. *De lectione Patrum Disciplinam Ecclesiæ exponentium* - - - - - 320.
CAPUT XVII. *De Methodo servanda in lectione Patrum Disciplinam Ecclesiasticam exponentium* - - - - - - - - 327.
CAPUT XVIII. *De Ritibus, quos Ecclesia ex Judæis desumsit, atque Paganis* - - 337.
CAPUT XIX. *De Consuetudinibus Ecclesiæ, quarum origo evidenter non innotuit, atque erroribus, & laxamentis Disciplinæ* - - 343.

PARS

CAPITUM.

PARS QUARTA.

De Usu Patrum Ecclesiæ.

CAPUT I. *Magna Auctorum, & Librorum copia, quos ad acquirendam Ecclesiasticam Scientiam hactenus proposuimus, Lectorem deterrere non debet* . . . 348.

CAPUT II. *De tempore in studiis insumendo, quo utilis, & constans in iis opera collocetur* 352.

CAPUT III. *Quæ adhibenda sit in Studiis accuratio, ac diligentia* . . . . . . 357.

CAPUT IV. *Ab Antiquis, ut fieri potest, Studiorum methodus est repetenda* . . . 361.

CAPUT V. *Quis usus Annotationum, & Collectionum* . . . . 370.

CAPUT VI. *Quis adhibendus sit modus in eorum usu, quæ ab Ecclesiæ Patribus colliguntur* 380.

CAPUT VII. *Novas Patrum Editiones vulgare ad eos solummodo jure quodam spectat, qui in eorundem Patrum lectione diu, multumque se se exercuerunt* . . . . 383.

CAPUT VIII. *De Commentariis, Animadversionibus, Dissertationibus, Scholiis, & Notis, quibus Viri in lectione Patrum exercitati, eorum monumenta illustrare possunt* . . . 397.

CAPUT IX. *Vocabularia colligere, quæ ad antiquorum Ecclesiæ Patrum intelligentiam conducunt, illorum est solummodo, qui in eorundem lectione Patrum diu, multumque versati fuere* 404.

CAPUT

CAPUT X. *Patrum Opera interpretari illorum est solummodo, qui in eorum lectione se dudum exercuerint* . . . . 408.

CAPUT XI. *Qui in Patrum lectione se se exercuerunt, instituendæ tum Scientiis, tum Moribus juventuti prodesse possunt* . . 414.

CAPUT XII. *Qui in Patrum lectione versati sunt, Sacras explanando Scripturas Ecclesiam juvare possunt* . . . . 420.

CAPUT XIII. *Theologiam docere ad illos jure quodam spectat, qui Patres dudum versatunt* 426.


CAPUT XIV. *Qui legendis Patribus assueverunt rerum historicarum, necnon antiquitatum Ecclesiæ studio de Christiana Religione mereri plurimum possunt* . . . . . . 431.

CAPUT XV. *Qui Ecclesiæ Patrum Doctrinam funditus norunt, Populos Sacris Concionibus præ cæteris erudire queunt* . . . . . 435.

CAPUT XVI. *Qui perspectos habent antiquos Patres, Scriptis suis Ecclesiam præ cæteris juvare possunt* . . . . 444.

CAPUT XVII. *Quibus facultas non est, vel voluntas docendi, atque scribendi, ii Sanctorum Patrum lectione ad suimet ipsorum instructionem summo cum fructu uti possunt* . . . 453.

EPILOGUS. . . . . 458.



DE

DE OPTIMA

LEGENDORUM ECCLESIÆ PATRUM METHODO.

PARS PRIMA

De auctoritate Patrum Ecclesiæ.

CAPUT I.

De Patris *nomine, quo antiqui Ecclesiæ Doctores donari consueverunt; de diversis, quibus floruere temporibus, deque varia illorum auctoritate.*



Ravissimum, Sanctissimumque *Patris* nomen, quo Veteres Patriarchæ appellabantur, utpote qui Patres-familias haberentur, atque Doctores, ex veteri Testamento in novum translatum est. Insigni hoc titulo eos celebravit Ecclesia, qui primis duodecim sæculis floruerunt, sive ab Apostolorum temporibus ad Divum usque Bernardum, qui *novissimus inter Patres* vocatur, non eam quidem ob causam, quod defe- *Nicol. Faber. Opusc.*

cerint post ejus ætatem Doctores, sed quod una cum scholastica disputandi methodo, tunc recens invecta novi etiam tituli a Doctoribus fuerint usurpati.

Novatores, quorum interest plurimum vitam, & imperium, ut ita dicam, Sanctorum Patrum coarctare, vix paulo post sextum Ecclesiæ sæculum illius fines producunt. Etsi enim sequioribus ætatibus in Christi grege præstantissimos fuisse Viros fateri cogantur, illos tamen tanquam sophistas, atque serviles Romanæ Curiæ Patronos, tanto honore prorsus indignos, ex Albo Patrum expungunt. Verum qui vel oculos injiciat in libros *de Consideratione* a Divo Bernardo scriptos ad Eugenium Papam, eosque cum Divi Augustini monumentis conferat, intelliget profecto luculentissime, doctrinam Ecclesiæ duodecimo sæculo & summa libertate defensam, & omnibus præjudiciis immunem fuisse. Sed de his alias fortasse opportunius.

Interim vero universum illud Ecclesiæ Patrum imperium in tres ætates tribuendum est, quarum prima continet eos, qui tribus primis, altera, qui totidem proxime consequentibus sæculis, postrema, qui floruerunt ad tertium usque supra decimum sæculum, quo Scholastici in Scholis dominari cœperunt (1). Primæ ætatis Patribus pluri-

(1) In Ecclesia quidem Occidentali sæculo dumtaxat decimo tertio usurpari cœpta est methodus scholastica: in Ecclesia autem Orientali illius usus obtinuit a sæculo 8., quo florebat S. Johannes Damascenus.

plurimum reverentiæ debetur, eam præcipue ob causam, quod Apostolorum tempora proxime attigerint, sive ad priscæ Theologiæ fontes, ac veterum Traditionum originem propius accedant.

Neque vero minus colendi Doctores alterius ætatis, qui Fidei dogmata erudite simul, ac eloquenter exponunt, tuenturque. Quum enim id unum doceant, quod tradidere Majores, etsi antiquitate distent a priscis Doctoribus, auctoritate tamen haudquaquam differunt.

Posteriores vero, quanquam nec vetustate cum primis, nec eruditione, ac eloquentia cum aliis comparandi sint, quum tamen ea dumtaxat colligant, quæ ab Antiquis sparsa, & sata fuere, eundem ac illi jure quodam hæreditario percipere fructum putantur.

Neque leviter sane affirmandum, invectam semel corruptelam temporis decursu in immensum crevisse. Nullo enim non tempore viguere Traditiones, quæ sanioris doctrinæ firmissimæ bases sunt, atque fundamenta, immo vero ab his erroribus, in quos humana plerumque conditio nos ducit, facilius caverunt postremi Patres, quam prisci, qui & paucioribus subsidiis instructi erant, & sibi persuadere non poterant, in pravum aliquando sensum esse detorquenda, quæ ipsi bona fide, & absque diligentiori cura proferrent.

Enim vero nullibi apud Patres posteriores reperire est mendosos, vel duriores loquendi modos, qui apud Veteres passim occurrunt, &

in omnium oculos insiliunt. Omnis enim illorum cura, & studium in eo versabatur, ut puram, illibatamque fidem servarent in præcipuis fidei capitibus, parumve solliciti erant de tam accurato illam exponendi modo, ut ab ullo reprehendi non possent. Quamobrem errata, quorum redargui solent, parum attentæ potius, quam depravatæ illorum menti sunt attribuenda.

Deinde agitur hoc loco de sana, puraque Sanctorum Patrum doctrina, non autem corrupta, & falsa, quam instar zizaniorum in medio tritici ita segregat Ecclesia, ut hodiernis temporibus non distingui fere non possint reprehendendæ Veterum opiniones ab iis, quæ vel nullius prope momenti esse creduntur, vel tanquam catholicæ excipiuntur.

Itaque qui Patrum auctoritatem ex universali Ecclesiæ fide metitur, ita animo comparatus esse debet, ut perinde velit eos Ecclesiæ consentientes sequi, ac ab Ecclesia dissidentes deserere.

Equidem nonnihil tempori concedendum est: quamvis enim una semper fuerit, eademque Ecclesiæ doctrina, illustrandæ tamen veritati alia tempora aliis aptiora sunt, atque accommodatiora. Recurrendum quandoque ad pristina sæcula, nonnunquam ad media, vel etiam ultima. Omnium vero tutissima via est, ad illam, ut fieri potest, ætatem accedere, qua pertractatæ quæstiones, & dubia explanata fuere. Ita qui de ineffabili Trinitatis Myste-

rio

rio certior fieri velit, eos potius adibit Patres, qui post Arium, quam qui ante scripsere: quippe vetustissimis illis temporibus Ecclesiæ Doctores, omni semota disputatione, illius Mysterii fide dociles, submissos, ac in rebus fidei dubitare nescios auditores instituebant.

Quæ quum ita sint, nemo non videt, quam accurato judicio opus sit in deligendis Patribus, in tribuenda quibusdam majori præ aliis auctoritate, quum occasio id postulat, in cavenda denique fucata veri specie, qua decipiuntur ut plurimum, qui diligentiorem in eorum delectu criticen non adhibent.

Quanti vero illud intersit, operis decursu liquido constabit, in quo Patres prodibunt modo, ut locupletissimi, certissimique Traditionis testes; tum ut Doctores, qui suum de rebus dubiis judicium proferunt; modo ut oratores, qui nihil certo definiunt; tum vero ut Philosophi, qui in rebus ad fidem non pertinentibus proprias philosophicas opiniones sequuntur.



CAPUT II.

Quid sentiant Hæretici de auctoritate Patrum Ecclesiæ.

QUum primum Hæretici animo sibi proposuissent priscam, ac veram Ecclesiæ doctrinam funditus evertere, delerenda iccirco illis erat Sanctorum Patrum auctoritas, quæ mirandi hujusce ædificii columen est, ac firmamentum. Hoc tamen in capite ut essent acri, ac turbulento ingenio, sibi nunquam constiterunt, sed varios humanarum rerum motus, mutationesque pro temporum, & locorum diversitate, (quæ maxima profecto est) considerantes, illorum auctoritatem nunc acceperunt, nunc exploserunt, prout vel nobis adversari, vel illis favere videbatur.

Ariani Patrum primæ ætatis patrocinio gloriabantur, quos ex levissimo verborum cortice sibi consentientes judicabant. Pelagiani Græcis Patribus nitebantur, qui nulla moti occasione altius arcana gratiæ scrutandi, multa concedere visi sunt naturæ viribus, quibus Pelagii sectatores cuncta referebant accepta. Severiani Eutychianorum soboles Dionysium Areopagitam proferebant, tanquam eorum deliriis faventem, quam ob causam de Dionysii fide dubitatum aliquandiu est apud Catholicos.

Eandem inierunt viam recentiores Sectarii: verum quantolibet impetu auctoritatem Patrum im-

imminuere conentur, illa tamen vel ad sui defensionem, vel ad catholicam fidem sustollendam utuntur sæpissime. Nihil extat omnino apud veteres illos Theologiæ Magistros, quod cum novatorum figmentis non pugnet; incredibile tamen, quot modis illorum verba distorqueant, ut ad eam tandem rationem illos componant, qua suam doctrinam firment, nostramque fidem evertant. Exemplo sunt manifestissimo, quæ ad ravim usque opponunt, ex Sancto Epiphanio argumenta, quamvis omnium Sanctorum Patrum in firmanda gestis, & exemplis Catholicorum doctrina contra novatorum deliramenta facile princeps haberi possit.

Diu, multumque hæsit Lutherus, anteaquam Ecclesiæ Patrum auctoritatem exploderet, ac primis defectionis suæ temporibus horrendum æque, ac periculosum esse affirmabat aliquid æquis auribus accipere, quod universali Majorum doctrinæ adversaretur.

Calvinus vero, quum nullo usus esset Magistro, quidquid theologicis in Scientiis profecerat, illud Ecclesiæ Patribus acceptum referebat, suamque novam doctrinam ex Augustino hausisse prædicabat, qua in re turpiter eum aberrasse demonstrat eximie doctissimus Pater *Front* in libro Antithefeon Augustini, & Calvini. Sicubi vero Calvinus Græcos Patres repellit, ea solum mente id facit, ut iis sufficiat Latinos, a quibus meliora subsidia per-

Aug., & Calv. Antith.

perperam expectat ad turbulentissimam suam doctrinam stabiliendam.

Quemadmodum vero in defendendis, ita in repellendis Patribus non veritatis studio, sed solo suarum novitatum amore ducuntur, argumenta undequaque congerentes, miscentesque, ut hac in re, quæ alioquin plurimi momenti est, perturbationem, confusionemque maximam adferant.

Non omnes tamen pari animi æstu feruntur. Nonnulli remisse, ac moderate se gerunt: alii vero improba quadam temeritate, ac intolerabili violentia Sanctos Patres hæreseon patronos, fideique desertores traducere non erubescunt. Testem habemus præ cæteris Ministrum *Dumoulin*, qui Divum Cyprianum Doctorem adprime spectabilem Anabaptistis impudentissime adnumerat, cujus acerrimæ calumniæ reprehensionem meruit vel ab ipsis Sectæ suæ defensoribus.

Apol. pro Cæn. Dom. Colom. Clau. Epist. Casaul.

Nonnulli indignanter addunt, Patres fuisse homines sine literis, & ingenio, præcipites, inconsideratosque, atque adeo indignos, qui sanæ mentis judicio cum quolibet profano scriptore comparentur; in divinarum Scripturarum expositione eos nihil consecutos effutiunt, ac longe postponendos inclytis *Protestantibus*, qui eas nostris temporibus explanarunt.

Quo in genere non inficiamur, profecto quosdam ex Novatoribus multum profecisse. Veteres etiam Hæretici pari cum laude scripse-

rant,

rant, adeout trium, quatuorve sæculorum spatio illorum emendationibus uti non dubitarit Ecclesia (2). Verum cuinam debent eruditionem, quam efferunt tantopere Novatores? nonne Sanctis Ecclesiæ Patribus, quorum lucubrationes novis inventis forte fortuna ampliori-bus locum dedere? quibus tamen jure, ac merito gloriari nemo potest, quin priscos illorum fontes agnoscat, ac veneretur. Revera si penitius expendantur, quæ Grotius, aliique recentiores Hæretici scripsere, compertum plane fiet, nihil ab eis novi inventum, sed in meliori solum lumine collocata, quæ ex antiquis Catholicorum libris hauserunt. *Sim. Rep. à quelqu. Theol. de Holl.*

Quidam ex recentioribus Scriptoribus decem fortasse Veteres eruditionis suæ amplitudine exæquabit; verum decies majora præ Veteribus habuit commoda, & emolumenta. Itaque quum recentiores scripturarum Explanatores antiquis præstare videntur, iis anteponendi non sunt, eadem fere ratione, qua nefas esset præponere majoribus posteros, qui longa annorum, & parentum serie illorum divitiis fruuntur. *Fonten. disc. sur les anc., & les moder.*

Hac in re Novatores parumper temperare potuissent & animo, & verbis. Dallæus, qui tam vehementer Ecclesiæ Patres insectatus est, vel ab ipsis Sectariis doctioribus, atque prudentioribus objurgari meruit. Et sane quan-

quam

(2) Hæ nimirum sunt versiones Aquilæ, Symmachi, & Theodotionis; Vide notam 24.

quam Calvinistæ, Galli, ac Presbyteriani librum Dallæi plurimi faciant; Anglicani tamen, vulgo Episcopales, minus rigidi, & paulo æquiores parvi omnino pendunt. Istum Dallæi fœtum minimum inter ejus opera locum tenere censent, atque hoc unum in animo habuisse inquiunt Dallæum, ut Patrum dignitatem, & veteris Ecclesiæ splendorem obscuraret.

Colom. Bibliot.

Johannes *Fell* Oxoniensis Episcopus in præfatione Egregiæ, quam vulgavit, Sancti Cypriani editionis profitetur, se non modo ab eorum consilio abhorrere, qui Patrum verenda nudare student, verum etiam niti velle, ut filium reverentem decet, quæ illis exciderunt, menda æterno silentio premere; dignissimum sane, piissimumque consilium, quod ab egregio viro Vincentio Lirinensi desumsit.

Apolog. Patr.

Neque vero Minori studio fertur doctissimus Ecclesiæ Anglicanæ Theologus Scrivenerus in defensione Patrum, quam suscepit in apologia contra Dallæum. In ea Sanctos Patres omnium aptissimos esse docet judices ad finiendas controversias, quod præjudiciis vacui fuerint, quibus hodierna ætate cuncta refertissima sunt, quodque optimo animo, & charitate non ficta scripserint, neque de omnibus differere, ut nostris temporibus fit, libere adgressi sint, sed multo perfectiori intelligentia Sacros Codices, variosque Scripturarum sensus ampliori cognitione assecuti fuerint.

Jacobus

Jacobus Usserius Armachanus in Hibernia Archiepiscopus celeberrimus æquo animo eos ferre non potest, qui Ecclesiæ Patribus succensere audent. Grotius, Arminianæ Sectæ defensor Sanctos Patres magno semper in honore habuit. Andreas etiam Rivetus, quum rigidioribus Calvinistis sese adjunxerit, in eos invehitur, qui priscos Doctores gravissimis injuriis afficiunt, quorum beneficio, ingratis eorum industria, & labore otiose utentibus via explanata fuit.

Hic tamen Minister iis solum Patribus auctoritatem inesse fatetur, quos cum Scripturis Sacris consentire manifestum est: „ Scripturæ, „ (inquit) credimus propter se, Patribus au„ tem propter consensum cum illa: sunt enim „ (subdit) testes veritatis, eamque digito „ monstrant: Scripturæ vero & Patrum, & „ nostrum omnium judices„ Quam Riveti doctrinam temporis successu pro certissimo dogmate tenuere Novatores.



CAPUT

CAPUT III.

Quid sentiant Romanæ Ecclesiæ Theologi de auctoritate Patrum.

ROmanæ Ecclesiæ Theologi, qui de auctoritate Patrum scripserunt, in varias abiere sententias. Sunt enim inprimis nonnulli, qui eam cum auctoritate Prophetarum, divinorumque Scriptorum comparandam existimarint; aliqui vero ita eam coarctarunt, ut quæ illis jure convenit, nulla fere sit reliqua; alii demum mediæ viæ insistentes, auctoritatem, quæ illis debetur, vindicarunt, quam vero nunquam iis tribuit Ecclesia, abjudicandam omnino censuerunt.

Primæ opinionis auctor vulgo creditur Abbas Fridegisus ineunte sæculo 9. In eandem sententiam concessit Interpres decreti, atque Sancti Augustini testimoniis omnino contrariis reponit, illius sententiam plurimi faciundam fuisse, quo tempore scripta Patrum non habebantur authentica; postea vero, quam illa certæ fidei agnovit Ecclesia, ad unum usque jota fidem iis adhibendam.

Advers. Hæres. l. 1. C. 7. Ejusmodi opinamentum irridet Alphonsus Castrensis. Illud pari modo explodit Melchior *Loc. Theol.* Canus post Agobardum olim Lugdunensem Episcopum, qui Fridegisum maximæ ignorationis insimulat, & risu excipiendum traducit, propterea quod Scripturarum, nescio quos, Interpretes

terpretes Prophetis, divinisque Scriptoribus, Symmacum S. Paulo, & Didymum S. Joanni Evangelistæ æquare non erubuerit.

Excusari fortasse possent Fridegisus, & Interpres, quod adeo certam auctoritatem non omnibus indiscriminatim Ecclesiæ Patribus tribuant, sed nonnullis solummodo, iisque præstantissimis, nec quacunque de re disputantibus, sed de præcipuis dumtaxat fidei capitibus, de quibus tam apte, tamque accommodate scripserunt, ut dignos existimarit Ecclesia, quorum sensa optaret, ac ipsamet verba in sanciendis Canonibus adhiberet.

Hac ratione Concilii Francofordiensis Patres dicere non dubitarunt, Ecclesiæ Doctores divinitus nobis datos fuisse, ut iis Institutoribus & Fidei Mysteria edoceremur, & ad æternam salutem recta duci possemus. Eodem modo Balsamon in Codice, quem Synodus Trullana probavit, pari cultu prosequenda affirmat & Patrum dogmata, & Conciliorum Oecumenicorum decreta. *Epist. Synod.*

Secundam vero sententiam de auctoritate Patrum tuetur Cardinalis Cajetanus, cujus hæc opinio est, in Sanctarum Scripturarum interpretatione, nullo virorum habito delectu, iis modo inhærendum esse, qui illarum sensum exponere, ac literam aptius explanare valent.
„ Etsi quandoque occurrerit novus sensus Tex- *Præf. in Pentateuc.*
„ tui consonus, nec a Sacra Scriptura, neq
„ ab Ecclesiæ doctrina dissonus, quamvis a
„ torrente Doctorum alienus, æquos se præ-

beant

" beant Censores. Meminerint jus suum uni-
" cuique tribuere: solis Sacræ Scripturæ Au-
" ctoribus reservata est auctoritas hæc, ut ideo
" credamus sic esse, quia ipsi ita scripserunt,
" *Illos autem* (inquit Augustinus) *ita lego*,
" *ut quantalibet sanctitate, doctrinaque præ-*
" *polleant, non ideo credam sic esse, quia*
" *ipsi ita scripserunt*. Nullus itaque detestetur
" novum Sacræ Scripturæ sensum, ex hoc,
" quod dissonat a priscis Doctoribus. Sed
" scrutetur perspicacius Textum, ac Contex-
" tum Scripturæ, & si quadrare invenerit,
" laudet Deum: qui non alligavit expositio-
" nem Scripturarum Sacrarum priscorum Do-
" ctorum sensibus, sed Scripturæ ipsæ inte-
" græ sub Catholicæ Ecclesiæ censura. Alio-
" quin spes nobis, ac posteris tolleretur ex-
" ponendi Scripturam sacram, nisi transferen-
" do (ut ajunt) de libro in quinternum.

Certe quidem Patrum dicta non ita scru-
pulose accipienda sunt, ut iis quidquam pro-
prio marte inventum adjicere nefas esse cre-
datur. Verum in dogmatis Fidei, quæ Sancti
Patres cum universa Veterum traditione ex-
ponunt, ab illorum sensu deflectere religio est;
alioquin semel constituta veritas deficeret, at-
que ad fidem non pertineret, quod eam spe-
ctare aliquando creditum est.

Quis enim neget, & hodie a Deo Optimo
Maximo ad illustrandam veritatem hactenus
nonnihil subobscuram hominum ingenia exci-
tari posse? Quid ergo vetat, ne recentes pro-
deant

deant Scripturarum interpretationes, modo ratum sit integram haberi, constantem, & unanimem Patrum traditionem? Quid ni eorum sensa firmari, clarius elucidari, ac fusius explicari queant? eccur iis ducibus multa aperire non liceat? atque si uni, eidemque Patri duobus, vel tribus modis eumdem Scripturæ locum exponere tuto licuit, quid causæ esse potest, cur illud recentiori non liceat interpreti, dum sarta, tectaque servetur fides, & religio?

Veritas secum ipsa non pugnat: neque si recentiori placuerit Interpreti, nomine panis quotidiani, de quo sermo est in Evangelio, cibum corporeum intelligere, quem a Deo quotidie petimus; atque hæc expositio Antiquis ignota fuisset, iccirco dissentire a Divo Hieronymo censendus esset, qui de cibo spiritali explicuit. Optime enim hæc duo secum invicem cohærent, atque cum universa fide nullo modo pugnant. Deinde in rebus dubiis, vel levioris momenti, salva, quæ debetur Ecclesiæ Patribus, reverentia, facultatem habet quisque propriam, licet ab iis diversam, opinionem proferendi; in constantissimis vero traditionibus, vel in dogmatis fidei illis concedere oportet, fascesque submittere.

Atque istud est, quod fatetur Cajetanus, quum a recentiori Interprete postulat, ut Ecclesiæ judicio, ac definitionibus sese submittat. Quæ res, si rite, &, ut par est, expendatur, eo recidit, nempe in rebus fidei discedendum

dendum non esse ab unanimi Patrum consensu, illorum videlicet, qui non singularia placita ex interpretatione Scripturarum, sed Scripturæ sensum ex universa Ecclesiæ fide hauserunt: ut enim optime ait doctissimus quidam Theologus „ Ecclesia columna est veritatis, quia „ custos non modo veterum traditionum, verum etiam sanioris Scripturarum expositionis. „ Atque quum veteres Patres docent, ad Ecclesiam pertinere Scripturas, de illarum sensu perinde, ac de sacris Libris verba faciunt. „ Quamobrem Scripturarum auctoritate utentes ad stabilienda fidei dogmata non uni dumtaxat verborum cortici hærent, verum „ etiam sensum intimius pervadunt; eumque „ ex communi Ecclesiarum fide definiunt, „ quarum fundamenta jecerunt Apostoli.

Sim. rep. a quelqu. Theol. de Holl.

Tandem, qui mediam tenent viam de auctoritate Patrum, ajunt, nonnunquam illorum sententias pro conjecturis habendas, adeoque ad probabiles solummodo referri posse, quas cuique pro libito probare, vel rejicere fas sit; ubi vero quidquam ad fidem pertinere unanimi consentione definiant, illis æque firmiter assentiendum esse, ac cuilibet Spiritus Sancti oraculo; neque enim in unam, eandemque sententiam, nisi Spiritu Sancto auctore, convenire uno animo possunt, qua in re tota veterum Doctorum auctoritas collocanda est.

Enim vero bifariam Sancti Patres spectari possunt, vel tanquam Doctores, qui proprias singulares sententias proferunt, vel tanquam locu-

locupletissimi, & integerrimi veterum Traditionum testes. Utcunque vero considerentur, illud alta mente tenendum, quod ait doctissimus *Holden* „ servanda in necessariis unitas, „ in dubiis libertas, in omnibus charitas.

CAPUT IV.

Quid sentiant de auctoritate Patrum ipsimet Ecclesiæ Patres.

DIvus Augustinus sexcentis in locis ita legendos esse tradit Scriptores Ecclesiasticos, ut quantacunque polleant sanctitate, & doctrina, indubitata fides iis non adhibeatur, nisi rectæ rationi, divinisque Scripturis consentire certum sit, ac manifestum; adeo ut, iis sublatis, illorum sententiæ nullo fundamento subnixæ improbari, immo etiam repudiari possint. Epist. 9., 41. edit. ant.

Addit idem Ecclesiæ Doctor, non ita legendos Sanctos Patres, sicut Prophetæ, & Apostoli, de quorum doctrina vel dubitare nefas est: nulla etiam lege constitutum fuisse, ut omnia Patrum dicta certo credantur, immo jus cuique esse pro facultate sua liberrimum de illis ferendi judicium.

„ Ego proinde fateor, (inquit amico suo Marcellino Doctor ille, tum scientia, tum „ humilitate clarissimus) me ex eorum nu„ mero esse conari, qui proficiendo scribunt,

„ & ſcribendo proficiunt ; unde ſi aliquid vel
„ incautius, vel indoctius a me poſitum eſt,
„ quod non ſolum ab aliis, qui videre id
„ poſſunt, merito reprehendatur, verum etiam
„ a me ipſo (quia & ego ſaltem poſtea vi-
„ dere debeo, ſi proficio) nec mirandum eſt,
„ nec dolendum, ſed potius ignoſcendum,
„ atque gratulandum, non quia erratum eſt,
„ ſed quia improbatum..... Vos autem, qui
„ me multum diligitis, ſi talem aſſeritis ad-
„ verſus eos, quorum malitia, vel imperitia,
„ vel intelligentia reprehendor, ut me nuſ-
„ quam ſcriptorum meorum erraſſe dicatis,
„ fruſtra laboratis, non bonam cauſam ſuſce-
„ piſtis, facile in ea me ipſo judice ſupera-
„ mini....Romani maximus Auctor Tullius
„ eloquii, *nullum unquam verbum*, inquit de
„ quodam, *quod revocare vellet*, *emiſit*. Quæ qui-
„ dem laus, quamvis præclariſſima videatur,
„ tamen credibilior eſt de nimium fatuo,
„ quam de ſapiente perfecto..... Sed ſi in
„ bonam partem accipiatur, ut quempiam
„ talem fuiſſe credamus, qui cum ſapienter
„ omnia loqueretur, nullum unquam verbum,
„ quod revocare vellet, emiſit: hoc potius
„ de hominibus Dei, qui Spiritu Sancto acti
„ locuti ſunt, quam de illo, quem ſic Cicero
„ laudat, ſaluberrima pietate credendum eſt.
„ Ab hac ego excellentia tam longe abſum,
„ ut ſi nullum verbum, quod revocare vellem,
„ protulero, fatuo ſim, quam ſapienti ſimi-
„ lior. Illius quippe ſcripta ſumma ſunt au-
ctoritate

„ ctoritate dignissima, qui nullum verbum,
„ non quod revocare vellet, sed quod revo-
„ care deberet, emisit. Hoc quisquis nondum
„ est assecutus, secundas habet partes modestiæ,
„ quia primas non potuit habere sapientiæ;
„ quia non valuit omnia non pœnitenda dili-
„ genter dixisse: pœniteat, quæ cognovit, di-
„ cenda non fuisse.

Gregorius etiam Magnus existimat, Sanctos Ecclesiæ Patres, quamvis in exponendis Scripturis fusiori calamo scripserint, quam sacrorum Librorum Auctores, cum iis tamen comparandos non esse, e quibus, velut ex primis fontibus, universa istorum scientia manavit; aitque, illos falsa omnino laude celebrari, quum ea virtute, auctoritateque donantur, qua præditi nunquam fuerunt. *Moral. l. 14.*

Ecce, inquit Augustinus, oculos vestros, & sensus istos corporis levatis ad nos, nec ad nos, non enim nos de illis montibus; sed ad ipsum Evangelium, ad ipsos Evangelistas, quorum nomine verba facimus, oculos convertere debetis: ii quippe montes sunt, e quibus cœlestia Beneficia, ac divina charismata fluunt uberrime. *In Joh. tract. 1.*

Divus Hieronymus, qui suam cum Prophetarum auctoritate æquandam non esse censebat, de felici susceptæ Bibliorum interpretationis exitu dubitabat magnopere. Fatetur, Patres nonnunquam errasse, atque bene multa ab antiquis Doctoribus imprudenter prolata, e quibus

successu

successu temporis improbi homines cudendis calumniis occasionem arripuere.

Epistola vero 151. æquissimo, quo pollebat censoris judicio, carpit, suggillatque paullo vitiosas loquendi formulas, quæ Patribus Ecclesiæ nonnunquam exciderunt. Omnia, inquit ille, expendere in Scriptorum Ecclesiasticorum historia sibi propositum, adeo ut, quæ bona sunt, & laude digna, defendat, cætera vero relinquat, nec, nisi secundum Fidei Catholicæ regulas, & documenta ferat sententiam.

Hom. 2. in Exec. Catech. 4. Neque vero Origenes, Cyrillus Hierosolymitanus, Ambrosius, aliique demum Græci, *Epist. 7. l. 7.* Latinique Patres plus æquo sibi vindicant auctoritatis; verborum enim, quibus utuntur, genus, ac moderatio, si expendantur paullisper, perspicue ostendunt, ea, quæ conjectando dicebant, nunquam haberi voluisse pro immutabili sententia, sed hac solum mente protulisse, ut publici juris facerent animadversiones, & sensa, quibus redundabant.

Quanquam vero tam moderate sentiant, quum de unius, aut alterius singulari opinione agitur; attamen quum de unanimi, concordique omnium, vel fere omnium sententia in fidei dogmatis loquuntur, nullum errori locum esse pronunciant, atque unanimem illam consentionem certissimam regulam affirmant, quæ sine totius religionis jactura violari non *L. 1. in Jul.* possit. Quamobrem inquit Divus Augustinus eum, qui ab unanimi Patrum consentione discedit, ab universa etiam Ecclesia recedere.

Ut

Ut autem refellat Julianum Episcopum, utitur tanquam invicto argumento, sententia SS. Patrum de auxilio gratiæ, cujus vim omnem a natura repetebat Julianus. Quandoque Patres, inquit, absque ullo Fidei detrimento, a se invicem dissentiunt, nec inficiari quisquam audeat, nonnullos præ aliis rectiorem, solidioremque ratiocinationem instituere, atque celerius ad propositum finem pervenire. Verum quid hæc ad præsens institutum? agitur enim de fundamentis Fidei, in qua Sanctorum Patrum auctoritas gravissimum pondus est, quod vos omnino opprimit, atque novitates, levissimasque ratiunculas, quas nobis obtruditis, in pulverem redigit, quum nihil uspiam docuerint, quod non invenerint in Jesu Christi Ecclesia creditum.

In rebus Fidei non propria quisque placita, sed Sanctorum Patrum Traditionem, & sensa consulere debet, inquit D. Clemens Papa. *Epist.4* Veterum auctoritatem omni studio tueri nititur S. Irenæus; ac D. Epiphanius ad universalem Ecclesiæ Doctorum consensionem in exponendis Scripturis provocat Sectarios. *Hær.61.*

A recto veritatis tramite aberrat, ait D. Clemens Alexandrinus, qui Scripturas Sacras ex Sanctorum Patrum Traditione non explicat.
„ Servemus (ajebat ad Gratianum Imperatorem
„ Ambrosius) præcepta majorum, nec hæredi-
„ taria signacula ausi rudis temeritate violemus,
„ sive servemus sanioris doctrinæ dogmata, tot
„ Confessorum prædicatione firmata, tot, qui

nos præcessere, Sanctorum Martyrum sanguine signata, atque sacrata.

In Dan. 12. Quisquis (ait Hieronymus) ab unanimi Patrum consensione recedit, ad semetipsum periculosissime accedit, ea præcipue ratione, quod & Doctorum Ecclesiæ scientia careat, & lumine gratiæ, quo Deus Optimus humilium animos illustrare solet, sit destitutus. Divus Basilius, & Gregorius Nazianzenus in Sacrarum Scripturarum explanatione non sibi, sed uni Veterum auctoritati, atque sententiæ confidisse testantur.

Charisius Presbyter Philadelphiensis Ecclesiæ administrator in libello, quem contra Nestorium obtulit, Patribus Synodi Ephesinæ declarat, probum, honestumque Virum ita animo comparatum esse debere, ut dignam Patribus reverentiam, & fidem, quoties se prodit occasio, testatam facere cupiat.

D. Cyrillus in suo ad idem Concilium Apologetico pro duodecim Capitulis contra Episcopos Orientales ait, a quocumque sanæ mentis Viro Patrum sententias omni studio sequendas esse, propterea quod sapientissimi illi Pastores, quum dogmata Fidei ex Scripturæ Sanctæ oraculis, & ex Apostolica Traditione finierint, velut Orbis lumina habendi sunt, ac veluti naves excipiendi, quæ per universum terrarum orbem Verbum vitæ æternæ adferunt, diffunduntque. Et sane, ut ait Lan-
„ francus, hæ Scripturæ, tametsi illam excel-
„ lentissimam auctoritatis arcem non obtinent,

qua

„ qua donatæ sunt, quas Propheticas, sive „ Apostolicas nuncupamus, hoc tamen probare „ sufficiunt, quod hanc fidem, quam nunc „ habemus, omnes Fideles, qui nos præcesse„ runt, a priscis temporibus habuerunt.

CAPUT V.

Quid sentiat Vincentius Lirinensis de auctoritate Patrum.

VIncentius Lirinensis, celeberrimus quinti sæculi Scriptor, quum ab Antiquis collegerit, quid de auctoritate Patrum Ecclesiæ sentiendum sit, fundamenti loco ponit, absque dubitatione credenda, quæ Patres constanti, atque unanimi consensu perspicue docuerunt. „ Quidquid (ait) non unus, aut duo tantum, „ sed omnes pariter uno, eodemque consensu „ aperte, frequenter, perseveranter tenuisse, „ scripsisse, docuisse cognoverit, id sibi quo„ que intelligat absque ulla dubitatione cre„ dendum.

Novatores, quibus hæc Vincentii doctrina non arridet, ut ab ejus Consectariis sese expendiant, ajunt inprimis, illius doctrinæ subsidio non omnes, sed aliquas duntaxat hæreses expugnari posse, eas nimirum, quarum auctores recenter nati, satis otii, & temporis non habuere, ut vetera, quicum pugnant, monumenta adulterarent. Quid enim juvat, inquiunt,

Traditionem proferre contra hæreticam opinionem, quæ altius jam in animis hominum insederit, & ultimam obtendat antiquitatem.

Verum etiamsi hocce præsidio felicius nascentes, quam adultæ, vel senescentes hæreses refellantur, illud tamen certo affirmandum, nullum esse Hæreticorum inventum, quod ejus ope funditus non evertatur. In hoc autem negotio cavendum adprime, ut opportune, atque cum iis solum adhibeatur, qui tanti principii vim omnem, & robur intelligant.

Ita plerumque duro sunt, ac pervicaci ingenio Hæretici, ut nullius Scriptoris auctoritate ad meliorem frugem adduci possint. Quamobrem, qui cum illis disputat, satius habuerit soli Ecclesiæ definitioni inhærere, quam sine ulla profectus spe acriorem cum illis pugnam instituere. Ubi vero spes aliqua emendationis affulgeat, non alia validius ratione urgeri possunt, quam proposita Vincentii regula; eam quippe veluti machinam commolitus est Lirinensis ad evertendas hæreses sua ætate nascentes, quæ contra quamlibet deinceps prodituram felicissimo successu adhiberi potest. Etenim quum Patrum traditio medium quodammodo locum teneat Sacras inter Scripturas, in quarum interpretatione versantur difficultates, & turbulenta hominum ingenia, a quibus illæ excitari solent, ad expugnandas hæreses omnium aptissimum, validissimumque præsidium reputanda est.

Instant

Instant Novatores, ajuntque, Lirinensis sententia labefactari potius, quam firmari auctoritatem Patrum, plus enim illi tribuit, quam par est, certitudinis, quum eam ab omni erroris suspicione vindicet; itaque res omnium iniquissima foret controversias Fidei ad eorum tribunal referre.

Ast tolle jus Patrum: ecquod quæso, reliquum erit tribunal, ad quod recurramus? nunquid Scriptura? Atqui origo illa est, & fons omnium, quæ vertuntur, difficultatum, quo fit, ut ea judice, nihilo certiores fieri possimus, sed magis, magisque potius fluctuemus, quum nonnisi confuse, obscureque controversias definiat.

Statutam revera legem habemus, at interpres desideratur, & judex, cujus beneficio legis sensus certo constet, evidenterque. Hunc Interpretem adprime necessarium esse nemo unus dubitat, ne adversariis quidem exceptis, quibus admodum familiare est Trinitariis, Anabaptistis, & Socinianis auctoritatem Patrum opponere, nobis vero Prophetas quosdam insolitos, inauditosque Pastores, quos postremis hisce temporibus tanquam nova quædam sydera ad dispellendas mentis nostræ tenebras Deus præter morem excitavit.

Addunt præterea, Vincentium Lirinensem nonnisi dubitando locutum, adeo ut ne ipse quidem de illius principii veritate certus esse videatur. Deinde tot, ac tanta postulat ad certam Patrum auctoritatem, ut nunquam

fere

fere locum habere possit; quæ si concurrant omnia, iis fidere haudquaquam difficile erit; verum quum vix, ac ne vix quidem concurrere possint omnia, eas tanquam certas ponere perinde est, ac arenam pro fundamento locare.

Proh futilem, inanemque cavillationem! Qui enim fieri potuit, ut Vincentio persuasum non esset de illius sententiæ veritate, quam ex communi Ecclesiæ sensu hauserat, iisque solum conditionibus proponit, quas recta ratio dictat, firmat, ac postulat a quovis Doctore divinitus misso? Revera quis fidem haberet proposito religionis Magistro, quem nullus certissimæ veritatis character distingueret?

Illud saltem pernecessarium est, inquit Lirinensis, ut sint Viri singularis exempli in tuenda Ecclesiæ fide constantissimi, qui nihil, nisi ab Ecclesia catholica acceptum profiteantur, qui demum in religione nihil definiant, quod ex legitima Traditione Patrum divinæ Scripturæ explanatorum non hauserint.

Urgent demum adversarii, ajuntque, a nobis verbo tenus commendari unanimem Patrum consensionem, revera tamen, ubi se præbet occasio, deprimi, atque everti omnino. Quum enim altera ex veterum horumce Theologorum opinionibus optanda est, Ecclesiam adimus, cujus judicio alios probari necesse est, alios improbari.

Verum istud ad Ecclesiam perfugium æquissimum est, ac saluberrimum, eoque ne tantillum

ſum quidem læditur Patrum auctoritas, immo magis, magiſque firmatur. Etenim Eccleſia Veterum perinde, ac Recentiorum judex eſt univerſalis, quæ parvi pendens præjudicatas ſingularium quorundam opiniones, in his, quæ fidem ſpectant, ſecundum communem Patrum ſententiam jus dicit, atque pronunciat.

Neque vero Novatoribus fas eſt hanc Eccleſiæ auctoritatem in dubium vocare, quum hac in re, teſte inſigni illorum Miniſtro, a Romanis catholicis haudquaquam diſſentiant, quanquam illud fortaſſe ſatis attente non conſiderant. Enim vero perpetuo opponunt Ubiquiſtis, Anabaptiſtis, Arminianis, atque Socinianis, contemtam ab iis Eccleſiæ vocem, & ſpiritum, quo regitur, ac gubernatur; indeque natos ajunt illorum errores, & ſchiſmata, quod Eccleſiæ ſanctionibus parere detrectent, unumque duntaxat tribunal agnoſcant, videlicet Sacrarum Scripturarum, quas pro ſuo quiſque modulo exponit, ſive potius pro libito contorquet.

Le Preſt. pacif. & Aubert de Versé Miniſt. de la R. P. R.



CAPUT

CAPUT VI.

Quid sentiat Ecclesia de auctoritate Patrum.

TAM arcto nexu colligantur Patrum, & Ecclesiæ auctoritas in rebus Fidei, ut alterum sine altero nec esse, nec cogitari possit: una quippe Fides est, atque unus, idemque spiritus, quo utraque auctoritas simul atque iis nixa Religio christiana regitur, ac gubernatur. Et vero quid præstant Ecclesiæ Patres in aliquod Fidei dogma una voce, unoque animo convenientes? nimirum doctrinæ in universa Ecclesia quavis ætate acceptæ, ut tradidere Majores, testimonium perhibent. Quid autem præstat Ecclesia fidem suam in Conciliis exponens? nimirum firmat, atque indubitatæ fidei declarat testimonium, quod dederunt Patres, iisdem dogmatibus in universa Ecclesia probatis, atque defensis.

Deinde quomodo impleri poterunt verba Christi promittentis Discipulis suis, ubi duo, vel tres congregati essent in ejus nomine, se in medio eorum adfuturum, nisi quum Patres in unum convenientes de dogmatis Fidei sententiam dicunt? testem appello Divum Augustinum, cujus ea mens est, unanimem Patrum consensionem in Fide omni erroris periculo vacare. Qua de re si dubitare paululum liceat, sponte fluit, Ecclesiam, amantissimam

alio-

alioquin Fidelium Matrem, cum illorum doctrinam probet, maximo in errore versari, suosque Fideles decipere; quo quid absurdius, quid magis horrendum excogitari potest?

Nulla unquam fuit ætas, qua Christiani concordi Patrum testimonio in rebus Fidei ultro non steterint, & ab eo dissentire perinde non duxerint, ac Ecclesiæ refragari, ejus doctrinam contemnere, & ab illius communione recedere: quod usque adeo verum est, ut Eutyches, vir omnium vaferrimus, idemque sceleftissimus hanc præcipue causam obtenderet, cur ab opinione sua non discederet, quod Sanctorum Cyrilli, Athanasii, aliorumque veterum Patrum auctoritate suffulta, absque totius Ecclesiæ contemtu derelinqui non posset. Verum insulsa omnino, atque temeraria excusatio, utpote quod Concilii definitionibus contradicere non posset, quin una Sanctorum Patrum doctrinam repudiaret, cujus ope Canones sanciebat Ecclesia in Concilio collecta.

Non credit in Dominum Jesum, qui Sanctis fidem non habet, inquit Apostolus, cujus verba exponens Divus Hieronymus ait, eum sincero corde in Deum non credere, qui fidem non habet Doctoribus, quibus tanquam instrumentis utitur Deus ad erudiendos Fideles. *Ad Philem.*

Atque idem semper fuit Ecclesiæ sensus; illudque adprime notandum in Synodo Constantinopolitana prima, in quam præcipui Sectariorum illius ætatis Episcopi convenerant, Nectarium Concilii antistitem hac solum via

eos

eos aggressum fuisse, vehementer urgendo, ut aperte dicerent, vellent nec ne stare judicio Patrum, qui ante floruerant, quam nascerentur hæreses, de quibus agebatur.

Neque alio Patres Synodi Ephesinæ primæ usi sunt præsidio, ut expositiones Symbolo Nicæno ab ingeniis turbulentis, & seditiosis affictas refellerent, quam testimonio Patrum, qui veram illius intelligentiam aperuere.

Eodem in Concilio lecta sunt ex Majorum doctrina, quæ contra scelestissimum Nestorium dicta jam fuerant. In Concilio autem Chalcedonensi una cum Symbolis Nicæno, & Constantinopolitano objecta fuit Eutycheti Sancti Leonis Epistola ad Flavianum, aliorumque Patrum loca, quibus illius errores damnabantur.

Constantinopolitanæ Synodi Patres contra Theodori Mopsuesteni memoriam Divi Augustini sententiam de Sectariis ante, & post obitum damnatis statuerunt. Sic Præsules Synodi Nicænæ secundæ, Oecumenicæ septimæ ab exemplis, & auctoritate Patrum argumentum duxere, quo Sanctarum Imaginum cultum ad antiquissimam Traditionem cum Ecclesia simul ortum, atque compluribus miraculis firmatum, pertinere monstrarent.

Quid, quod Sacri Conciliorum Canones ex Veterum monumentis totidem ut plurimum verbis excerpti sunt? exemplum præbent evidentissimum Canones Concilii Arausicani secundi, qui totidem Augustini disputantis contra Semipelagianos verbis constant, atque sententiis.

Denique

Denique Synodus Tridentina antiquorum Patrum doctrinæ, sicuti aliorum Conciliorum epitome est, atque compendium; & quemadmodum Aquilejensis singillatim Concilii Caput fuit Divus Ambrosius, ita omnium generatim, quæ recipiuntur, Conciliorum Ecclesiæ Patres indubitanter dici possunt duces, & auctores.

CAPUT VII.

Ostenditur erroribus, Antilogiis, aliisve mendis, quæ apud Ecclesiæ Patres nonnunquam occurrunt, auctoritatem, quam illis adserimus, illæsam manere, atque incorruptam.

UT felici successu dispellantur tenebræ, quas collectis undique Patrum sententiis offundere conantur Sectarii, miscentes invicem cum dogmatis Fidei, quæ ad disciplinam, quæ ad Philosophiam, vel etiam Grammaticen spectant, suo quæque loco statuenda sunt, ac tot machinationibus laudatum Vincentii Lirenensis, sive totius Ecclesiæ Systema opponendum, quo vel uno primitus constituto, quidquid blaterent Novatores, falsum, sibi non constans, atque fallacibus solum fucis illitum subito, ac perspicue dignoscetur.

Fatendum

Fatendum sane, nonnullos ex antiquis Patribus in opiniones ab Ecclesia improbatas abiisse. Sic Papias, Justinus martyr, Irenæus, aliique Millenariorum inventa, sic Clemens Alexandrinus Philosophorum Gentilium placita optarunt. Arnobius pariter, atque Lactantius in nonnullis peccant, in quibus se Oratorum magis, quam Theologorum scientiam calluisse ostendunt. Epiphanius in cæteris carpendis valde sollicitus, suis & ipse mendis non caret. Divus Hieronymus de providentia Dei, qua res omnes creatas, etiam infimas moderatur, atque gubernat, parum digne sensisse videtur (3). Augustinus etiam non pauca protulit,

[3] Hanc in D. Hieronymum censuram sumsit auctor hujus primæ partis ex Dallæo, qui exprobrat Sancto Hieronymo, quod sentiat comment. in Habacuc Cap. 1. summa Dei providentia curari quidem genus humanum, non autem creaturas ratione carentes. Quæ quidem censura iniqua prorsus est: non enim negat Hieronymus, divina providentia res omnes creatas, quæcunque tandem eæ sint, regi, ac gubernari, sed discrimen statuit solummodo inter administrationem rerum ratione utentium, & earum, quæ carent ratione; quod videlicet erga res rationales providentia Dei paterna sit, atque benevola, non item erga cæteras. En ejus verba „ Sicut igitur in hominibus etiam per singulos „ Dei currit providentia; „ sic in cæteris animalibus „ generalem quidem dispositionem, & ordinem, „ cursumque rerum intelligere possumus. Verbi „ gratia quomodo nascatur „ piscium multitudo, & „ vivat in aquis: quomodo reptilia, & quadrupedia oriantur in terra, „ & quibus alantur cibis. „ Cæterum absurdum est „ ad hoc Dei deducere majestatem, ut sciat per „ momenta singula quot „ nascantur culices, quotve moriantur; quæ cimicum, & pulicum, & musca-

tulit; quæ postea revocare coactus fuit. Sic denique Patres, qui primis tribus Ecclesiæ sæculis floruere, de Mysteriis SS. Trinitatis, & Incarnationis parum castigate scripsisse videntur.

Illud etiam ingenue fatendum, non omnium in omni disputatione unam esse sententiam. Ita de die celebrandi Paschatis pugnabant Asiatici cum Romanis Episcopis; de rebaptizandis Hæreticis Cyprianus, aliique Præsules Africani cum Stephano Summo Pontifice; de Animarum autem origine aliter Augustinus, aliter sensit Hieronymus (4); ita demum familiares sunt

„ muscarum sit in terra „ multitudo; quanti pi„ sces in aqua latent, & „ qui de minoribus majo„ rum prædæ cedere de„ beant. Non simus tam „ fatui adulatores Dei, ut „ dum potentiã ejus etiam „ ad ima detrahimus, in „ nos ipsos injuriosi simus; „ eandem rationabilium, „ quam irrationabilium „ providentiam esse dicen„ tes.

[4] Consulto dixit Auctor hujus operis in quæstione de Animarum origine aliter sensisse Augustinum, aliter D. Hieronymum, non autem disputasse. Quum enim intricatissima foret hæc quæstio, quam D. Hieronymus„ maximam „ Ecclesiasticam quæstionem„ appellat, varie quidem senserunt laudati Ecclesiæ Doctores; nimirum Hieronymus in eam magis propendebat sententiam, quæ singulas singulis hominibus animas creari propugnat: Augustinus vero, præsertim post natos Pelagianos, eam magis probabat, quæ animarum propagationem defendit: at neuter tamen ita de sententia sua certus erat, ut oppositam condemnare auderet. Hinc Hieronymus ab Augustino eа de re consultus, respondit „ unusquisque in sensu „ suo abundet„ Augustinus vero lib. de Gen. ad lit. Cap. 23. multis utrinque disputatis, litem fere sub judice relinquit „ nisi eo„ rum sententia [subdit] qui

sunt nonnullis Patribus ad exponenda Mysteria Trinitatis, & Incarnationis quædam voces, quas alii repudiarunt; propterea quod plura inde duci possunt consectaria extra modum absona, & absurda.

Immo vero non solum a se invicem aliquando dissentiunt; verum etiam nec unusquisque sibi semper, & ubique constat. Quis enim inficias eat, quosdam Patres successu temporis, quæ primum defenderant, deseruisse? quis neget, Divum Augustinum aliter Presbyterum, aliter Episcopum sensisse, atque locutum fuisse? Divum Hieronymum in exponendis Scripturis nonnunquam variasse? omnes demum generatim Doctores accuratius, multo dilucidius, atque nervosius in dogmaticis tractatibus, quam aliis in locis mentem suam aperuisse?

Verum his, aliisve id genus, si paullo accuratius, atque maturius expendantur, ne minimum quidem læditur Patrum auctoritas; tum enim, quæ obtrudunt Novatores, fere omnia sano sensu exponere difficile non est, tum etiam quantocumque numero collecta ponantur; auctoritatem Patrum in præcipuis religionis capitibus labefactare nullo modo possunt. Itaque hoc unum defendendum est de illorum auctoritate, scilicet eam, ubi concors est Patrum consensio in rebus Fidei, ab omni erroris labe immunem esse; qua ratione fiet, ut

„ qui animas ex parenti- „ bus creari putant, de „ baptismo parvulorum „ præponderaret.

sit adversarii, quum demonstrare nequeant omnium, vel fere omnium defectionem a fide, aut falsam, & proprio marte confictam Traditionem, pro certa, constanti, & antiqua ab iis propositam, animo fracti hæreant, eorumque argumenta, licet innumera, tanquam vana sophismata, quæ ad rem non faciunt, prorsus evanescant.

Neminem latet, Sanctorum Patrum nonnullos a recto tramite deflexisse, ita tamen, ut paucos admodum in suam traxerint sententiam: ab Ecclesia vero palam, & publice damnati non sunt, vel quod citra culpam, bonaque fide ea protulissent, vel ut benevola ejusmodi moderatione facilius ad bonam frugem revocarentur, vel demum quod paucissimi iis excidissent errores, quos mixta sanioris doctrinæ copia longissime superabat, eamque, pauculis erroribus neglectis, salvam, & incolumem tueri longe præstaret.

Certum est, atque indubitatum, quidquid cum unanimi Patrum consensu non cohæret (5), ad Ecclesiæ fidem minime spectare; quamobrem si quis in Religionis dogmatibus ab una-

(5) Adde: etsi illorum nonnullos patronos habeat, ac defensores. Hinc bene multa Religionis capita, in quibus finiendis Ecclesiæ Patres diu, multumque dissenserunt, successu temporis ab Ecclesia, quæ columna est, ac firmamentum veritatis, definita sunt vel publica declaratione, vel unanimi Fidelium ad pristinam veritatem recursu, quemadmodum contigit in quæstionibus de millenario Christi in terris regno, & de baptismate Hæreticorum.

unanimi consensione defecerit, ab Ecclesiæ quoque sensu defecisse censendus est, quippe qui in sola sistit omnium, vel fere omnium (6), ut ait Lirinensis, concordi, atque unanimi sententia.

Atque Patres ut plurimum nonnisi in levissimis, vel hominum disputationi relictis quæstionibus dissentiunt, ut optime de Augustino reponit Batavis quibusdam Theologis recens Simon. Auctor, etiamsi de illius doctrina defendenda parum sollicitus. „ Injuria (inquit), & immerito Augustini doctrina generatim spectata, & Pelagio opposita cum Traditione „ Ecclesiæ pugnare creditur; illud autem unum „ affirmari potest, singulares quasdam opinio- „ nes (7) plerisque Patribus, qui eum præcesserant

[6] Videlicet non illorum solummodo, qui uno, vel altero sæculo vivunt, sed qui ab orbis redemtione floruerunt, ad postremam usque ætatem, qua vertuntur quæstiones. Neminem quippe latet, Ecclesiam multoties finiisse quæstiones non ex majori illius ætatis Fidelium numero, sed potius ex minori. Exemplo est definitio celeberrimæ disputationis de baptismate Hæreticorum, in qua non Cypriani, sed Stephani sententiam secuta est, quanquam, teste Augustino „ multi cum illo, „ cum isto pauci fuerunt.„ Atque, ut cætera missa faciam, hujus rei luculentissimum præbet argumentum probabilismi laxioris condemnatio, qui ante decretum Alexandri VII. anni 1665., a plerisque illius ævi Scriptoribus defendebatur acerrime.

[7] Quas Simon singulares vocat Augustini opiniones, aliud profecto illæ non sunt, quam inconcussa gratiæ dogmata ab Augustino defensa, & a Summis Pontificibus, præsertim Cœlestino, & Hormisda, nec non ab universa Ecclesia recepta. Atque illa Augustini doctrinæ oppositio cum

„ cesserant, ignotas ex propriis principiis de-
„ promtas ab eo defensas fuisse; cæterum vero
„ communis illi fuit cum totius Christiani
„ Orbis Ecclesiis Fides, atque Religio. „

Si qua vero extat in Fide discrepantia inter Patres, in sola locutionis varietate sita est, aliis aliam sese explicandi viam ineuntibus, ut, quam defendendam susceperant, veritatem firmius, solidiusque stabilirent; aliis aliter incedentibus, ut, quem metuebant, errorem studiosius devitarent.

Hujusmodi Antilogiis, quanquam paullo difficilior, spinosaque reddatur lectio Patrum, sarta tamen est, tectaque illorum auctoritas. Ergo ne rejiciendi erunt Patres, propterea quod ægre conciliari queant? id ne uspiam factitatum est in Sacros Evangelistas? quis tamen ignorat, quam ardua, quamve laboriosa sæpe res sit illorum verba componere? Intelligi profecto non potest, qua fronte Novatores, qui in propriis Fidei confessionibus sibi non

cum Traditione Ecclesiæ excogitata fuit ab hostibus gratiæ in opere, quod supposuere Launojo, quorum calumniam erudite detectam refellit P, Serry in opere, cui titulus: *Augustinus vindicatus*, atque damnavit Clemens XI. anno 1704. Quamobrem merito vapulat Simon ab Illustriss. Bossueto, quod debitam Patribus reverentiam non exhibuerit, atque Novatoribus, & Socinianis, ut alias pluries, sic etiam in hoc capite favere videatur. Quocirca in exemplum quæstionum, quæ leviores sunt, vel hominum disputationi relictæ, & opinionum iisdem respondentium, parum apta videntur laudata Simonis verba.



non constant [quod tamen illorum interesset quammaxime] Patribus Ecclesiæ levissimas, nulliusque momenti discrepantias passim objiciant.

Neque mirum videri debet, antiquos Patres secum quandoque pugnare, toti enim erant in perscrutanda, illustrandaque veritate, quæ, jubente Deo, justissimis de causis, atque humanæ rationi imperviis, aliqua sui parte obscurata fuerat, ac præjudicatis hominum opinionibus, disputationibusque relicta.

Fuerunt inter Ecclesiæ Antistites, qui propter Traditiones, de quibus dubitari poterat, aliis non raro succensuerint. Omni tamen seposita contentione, de Vincentii Lirinensis effato, tanquam de indubio, & inconcusso axiomate apud omnes conveniebat „ Quod si „ in ipsa vetustate duorum, aut trium homi„ num, vel certe Civitatis unius, aut etiam „ Provinciæ alicujus error deprehendatur, tunc „ omnino curabit, [Christianus Catholicus] ut „ paucorum temeritati, vel inscientiæ, si qua „ sunt universaliter, antiquitus universalis Ec„ clesiæ decreta præponat. Quod si tale aliquid „ emergat, ubi nihil ejusmodi reperiatur, tunc „ operam dabit, ut collatas inter se Majorum „ consulat, interrogetque sententias, eorum„ duntaxat, qui diversis licet temporibus, & „ locis, in unius tamen Ecclesiæ Catholicæ „ communione, & Fide permanentes, magi„ stri probabiles extiterunt; & quidquid non „ unus, aut duo tantum, sed omnes pariter

uno

„ uno, eodemque consensu aperte, frequenter, „ perseveranter tenuisse, scripsisse, docuisse, „ cognoverint, id sibi quoque intelligat absque „ ulla dubitatione credendum.

Quid, quod illa, quæ apud Patres nonnunquam occurrit, mendosa obscuritas suis & ipsa commodis non caret? neque enim *dies diei* solummodo *eructat verbum*, verum etiam *nox nocti indicat scientiam*, teste Scriptura: *Psalm. 18.* sive non modo quorumdam splendore aliorum lux augetur, verum etiam minus perspicacium obscuritate acutiora excitantur ingenia, ut aliquid illustrius proferant, quod perficere, nisi aliorum erroribus moniti, forte fortuna ne cogitassent quidem.

In eadem fere navi versantur veritatis interpretes, ac fodinarum fossores; quorum quum omnes sollicite exquirant, pauci tamen prætiosum metallum inveniunt. Ita tamen se res habet, ut perinde qui terrosam arenam, ac qui optatam micarum copiam adfert, ad commune bonum conferre censeatur, quod uterque eadem mente, etiamsi dissimili fato laboret.

Non omnes Ecclesiæ Patres pari pollent ingenio, atque qui acutiori sunt, suos & ipsi habent nævos, suosque patiuntur manes, qui ab imbecillitate naturæ sejungi non possunt: quamobrem nec tantillum nos movent, qui ajunt, Ecclesiæ Patres sibi non constare, eos crebro mutasse sententiam, nonnunquam pristinam revocasse, vel sapientiores postremis, quam primis vitæ suæ diebus visos fuisse.

Quid enim hinc tandem colligitur? nimirum eos ab omni errore immunes nequaquam fuisse, & fidem, quum una sit, quia tamen neque evidenti traditione, neque manifestis Ecclesiæ definitionibus in quibusdam controversiis in aperto posita sit, acutioribus etiam ingeniis dubitandi, fluctuandique occasionem præbere; vel, ut paucis omnia complectar, in rerum Ecclesiasticarum cognitione non secus, ac in aliis scientiis novos in diem progressus fieri posse, atque Deum Optimum Maximum, qui humiliter postulantibus sapientiam pollicitus est, non in omnibus tamen stato quodam tempore, atque uno velut ictu oculi se daturum promisisse; quæ quidem omnia ultro, libenterque concedimus.

In disputationibus de gratia, de libero arbitrio, & de prædestinatione scribendo se plurimum profecisse fatetur Divus Augustinus: *De lib. arb. l. 3. C. 23.* „ Proficienter [ait] me existimo, Deo miserante scripsisse, non tamen a perfectione „ cœpisse: quandoquidem arrogantius loquor, „ quam verius, si vel nunc dico, me ad perfectionem sine ullo errore scribendi jam „ in ista ætate venisse „ Verum addit illud minimi interesse „ sed interest [inquit] quantum, & in quibus rebus erretur, & quam „ facile quisque corrigat, vel quanta pertinacia suum defendere conetur errorem.

Cuncta quidem Fidei dogmata uno, eodemque tempore divinitus Ecclesiæ commissa, sed non omnia simul evoluta, explicataque

fuerunt

fuerunt (8). Quapropter a ſapientiſſimis illis animarum Paſtoribus obvolutam fuiſſe veritatem, & ſecus ac ſentirent, evulgatam, ab illis denique panem ſpiritalem iniqua ratione diſtributum, niſi calumniator impudentiſſimus, iniquiſſimuſque æſtimator, qui cuncta illis prudentiæ, atque judicii præſidia ſublata voluerit, nemo unus auſerit affirmare.

Chriſtianæ veritatis documenta nunquam ſubduxerunt Eccleſiæ Patres; illam ſi quando deſeruiſſe, vel non ex omni ſui parte, ac numeris explicuiſſe videntur, non voluntatis culpa factum eſt, quaſi fidem occulere, eamque deſerere vellent, ſed cognitionis defectu, quod eam probe perſpectam non haberent. Ecquis enim vero poſt Apoſtolorum ætatem Chriſtianæ Religionis dogmata candidius, quam egregii illi Antiſtites, quis ſtudioſius evulgavit; illuſtravitque? nunquid adulterata ab iis Symbola, vel alio, quam communi totius Eccleſiæ ſenſu expoſita? equidem prudens illi conſilium, & œconomiam quandam adhibuere, aliamque viam inierunt cum Judæis, aliam cum Gentilibus,

[8] Satius multo, & accuratius dixiſſet Auctor operi hoc modo: cuncta quidem Fidei dogmata uno, eodemque tempore divinitus Eccleſiæ commiſſa, ſimulque evoluta fuerunt a Spiritu Sancto, quo Doctore Apoſtoli ea didicerunt. Verum quanquã omnia pari religione ſervata in Eccleſia, non eodem tamen tempore, & modo, neque eadem perſpicuitate Fidelibus ſunt expoſita, ſed pro varia temporum occaſione, alia citius, alia ſerius, nonnulla manifeſte, cætera ſubobſcurius explanata fuere.

tilibus, aliam cum Cathecumenis, vel Fidelibus differentes. At nunquid eapropter damnandi? ecquis hactenus usque damnavit Apostolos, qui omnia omnibus facti sunt, ut omnes lucri facerent, atque ad veritatis cognitionem perducerent?

CAPUT VIII.

Errata Patrum in Scientiis humanis nihil omnino detrahunt illorum auctoritati in rebus Fidei.

VUlgo etiam dici solet, in humanis scientiis parum eruditos fuisse Ecclesiæ Patres, quæ ad Scripturas Sanctas explanandas, & Fidei dogmata firmanda plurimum utilitatis afferunt. Verum quid hæc cum illorum auctoritate, quæ artibus, & scientiis humana industria invectis non innititur? Plurimum quidem illæ juvant Auctorem vel ad exponendas Scripturas, vel ad eas cum primigenio Textu conferendas, cujus generis sunt Dialectica, Grammatica, Chronologia, Geographia &c.: verum cujuscumque utilitatis ponantur, non ita tamen necessariæ sunt, ut, iis sublatis, tota ruat, atque evertatur Religio (9).

Nunquid

[9] Immo vero qui avidius ejusmodi scientias consectatur, obest potius, quam profit Religioni Christianæ: quod sane fecisse videntur Novatores, qui in Sacra-

Nunquid enim, qui in ratiocinando quandoque peccat, in Fide Ecclesiæ labitur? ecquis ignorat; innumeros extare Viros, qui quum de illorum Religionis integritate dubitari non possit, tam prava utuntur ratiocinatione, ut quod palam, & publice profitentur, prorsus abnegare videantur? quid ergo interest, quod ab accuratioris Dialecticæ rudimentis nonnunquam aberrent Ecclesiæ Patres in colligendis Fidei conclusionibus, quo nihil facilius in longioris disputationis æstu, modo ratum sit prima sanioris doctrinæ capita ab iis firmiter defensa fuisse?

Ita ne vero Dialectices regulis hærent Plato, Aristoteles, aliique omnes insigniores Dialectici, ut ab iis nusquam deflectant? profecto si cuncta illorum argumenta ad Dialectices trutinam revocanda forent, bene multa deficere dignoscerentur. Deinde quot extant Sophistæ, qui falsis innixi principiis, firmius in illis perstant, quam ingenuiores Philosophi certissimis, atque inconcussis? Quod si Fidei puritatem ex aptiori disputandi methodo metiri

Sacrarum Scripturarum explanatione, quo suam in humanis scientiis peritiam ostentarent, tanto studio consectati sunt, quæ ad Grammaticen, Chronologiam, Geographiam spectant, ut Christianæ Religionis, ad quam tamen cuncta Spiritus Sancti verba collimant, pene obliti videantur, ut merito exprobrat Grotio Illustriss. Bossuetus in sua contra eundem dissertatione, nullumque fere invenire sit discrimen inter Scripturas Sanctas ab iis expositas, & profani cujuslibet Scriptotis, Poetæ etiam, si lubet, historiam.

tiri lubeat, sanior sæpe foret Hæricorum, quam Catholicorum Fides.

Minus sæpe rectam usurparunt Ecclesiæ Patres differendi methodum, ex pluribus etiam, quibus uti poterant, argumentis minus valida, minusve apta quandoque adhibuerunt. Quid tum? nimirum omnium hac in re mortalium sortem subiere, qui utcunque in negotiis diligentes, atque exercitati, falluntur nonnunquam, satis laboris, ac industriæ impendisse rati, modo satis ipsi sibi fecisse videantur.

Ipsa quoque Sanctorum Patrum critice non omni mendo caret. Immo plerisque Veteribus parum omnino perspecta fuit hæc scientia. Neque vero Hieronymus, ea in arte alioquin cæteris exercitatior, in omnibus rei summam attigisse putandus. Hæret nonnunquam, unoque, vel altero vix presso vestigio subsidet, atque instar hominis cæcutientis huc, illucque dubius fertur, & anceps.

Augustinus vero eruditorum linguas nesciebat, quarum maximus usus est in re critices; neque mos usquam fuit in disputationibus de Sacri Textus historia, & literali expositione ad eum confugere. Quod etsi negari nequeat, audiendi tamen non sunt, qui in disceptationibus de Gratia Patrum Orientalium Traditionem, quorum exemplaria legere nesciebat, Augustino ignotam fuisse effutiunt.

Nam licet non ita Græce sciret, ut eorum monumenta se solo intelligeret, florente tunc temporis Ecclesia Græca, illius doctrinam ab

ejusdem

ejusdem Episcopis, quicum amicitia conjunctus erat, sciscitari, & haurire potuisset. Deinde quis animum credere inducat, Divum Hieronymum Orientis incolam, cum quo eruditionis consuetudinem habebat Augustinus, eum in hujusmodi ignorantiæ tenebris desertum? an non id potius ipse sponte fecisset, si quidquam in re tanti momenti, in disputatione, inquam, de Gratia, quæ non minimum erat illorum consuetudinis argumentum, Augustinum latere putasset?

Fatendum tamen, ab Ecclesiæ Patribus neglectam sæpe critices scientiam, nec nimium religiosa scrupulositate, præsertim in scrutanda verborum origine servatas ab iis Grammaticæ regulas. Atque illud in caussa est, cur in suspicionem venerit Origenes levioris, exiliorisque in Hebraica Lingua peritiæ (10). Etenim in derivanda verborum origine sæpe justo liberior, sæpe etiam falsus est. Quanquam multa sit laude dignus, quod ethimologiam verbi *Satanas* a voce *Adversarius* duxerit, non autem

(10) Hanc tamen suspicionem amovisse videntur Eusebius lib. 6. Hist. Eccl. Cap. 16. S. Epiphanius lib. *de mensuris, & ponderibus*, & D. Hieronymus in Cap. 3. epist. ad Titum, qui omnes uno ore affirmant, Origenem Hebraica Lingua eruditissimum fuisse. Præterea ejus *Tetrapla*, *Hexapla*, & *Octapla* eum in Hebraico sermone versatissimum ostendunt: quanquam in derivanda verborum origine nonnunquam (rarissime tamen) memoria lapsus sit.

tem a voce *Apostata*, ut immerito facit Justinus (11).

Eandem ob causam reprehenditur Optatus, qui nominis *Cephas* originem ex Græco verbo κέφαλη, quod *Caput* significat, petit potius, quam ex Syriaca voce, quæ *Petram* sonat (12), ut docet ipsemet Evangelista (13). Neque vero reprehensionem fugit Divus Ambrosius, qui vocem *Pascha*, apud Hebræos *transitum*, ex Græca voce, quæ sonat *pati*, derivat (14). Illud autem magnopere mirandum, ipsum etiam Hieronymum, quum istam Patrum libertatem virgula notet censoria, in eundem sæpe scopulum impegisse, quum nominum *Pauli*, *Philemonis*, *Onesimi*, quæ certe Græca sunt, vel Latina (15), ex Hebraico sermone emendicet originem.

Verum

[11] *Satanas* quippe derivatur a radice שטן *Satah*, *adversari*, *odio habere*. Justinus autem deduxit a radice סור *Sur*, *discedere*, unde סרה *Sara recessio*, *Apostasia*.

[12] *Cephas* enim fluit ex radice כיף, *Chiph*, unde fœmineum כיפה *Chepha*, *Petra*.

[13] Mat. Cap. 16., ubi refert ea Christi verba v. 18. *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.*

[14] *Pascha* enim originem ducit ex radice פסח *Pasach transivit*, unde פסח *Pesach*, *transitus*, Ambrosius autem derivavit ex Græca voce πάσχω *Patior.*

[15] Quod quidem attinet ad voces *Philemonis*, & *Onesimi*, perspicuum est, eas ex Græco sermone proficisci. Vox autem Pauli ex Græca voce παῦλος, latine *Pusillus* origi-

Verum in his, aliisque, si lubet, gravioribus mendis, Chronologiæ inquam, & Geographiæ, quarum maxima est ad Historiæ Sacræ intelligentiam utilitas, immo necessitas, peccarint Ecclesiæ Patres, haudquaquam tamen loco moveretur illorum auctoritas, quæ aliis omnino innixa est fundamentis.

Chronologiæ studia ætate sua jacuisse fatetur Augustinus. Illius inopia Justinus in gravissima errata lapsus est (16); eadem de causa plerique Patres antiqui de die natali Servatoris nonnisi dubitando locuti sunt. Chrysostomus, & Augustinus vigesimum quintum Decembris diem; Epiphanius vero sextum statuit Januarii; Clemens autem Alexandrinus aliorum refert sententiam, suam non prodit, aitque, aliis decimum nonum, vel vigesimum Aprilis, aliis vero vigesimum Maii magis probari.

Quod si hodiernis saltem temporibus certo finitæ forent id genus quæstiones, atque inter insigniores Chronologiæ Scriptores nulla reliqua foret controversia de mundi ætatibus, quæ aliter in Textu Hebræo, aliter in Græca interpretatione computantur, esset fortasse, cur Sancti

originem ducit, quod nomen sibi Saulus adscivisse creditur, vel ut se minimum Apostolorum ostenderet; vel a Paulo Sergio Proconsule, quem primum in Insula Cypri convertit ad Fidem act. 13.

[16] Exempli loco sit, quod ait in *Oratione ad Græcos*, Ptolemæum Philadelphum ab Herode Judæorum Rege Propheticos primum libros, dein doctissimos Interpretes petiisse, quum hi Principes ducentum, & amplius annorum spatio distent.

Sancti Patres ab hujusmodi dicteriis vindicarentur. Ast quum & hodie finitæ non sint, satius multo videtur veterum Scriptorum exemplo in illis supputationibus mendum agnoscere, atque id genus causam deserere, quam ne ipsi quidem, si reviviscerent, defendendam esse putarent.

Eadem est apud illos Geographiæ conditio, quam jejune admodum, exiliterque tractarunt. Sic Epiphanius fluvium Paradisi terrestris *Phison* confundit cum *Gange*, quo alluuntur Indi, aliique plures *Gehon* a *Nilo* non distinguunt, ut notant Scaliger, atque Petavius.

Quum longe obscurissima sit historia Paradisi terrestris a Mose descripta, Antiqui juxta, ac Recentiores plura certatim conjectando dixerunt. At si Paradisus terrestris in eo loco situs erat, quem Tigris, & Euphrates in unum prope Apameam confluentes alluunt, ut censet Huetius, quot, amabo, illorum Interpretum conjecturæ a veritate alienæ, immo etiam risu, & cachinnis excipiendæ comperientur?

Quid ergo de illis sentiendum, qui in Cœlis, qui subtus terram, qui in novo orbe, vel alio quolibet (nullus enim jam locus est, quem non aliquis somniarit Interpres) Paradisum terrestrem locarunt? quid de tot, ac tam variis conjecturis? agnoscenda videlicet in multis, quæ scire non refert, humanæ mentis ignoratio, quæ tamen dubitationis, vel erroris in Fide occasio esse nullo modo potest.

CAPUT

CAPUT IX.

Difficiles, atque spinosæ, quæ apud Ecclesiæ Patres occurrunt, locutiones eorum auctoritatem ne tantillum quidem lædunt.

QUum de rebus plerumque altissimis agerent Majores nostri, multaque illorum ætate notissima forent, quæ postremis temporibus antiquata sunt, ac demum, quibus utebantur, linguæ obsoleverint omnino, multa iccirco apud illos, quemadmodum apud antiquos omnes Scriptores occurrunt spinosa, difficilia, intricataque.

Græce non omnes sciunt, Latine etiam pauci perfecte; cum enim amplissimus est latinus sermo, tum etiam plures pro variis ætatibus mutationes passus, atque ex patrio, ut ita dicam, solo apud exteras regiones migrare coactus fuit.

Vel una barbararum vocum cognitio difficillima est, quibus tamen familiariter utuntur Scriptores Ecclesiastici, vitiosam, adeoque obscurissimam loquendi rationem plerumque consectantes. Exempli loco sit Tertulliani stylus, qui quum verbis reapse latinis constet, singularis tamen adeo est in verborum delectu, atque dispositione, ut Salmasius verbo Grammatici jurare non dubitet, neminem unum

extare, qui ejus libellum *de Pallio* probe, atque perfecte cognitum habere possit. In eo enim Tertullianus stylum assumit Rhetorum antiquorum, quibus solemne erat inauditis sententiis uti, vocabulisque phaleratis, quo argumenta proposita magis augerent, atque amplificarent.

Omnium molestissima res est, atque laboriosissima Viro semidocto in lectione Patrum alienum identidem capere consilium, eorumque notitiam a vocabulariis emendicare, quæ didicisse non tam præclarum est, quam turpe nescire. Quid me commendatis (ajebat olim lepide *D. du Cange* amicis de edito latino Glossario gratulantibus) quum id unum præstiterim, ut barbaras, ineptasque voces, a quibus omnes abhorrent, in unum colligerem ? Et sane Pater Vavassorius Latini sermonis peritissimus, inquiebat extremis vitæ diebus, sexaginta annorum cursu se in id unum incubuisse, ut verbis à *D. du Cange* collectis, sermonem suum purgaret:

„ Non hic Romanæ Veneres, nec casta
„ loquendi
„ Vincula: tu palmam hanc ludi magister
„ habe.

Vid. Spelm. Quid, quod & ipsæ interpretationes, quæ levandi lectoris gratia persici solent, quum levationem adferre videantur, scrupulum graviorem injiciunt? Insidet enim legentis animo dubitatio, ne eum fallat Interpres; nam revera paucissimæ extant interpretationes, quibus omni-

omnimoda fides adhiberi possit. Quæ ex Græco in Latinum sermonem, parum accuratæ; quæ vero ex Græco in Gallicum, etiam si propter sermonis analogiam (17) paullo accuratiores, quod tamen numero paucissimæ, exiguæ omnino sunt utilitatis. Rem omnium utilissimam faceret Græco sermoni, (ut ajunt æqui æstimatores) qui fidissimis exemplaribus Græcis Gallicam interpretationem adjungeret, qua, ut veriori, ac perfectiori Græcæ linguæ exemplo, aptius multo, quam Latina, illorum dictionis venustas, elegantia, atque figuræ exprimi possunt.

Neque vero subsidio interpretationum, quamlibet accuratæ sint, vel perfecta linguarum, quibus scribendo utebantur Ecclesiæ Patres, peritia, atque intelligentia tollitur omnis in illorum assecutione difficultas; adhuc enim perscrutanda manet eorum doctrinæ natura; adhuc enucleandæ singulares, quas adhibent, loquendi formulæ, quas, Divo Hieronymo teste, difficilius sæpe est omnino perspectas habere, quam quid sentiant, quidve doceant.

Epiphanii opera, quod careant perspicuitate, pauci sunt, qui perfecte assequi valeant: Hilarii autem oratio, quum ventosa sit, turgidaque,

(17) Hæc autem sermonis Græci cum Gallico Analogia, in elocutionis, sive phrasis similitudine sita est, quæ ex Gallicæ linguæ proprietate proficiscitur. Porro autem Latinus sermo, quamvis e Græca lingua maxima sui parte dimanet, propriam tamen singularem habet, & a Græca diversam elocutionem.

daque, a communi recedit loquendi ratione; quam ob causam in suspicionem venit de pluribus in Fide Christiana erroribus (18).

Quorumdam Patrum eloquentia, instar fucati nitoris, legentis oculos ita perstringit, ut vitia, quibus scatent in ratiocinando, eaque graviora plane non videant; aliorum autem menda apud mediocria, ac parum intenta ingenia tegit, subducitque eorum in differendo subtilitas. Tandem ignaris, atque infirmis gravissimum onus est profana eruditio, qua permulta Veterum monumenta redundant.

Quoties vero contigit, ut Ecclesiæ Patres veritatem, cujus partem aliquam defendebant acerrime, ob nimium, quo ferebantur, animi æstum, ex altera parte periculo exponerent? quum in hæresim proterendam nituntur, eo sæpius impetu alteri omnino oppositæ ansam præbent (19). Quocirca summa opus est mentis

[18] Tot tamen, tantisque laudibus celebratur ab eruditissimis Viris Facundo lib. 1. Cap. 4., Cassiodoro lib. de Instit. Divin. Cap. 17., & Hieronymo pluribus in locis, ut omnis de sana illius fide suspicio prorsus evanescat. Quod autem subobscura sit illius oratio, duo in causa sunt. Primo, quod de rebus altissimis ageret, iisdemque difficillimis. Secundo, quod quum inter latinos Scriptores omnium primus contra Arianos disputarit; a Græcis Patribus multa desumere coactus fuit, ut notat apposite D. Hieronymus in epist. 49. ad Paulinum, ubi ait, „Sanctus Hilarius Gallicano Cothurno attollitur; „& quum Græciæ floribus „adornetur, longis interdum periodis involvitur, „& a lectione fratrum simpliciorum procul est.

[19] Hac in re non leviter hallucinatur Auctor operis, atque censura; qua notat hoc

tis acie, æquissimoque judicio, ut hæc omnia perspicue, placideque expediantur.

In Polemicis veterum Doctorum operibus præcipua controversiæ capita ab iis, quæ solius sunt accessionis, causam ab ejus argumentis sejungere, infiniti laboris est. His adde civilium, & Ecclesiasticarum cujusvis sæculi consuetu-

hoc loco Sanctos Patres, aliud profecto non est, quam teterrima calumnia ab adversariis Sanctorum Patrum inventa. Nusquam enim melius, accuratius, atque nervosius Fidei mysteria exposuere, quam ubi acerrimam illius defensionem susceperunt, quam quum in proterendas hæreses totis viribus nisi sunt. Equidem contingit aliquando, ut alteram veritatis partem defendentes, alteram ejus partem periculo exponere prima fronte videantur, revera tamen nusquam exponunt. Quod autem eam periculo exponere videantur, non nimio, quo feruntur animi æstui, non illorum inconsiderantiæ, sed potius mysteriorum obscuritati, vel etiam quandoque legentis perversitati tribuendum. Sic tam involuta res est doctrina Ecclesiæ de gratia Christi, & humana libertate, ut „ quum defenditur Dei „ gratia, negari videatur „ liberum arbitrium „ inquit Augustinus lib. de *Gratia Christi* Cap. 45.. Hinc occasionem arripuere Semipelagiani doctrinam Augustini, velut Manicheam traducendi; quum tamen ab hujusmodi Sectariorum deliramentis distet toto Cœlo Augustini systema. Hinc Ecclesia, penes quam summa residet mysteriorum intelligentia, id genus consectaria parvi pendens, cunctis Fidelibus eorum præcipue Patrum doctrinā credendam proposuit, qui aliquod Fidei dogma defendendum acerrime susceperunt, qui in aliquam hæresim proterendam totis viribus nisi sunt, ut Athanasii contra Arianos, Cyrilli contra Nestorianos, Leonis contra Eutychetem, Augustini contra Pelagianos &c.. Deinde confer, si lubet, hæc Auctoris verba cum Cap. 9. partis 3.

ſuetudinum notitiam, titulorum etiam, qui officiis, & dignitatibus Eccleſiæ, & imperii inditi erant, plurimarum denique rerum, quas ſcribendo denotabant; quæ omnia, quum ab ætate noſtra longiſſime diſtent, probe cognoſcere difficillimum eſt, indeque veteri Theologiæ plurimum obſcuritatis accedit.

Quæ hactenus dicta ſunt, dilucide ſimul, ac nervoſe propoſita continent adverſariorum argumenta, adeo ut jam conqueri non poſſint, illorum vim reticendo a nobis declinari. Quo tamen validius urgentur, eo infirmiora redduntur; nihil enim inde manifeſto colligi poteſt, niſi omnes nævos, qui in Eccleſiæ Patribus, velut graviſſima menda reprehenduntur, cum omnibus profanis Auctoribus, quorum explanatio in multorum deliciis eſt, illis eſſe communes.

Si enim ob multas, eaſque ſpinoſas, quæ apud Patres occurrunt, difficultates, omnem illi auctoritatem amittant, ſintque deſerendi, non ſolum humanis ſcientiis, Philoſophiæ, & Mathematicæ, verum etiam Scholaſticæ Theologiæ valedicendum erit; omniſque fides veteris, & novi Teſtamenti libris deneganda.



CAPUT

CAPUT X.

Etiamsi Patres Ecclesiæ nonnulla ex Scripturis Sanctis loca falso protulerint, in aliis etiam incuriose se gesserint, sarta tamen est, & integra illorum in rebus Fidei auctoritas.

QUam levis momenti sit accusatio in Ecclesiæ Patres conflata de falsa Sacri Textus prolatione, ejusque verborum mutatione, vel una invicte persuadet veterum Scriptorum consuetudo, quibus familiare fuit, ac receptissimum loca ex antiquioribus Auctoribus, ut eis in mentem venit, proferre, nulla verborum, sed sola sensus habita ratione [20]. Eccur enim id non præstiterint Patres, quod in proferendis Scripturis facere consueverunt Apostoli, ac Evangelistæ? ut enim ait Hieronimus „ in multis testimoniis, quæ Evangeli- *In Is. C. 7.*
„ stæ, vel Apostoli de libris Veteribus assum-
„ serunt, curiosius attendendum est, non eos

D 4 ver-

[20] Ejusmodi veterum Scriptorum consuetudinem secutus fuisse videtur Auctor hujus operis, qui ex antiquis monumentis sæpissime loca profert, ut in mentem ipsi venit, nulla verborum, sed sola sensus habita ratione. Quamobrem veniam dabit lector, si multa offendet Veterum loca aliis ab Autographo Exemplari verbis expressa.

„ verborum ordinem secutos esse, sed sensum. Scripturas aliquando Patres amplificant paraphrasi, quandoque contrahunt; ut plurimum vero non iisdem referunt, sed similibus verbis, quibus tamen illarum sensus patefiat, ac magnopere illustretur.

Quod autem ajunt, illos in operibus suis apocrypha quandoque monumenta licentius adhibuisse, futile prorsus est, & inane. Quum enim Apostoli illa usurparint ad defendendam veritatem (21), aliqua saltem auctoritate donarunt, ut inter sapientiores convenit Theologiæ Doctores (22).

Petav. de Incarn. l. 14. c. 4.

Nonnulli etiam libri, licet apocryphi a Patribus proferri potuerunt, donec Ecclesiæ judicio res finiretur, quippe quæ successu temporis

[21] Ut Judas Apostolus in epist. ℣. 14., ubi inquit, *prophetavit autem, & de his septimus ab Adam Henoch &c.*

[22] Non ita facile convenit inter sapientiores Theologiæ Doctores de Auctoris nostri sententia, qua putat libros ab Apostolis prolatos, aliqua saltem auctoritate donatos fuisse. Immo vero maxima est inter Ecclesiæ Patres, & Theologiæ Doctores ea de re dissensio. Omnium autem tutissima via est, quam monstravit Origenes præfatione ad Commentarios in Cantica, ubi ait, Apostolos divino Spiritu afflatos certo nosse quid ex ejusmodi monumentis desumi, quidve juvare posset; cæteros autem Scriptores, divinis illis subsidiis destitutos, nec certo noscere, nec sine periculo uti posse. Quamobrem Sacrorum Scriptorum exemplo excusari haudquaquam possunt Ecclesiæ Patres, apocrypha monumenta proferentes, nisi forte argumenta, ut ajunt, *ad hominem* inde promere, & urgere vellent. Quidquid tamen sit, illæsa manet illorum auctoritas, quæ nihil commune habet cum hac operum genuinorum prolatione.

poris quasdam Scripturas in Sacrarum Canonem retulit, quas ante, ut *divinas* solum *Scripturas*, vel, ut ajunt Patres Græci, *divinos sermones* θείας γραφὰς Fidelibus proponens, illarum censui adscribendas non esse putabat (23).

Atque hæc causa est, cur Divus Hieronymus librum Tobiæ, quem alibi traducit apocryphum, nonnunquam Sacrum appellet; cur Origenes iis solum accenseat, qui legebantur Cathecumenis; Concilium vero Carthaginense, utut Rufinus expungendum credat, in libros Canonicos referat.

Ejusdem generis sunt libri Estheris, Sapientiæ, Ecclesiastici, Machabæorum, necnon Baruchi, si tamen in unum cum Jeremia volumen redactus ea ætate non erat. Hæc enim volumina primis Ecclesiæ sæculis ut pia solummodo, atque ad populorum institutionem aptissima censebantur, posterioribus vero Divina, atque Canonica.

„ Plerique Veteres, (ut ait doctissimus quidam Criticus) non alios habebant Canonicos libros, quam ab Hebræis acceptos, a quibus prisci fœderis Canonem mutuati fuerant. Verum multi post Esdræ Canonem a Judæis Hellenistis conscripti, ad Ecclesiam trans-

Remarq. sur la Biblioth. de M. Dupin.

[23] Hæc autem Ecclesiæ varietas in accipiendis, vel repudiandis quibusdam Scripturis non de universa Ecclesia intelligenda est, quippe quæ sicut in Fidei dogmatis, ita in statuenda librorum canonicitate errare, vel mutari non potest; sed de peculiaribus quibusdam Ecclesiis, quarum aliæ citius, aliæ serius sacra quædam volumina acceperunt.

„ transmissi sunt, atque apud priscos Fideles „ eundem honoris gradum obtinuerunt, quem „ cæteri in Græca LXX. interpretatione con- „ tenti. Deinceps vero Fidelium complures, „ quibus, Hebræorum census innotuit, „ dubitare cœperunt, num par utrisque inesset „ auctoritas; neque invicem æquare ausi sunt: „ aliis contra traditione nixis, eos divinitus „ inspiratos reputantibus.

„ Res in eo statu mansere, donec Africana „ Ecclesia postremos hosce libros Canoni, quem „ confecit, Scripturarum inseruit. Postea „ enim, quum diligentius quæsita aliarum Ec- „ clesiarum traditio in eandem sententiam „ conveniret, generatim accepti, atque in „ omnium Ecclesiarum Canonem relati sunt „

Hinc plane liquet eum esse divinæ Providentiæ ordinem, ut quemadmodum Orbem universum, ita Ecclesiam variis lucis gradibus illustret, neque statim, & illico, sed paullatim, & pedetentim, quæ tenenda sunt, edoceat; quam ob causam varietas opinionum apud Patres, non ab errore, sed ab accurata veritatis inquisitione, quæ lentius, ac maturius fieri debet, profecta est: nam Ecclesiæ Patres prudenti, sinceroque judicio non minus in dubiis traditionibus accipiendis circumspecti sunt, quam in certis, atque universalibus defendendis acerrimi, fidissimique.

Pergunt adversarii, atque audacius illis exprobrant, quod alii aliorum sententias sibi tacite adjudicarint. Verum quid inde derivari

potest

potest adversus incorruptam Patrum auctoritatem, quippe quæ in communi, atque unanimi christianæ Fidei Sectatorum consensione tota sistit? qui, quum non omnes eodem tempore vixerint, mirum esse non debet, eandem, quam æqualiter omnes amplectuntur, doctrinam a Superioribus traditam, ab aliis deinceps Successoribus defensam fuisse.

Num vero vituperandi Patres Conciliorum exempla secuti, quorum antiquissimus mos est veterum Scriptorum verba, tacitis, immo nec etiam quæsitis illorum nominibus, ad cudendos Canones adhibere? satis enim esse putabant Antiquorum monumenta communiter ab Ecclesiis accepta, diligentiori omisso examine, Hæreticis opponere.

Immo veteri etiam consuetudine receptum est apud Scriptores, ut quidquid e celebrioribus Auctoribus collegerant, insitum operibus suis, omni prætermissa declaratione, in lucem ederent. Sic apud Horatium integra Græcorum, Latinorumque Poetarum loca occurrunt, quæ, ut erat perpolitus, in proprii nominis splendorem vertit. Idem de Cicerone, Quintiliano, Plutarcho &c. dicendum, qui ex Majorum suorum eruditione uberrimos clanculum fructus perceperunt.

Verum si quid est apud Patres, quod absonum, ineptumque videatur, illud profecto, quod in operibus suis Auctorum testimonia usurparint, de quorum fide dubitat Ecclesia. Et sane hæret anceps quandoque lector, & gradum sistit,

ſiſtit, quum apud Divum Hieronymum integra Didymi, Origenis, & Apollinaris loca offendit. Animum tamen erigit, & recipit ſeſe, quum videat Hæreticos etiam pervicaciſſimos non omnem fidem deſeruiſſe, eoſque, qui ex una parte turpiter labuntur, ex altera ſtrenue, firmiterque conſiſtere.

Indeque mos in Eccleſia inolevit Scriptoribus adprime catholicis eorum, qui damnati ſunt, fragmenta nonnunquam inſerendi. Severus Antiochenus, quum Hæreticus in Eccleſia habeatur, in veteri quodam ſuper Evangelia commentario, quem refert Lambeccius, Sanctis Patribus conjunctus reperitur. Eandem iniit viam vetuſtiſſimus auctor Anonymus in Græcorum Patrum catena in Divum Johannem, eamque probat Cyrillus Alexandrinus in Epiſtola ad Eulogium, ea potiſſimum ratione, quod non omnia, quæ dicuntur ab Hæreticis, cenſenda ſint hæretica, multorumque Fidei dogmatum confeſſionem cum illis communem habeamus.

Bibliot. Imper.

Bene multas videre eſt apud Hæreticos aperte, manifeſteque depravatas ſententias, quarum inſaniam honeſtus Vir ferre nullo modo poteſt. Nonnullæ intolerabilem audaciam, & improbam temeritatem ſapiunt, quæ, quum falſitati, atque periculoſiſſimis novitatibus viam parent, procul amandandæ ſunt. Verum non deſunt etiam adprime Catholicæ, quas non ſine maxima veritatis injuria condemnare poſſes; ſunt demum & aliæ, quæ, quum in ambiguo ver-

versentur, recto sensu intelligi, atque in bonam partem accipi queunt.

Hæreticos debita laude cumulare quis potest, quin reprehensionem ullam mereatur, quasi illorum errores amplexus sit, atque defenderit. Hoc fere modo de se ipse loquitur D. Hieronymus in præfatione nominum Hebraicorum. Origenem, ut sapientissimum Interpretem commendavi, cui plurimum gratiæ debeamus, non autem ut Doctorem, cujus sententiis, tanquam Sacramento rogati subscribere teneamur. Ipsius ingenii acumen admiror, non adeo tamen, ut pravam ejus doctrinam probandam existimem.

Ad perfectiorem, cumulatioremque veritatis assecutionem nihil vetat, quin Hæreticorum, atque Gentilium eruditionem adhibeamus. Quis enim vero Hieronymum redargueret, quod Judæorum consilio usus sit, ut absolutiorem Linguæ Sanctæ notitiam compararet, & quasdam notiones certius edisceret, quibus Sacri Codices plurimum illustrantur, semotis Christianæ Religionis principiis, præsertim quum ipsamet Ecclesia nonnullas Bibliorum editiones ab Hæreticis, ac Semijudæis elucubratas diu, multumque usurparit? (24)

Quum

[24] Quos vocat Auctor operis Hæreticos, ac Semijudæos, ii sunt, Aquila, Symmachus, & Theodotio, quorum interpretationibus usa est Ecclesia Græca ad ætatem usque Origenis. Aquila ex Judæo Proselytus, inde Christianus, ad Judaicam Religionem reversus est; Symmachus primum Judæus, dein Chri-

Quum Ecclesiæ Patres Commentariis in Scripturam Auctores hæresi notatos inseruere, non ea id mente fecerunt, ut inde quidpiam auctoritatis illorum erroribus accederet, sed ut varietas opinionum inter antiquos Interpretes dignosceretur, uberrimusque fructus ex iisdem rebus perciperetur, quibus ignari homines, ingeniique expertes abuti potuissent.

Pari quoque modo, quum Divus Clemens Alexandrinus, aliique Patres libros Apostolis falso ab Hæreticis adscriptos protulere, nunquam genuinos Apostolorum fœtus eos haberi voluerunt, sed icicirco usurparunt, ut Hæreticos, quibus illorum auctoritas probata erat, acrius premerent, quum ipsamet Ecclesia in disputationibus, & controversiis, salva Fidei integritate, (quod in omni re summopere cavendum) illorum usum permitteret.

Verum quod opponi potest, Ecclesiæ Patres hujusmodi cum suspectis Scriptoribus consuetudine, ac familiaritate, nonnunquam eorum sententiis, nimis, quam par est, addictos videri, illud attentionis defectu contigit, nec quidquam lædit communem, totiesque laudatam unanimem consensionem, in qua Patrum aucto-

Christianus, tandem Ebionis deliria adoptavit; Theodotio primum Marcionis, dein Judæorum instituta amplexus est, testantibus Irenæo l. 3. Cap. 24., auctore Synopsis, D. Athanasio adscriptæ, necnon Eusebio l. 6. Cap. 16., ac demum Hieron. præfat. in Danielem.

auctoritas in rebus gravissimis ad Religionem pertinentibus tota sistit.

Quod autem ad Gentilium libros aliquando recurrerint, illorum pondus, auctoritatemque non minuit. Perinde enim id facere poterant, ac Divus Paullus, qui in sermone ad Athenienses habito, profanos etiam laudavit Auctores (25).

Neque vero, quos Ethnicos proferebant, eos iccirco sapientiæ, ac veræ Fidei lumine illustratos existimabant, sed mediis duntaxat in tenebris quandoque vera dixisse, quæ vulgaribus argumentis ad Christianam Religionem firmandam adhiberi solitis apposite conjungi poterant. „ Quum criticæ artis ea ætate nullus „ ferme usus esset, (inquit Tillemontius) „ eam ob rem, quæ veritati consentanea vi„ debantur, fideles æquo, ac simplici animo „ excipiebant, iisque ad refellendos Gentiles, „ apud quos id genus argumenta plurimum va„ lebant, prospero successu utebantur. *Till. hist. des emp. t. 2.*

Potior videretur esse locus exprobrandi Divo Hieronymo, quod suppositas Senecæ Philosophi ad Divum Paullum Epistolas, ut veras habuerit, atque genuinas; aliosque redarguendi, quod similia sæpe liberius in medium adduxerint, nisi persuasum omnibus foret, illos hac in re conjectura ductos fuisse, vel leviori quadam

[25] Nimirum act. 17. V. 28., ubi inquit, *sicut & quidam vestrorum Poetarum dixerunt, ipsius enim & genus sumus*, quæ verba desumta sunt ex Arato Poeta.

dam in Ethnicos indulgentia, qui pro maxima, qua pollebant, ingenii altitudine, Christianæ Fidei sublimitatem nonnihil attingere videbantur.

CAPUT XI.

Libri Ecclesiæ Patribus suppositi illorum auctoritatem nequaquam lædunt.

PLerique librorum Ecclesiæ Patribus falso adscripti adeo ab eorum mente, ac stylo abhorrent, ut ne dum utilitatem ullam adferre queant, immo a genuinis eorum operibus secerni mereantur, quæ sola æstimationem Patrum, auctoritatemque stabilire valent.

Multa vero habentur suppositionum genera. Primum eorum, qui ob quandam indiligentiam, & nominum similitudinem alicujus Scriptoris opus alteri ejusdem ætatis, pretii, atque sententiæ adtribuunt.

Alterum, quod, licet minus sincere factum videatur, humaniori tamen venia dignum est, a quibusdam Viris sanctitate præstantibus, recta cæteroquin mente usurpatum fuit, vel quo majorem operibus suis auctoritatem apud populum conciliarent, præfixis magnorum Virorum nominibus, vel quo popularem auram effugerent, vel quo demum a gravissima, molestissimaque inimicorum, quibus oppido fatigantur Auctores, invidia sese liberarent.

Vigilius

Vigilius Tapsensis refellendis Arianis, Nestorianis, & Eutychianis intentus, clarissima sibi nomina induxit Athanasii, Isacii Clari, & Augustini, qui cum iisdem Sectariis rem ante habuerant.

Atque si quis conjecturis locus est, suspicari licet, Auctorem librorum, qui Dionysio Areopagitæ dudum adscripti fuere, non alia ratione sibi clarissimum hoc nomen induxisse, nisi ut majori reverentia legerentur, indeque uberius in Ecclesiam redundaret emolumentum.

Nonnisi quodam modestiæ studio, & invidiæ declinandæ causa sanctissimus Presbyter Salvianus *Timothei*, & Vincentius Lirinensis *Peregrini* sibi nomen adsciverunt. Verum quidquid sit, in tuto manet auctoritas Patrum; neque enim in nomine sita est auctoritas, sed auctoritate potius Patrum nomen maximam in Ecclesia commendationem acquirit.

Fatendum tamen, simulatis id genus nominibus Auctorum ætatem, dignitatemque (quod apud testes Traditionis præcipue spectandum est) inverti non raro, atque confundi. Ita Symbolo Athanasii plurimum auctoritatis detrahitur, si ab eo conscriptum non sit, sed a Vigilio Tapsensi, vel a Vincentio Lirinensi, vel, quod longe pejus, ab Auctore Gallo decimi seculi, ut placet nonnullis (26).

Ioan. Antel. nov. de Symb. Athan. disquisit.

Est

[26] Videtur etiamnum dubitare Auctor operis, an Symbolum, vulgo Athanasii, ab eo conscriptam non sit. Illud quidem incertum est, obscurumque, quis fuerit

Eſt & aliud ſuppoſitionum genus, quas Novatores *pias fraudes* appellant. Originem trahunt illæ ex immoderato imprudentum quorundam hominum ſtudio, qui de Eccleſia magnopere ſe merituros, Fideique dogmata in meliori lumine poſituros eſſe putantes, cuſas in ſuis officinis orationes, inclytiſſimis illis Scriptoribus prorſus indignas, eorum operibus, vel partim, vel integras etiam quandoque inſeruerunt.

Ejuſmodi *Sycophantas*, ut eos vocant, acriter, vehementerque inſectati ſunt emunctioris naris Critici. Eraſmus præ cæteris bilem continere non potuit præfatione in Divum Hieronymum, & alibi contra quendam ejus furfuris hominem, qui minutiſſimis ſordibus conſperſerat Patrum opera, præcipue vero Sanctorum Ambroſii, Hieronymi, & Auguſtini. Eo devenerunt audaciæ (inquit Vir eruditiſſimus) ut illos inſanire non injuria crederes; ejuſmodi autem fragmenta adeo inſulſa cernens adjecta, non aliud profecto eſſe diceres, quam viliſſi-

rit illius compilator, at genuinum non eſſe Athanaſii fœtum, nullus jam ſupereſt dubitandi locus. In eo quippe Neſtorii, & Eutycheis hæreſes 60. circiter annis poſt Athanaſii mortem invecte damnantur; atque, quod magis etiam mirandum, nemo unus tanta hujuſce Symboli auctoritate uſus eſt ad refellendos Neſtorianos, & Eutychianos; quæ ſi mature conſiderentur, invicte perſuadent, Auctorem illius Symboli alium omnino eſſe a D. Athanaſio.

vilissimos pannos, detritosque, purpureis, iisdemque præclarissimis togis consutos.

Quanquam in hoc negotio culpa non vacat Erasmus, quod eam rationem obtendens, partem operum, vel etiam integros libros Patribus Ecclesiæ non sine maxima quandoque injuria surripiat. Sic Divo Basilio magnam eximii *de Spiritu Sancto* Tractatus partem detrahere ausus est; ac Divi Chrysostomi Commentarios in *acta Apostolorum* mutilavit, ejusdemque homilias in secundam ad Corinthios rejecit, ut supposititias, quum tamen genuinos ejus fœtus esse certo constet apud omnes. *Bill. Observ. Sacr. l. 1. C. 9.*

Silentio prætermittimus hoc loco aliud quoddam genus fraudis, quæ non *pia*, sed *impia* prorsus dicenda est; quum enim Hæreticos habeat auctores, a quibus plerumque vitiatæ sunt Patrum editiones, ea nos uti velle, nemini in mentem venire posse crediderim. Verum est quædam *suppositio partis*, ut Jurisperitorum more loquamur, de qua, quum valde frequens sit apud Scriptores Ecclesiasticos, pauca dicenda sunt. In eo autem sistit, quod errore Amanuensium unus, idemque liber pluribus sæpe tribuatur Auctoribus. Inde maxima in Bibliothecarum indicibus oritur confusio, quum nempe sub variis Auctorum nominibus idem opus exhibetur. Exemplo sunt *Johannes Rubus*, & *Johannes Buissonius*, qui ejusdem Harmoniæ Evangelicæ Duaci primum editæ anno 1575., duo proponuntur Auctores, quanquam utrum-

utrumque illud nomen unius, ejusdemque sit Scriptoris, Gallice *Jean du Buisson*. At si nonnihil operæ, ac diligentiæ adhibeatur, facillime id genus errata emendari poterunt; quæ cæteroquin ab auctoritate Patrum ita sunt aliena, ut non solum eam non evertant, verum ne leviter quidem labefactare queant.

CAPUT XII.

Mutationes, & errata, quæ notantur in Patribus, illorum auctoritatem nullo modo minuunt.

ETiamsi ab editionibus Patrum suppositi omnes tractatus, ut recta ratio postulat, expungerentur, iique omnes abjudicarentur, de quorum fide aliquis est dubitandi locus; qui tamen reliqui forent genuini, ad vindicandam eorum, quam defendimus, in rebus Fidei auctoritatem, abunde sufficerent.

Maxima illorum etiam Tractatuum pars, quibus nihil inest non Orthodoxum, non ita necessaria existimanda est, ut, iis seclusis, idcirco ruat Religio. Quamobrem modo concordem, atque unanimem priscorum Patrum consensionem constanter tueamur, cætera ut-

cunque

cunque utilia videantur, sine ullo prorsus periculo præteriri possunt.

Non illud sane dolendum, quod celeberrimi illi Doctores externis ejusmodi ornamentis exuantur, sed quod tot, ac tantas passi sint bonorum suorum jacturas, operum videlicet præstantiorum, e quibus ad defendendam contra calumnias, atque profanas Hæreticorum novitates Ecclesiam quamplurimum præsidii peti potuisset.

Maxima enim ab iis utilitas percipi posset, ut eorum, quæ supersunt, errata emendarentur, suumque in locum restituerentur ea, quæ desiderantur, vel ob amanuensium incuriam, vel propterea quod Patres non in omnibus quæstionibus parem adhibuerint perspicuitatem.

Interim vero perniciosissimam tot librorum jacturam, qui superstites evaserunt, & in omnium usu versantur, lenire quodammodo, ac resarcire videntur. Quanquam enim Deus O. M. Pastorum Scripta singulari providentia servaturum se non promiserit Ecclesiæ, ita tamen eam impense diligit, ut ad ejus doctrinam, & traditionem tuendam necessaria amantissime servaverit.

Quamobrem permultæ licet factæ jacturæ in causa esse non possunt, cur adversarii Patribus Ecclesiæ tanquam erronibus Fidem habere detrectent, utpote quod tam certa, ac stabilis auctoritas a nonnullis operibus injuria temporum amissis haudquaquam pendeat. Alio-

quin

quin nec ipsi Scripturæ Sacræ, (quod absit) sua constabit auctoritas, quum hodiernis temporibus complures illius libri desiderentur.

Perierunt libri Bellorum Domini, atque Justorum; Prophetarum Nathanis, Gaddi, Semejæ, Addo, Ahiæ, & Jehu; liber etiam parabolarum, & gestorum Regum Israel; liber Samuelis, oratio Osai, necnon orationes Osiæ ab Isaia conscriptæ, tres etiam mille Salomonis parabolæ, incredibilis numerus Canticorum, & plura volumina de virtute plantarum, & animantium; item descriptiones Jeremiæ, & Prophetia Jonæ, ut missa faciam Commentaria Johannis Hyrcani, & libros Jasonis, quæ omnia Divino aflante Spiritu fuerant exarata.

Quæ, quum ita sint, quis nobis Scripta Patrum, longa temporum serie deleta adhuc opponat? potiori multo ratione objici possent errata, quæ in illorum operum editiones irrepsere, quibusque genuinus sensus omnino turbari videtur. Verum & illud minus firmum est, quam, ut auctoritatem Patrum evertat, quum paria non desint errata in ipso Sacrarum Scripturarum codice, quem unicam fidei suæ regulam sequuntur Hæretici.

Deinde rarius fortasse lapsi sunt, quam vulgo creditur, qua de re nec ipsos inter adversarios convenit, & illorum alii quædam excusant, vel etiam approbant, quæ ab aliis condemnantur. Sæpius malum ipsum augetur parum

parum intento animo, doctrinæque, atque experientiæ defectu; quum illi, qui criticen factitant, accuratam styli, usus, & doctrinæ Patrum cujusvis sæculi cognitionem adepti quandoque non sint.


Absolutissima istarum omnium rerum non præhabita notione, difficile admodum quis errorem vitabit in restituenda exemplaribus prisca integritate. Maximi tamen momenti habendum id est, quippe quum sine ullo plerumque delectu fidem adhibeat quisque illis, qui castigatissimas editiones vulgare profitentur.

Eo nostra hac tempestate præstamus Antiquis, quod licet contentam in operibus Patrum puritatem affatim non assequamur, propter maximam tamen, quam sapientiores Critici quotidie adhibent, industriam, ad eam propius accedere liceat, adeo ut nullus amplius querendi locus sit adversus temporum injuriam, vel amanuensium negligentiam, qui turpiter ea corruperint. Quamobrem consentaneum magis est, tot doctissimorum Virorum laboribus tranquille frui, quam de quisquiliis vitilitigare, atque propter futilissimas nugas auctoritatem Patrum discrimini committere, quæ aliis omnino fundamentis nititur, quam Grammatices, & humanarum scientiarum, utpote quæ illi famulari quidem, nullatenus vero dominari debent.

Cæterum, quæ de auctoritate Patrum hacte- nus usque disseruimus, non eo animo dicta sunt, ut contentiones, & jurgia excitentur, sed ut illa majori in lumine collocetur, aperteque, ut par est, omnium oculis pateat, qui vete- rum Doctorum Scripta legere adgrediuntur, vel ad proprios mores instituendos, vel ut laborum suorum, ac vigiliarum fructus in vulgus proferant.

FINIS

PRIMÆ PARTIS.



DE

DE OPTIMA
LEGENDORUM ECCLESIÆ PATRUM
METHODO.
PARS SECUNDA
De rebus neceſſariis ad Eccleſiæ Patres utiliter legendos.
CAPUT I.
Qua mente legendi ſint Eccleſiæ Patres; quæve res poſtulentur ad eorum intelligentiam aſſequendam.



URE apud omnes receptum eſt, ut eadem, qua ſcripta ſunt, mente Patrum opera omnino legantur. Quiſquis ab optima, notiſſimaque hac regula diſcedit, genuinum rei ſenſum turbabit, eoque longius a forma veritatis aberit, quo confidentius erroribus depravata via progredietur.

Prudentem lectorem, qui de *Cedrorum medulla*, ideſt Eccleſiæ Patrum doctrina cibum Ezech. c. 17.

ſumit

ſumit, in legendis eorum Scriptis charitate in primis, humilitate, rectaque mente inſtructum eſſe oportet; quæ ſi deſint, ſtudia omnia, quanquam ſpecie tenus ſanctiſſima, profana prorſus evadunt, omniſque Religionis expertia. Neque vero hæc omnia, licet præſtantiſſima, ſatis ſunt, niſi res aliæ comitentur, tum naturæ beneficio, tum labore, ſtudioque comparatæ.

Miranda quidem Deus efficere poteſt, efficitque nonnunquam; verum conſueta agendi methodo ineptis ſcientiæ donum haudquaquam largitur. Quamvis enim Chriſtus Servator, quo ſuam in Evangelii inſtitutione omnipotentiam manifeſtam faceret, rudes, atque ignaros homines primos conſtituerit Eccleſiæ Doctores, progreſſu tamen temporis præſtantiſſima ingenia, & ſapientiſſimos totius orbis Viros elegit, qui populi ſui curam gererent, Patrum partes, atque Paſtorum implentes.

Atque iſtud, quæ ſuperſunt eorum opera ſatis teſtantur, in quibus, vel mediocri judicio quiſque facile noſcit una cum cœleſtibus gratiæ beneficiis artem, & naturam feliciter conjunctas eſſe. Luderet ergò, qui omnis ingenii, & intelligentiæ expers, ad Eccleſiæ Patrum lectionem ſeſe conferret; nam eſto, dixerit Chryſoſtomus, multum differre Sanctorum opera a Scriptis Philoſophorum, quæ niſi perſpicaciſſimus, ſapientiſſimuſque aſſequi nemo valet, procul tamen dubio magna in primis ingenii amplitudine lector pollere debet, qua

notiones

notiones in Patrum operibus incredibili numero eontentas complectatur; fortis insuper sit, atque magnanimus, ut ferendo eruditionis Ecclesiasticæ ponderi parem se præbeat; acer judicio, ne a proposito sibi fine aberret; leni, atque tractabili ingenio, ut auctoris sui mentem percipiat; solers, & industrius, ut omnes ejus gressus sequatur; rectus, & constans, ne ab ejus mente abludat; perspicax, & intelligens., ut res funditus introspiciat; acutus, ut ad finem usque pertingat; prudens, ne ab illo excedat; exquisitissimo judicio, ut negligenda prætereat, expendenda vero non omittat; laboris, ordinis, & consilii amans, nec prævia erroris opinione imbutus, ne contra res, vel contra Viros propriæ sententiæ pertinacem se præbeat,

Nihil præterea illorum ignoret, quæ ad auctores, quibus præcipuam operam navat, referri possunt: calleat linguas, criticen, philosophiam, historiam, leges divinas, humanasque, ac persuasum habeat, ad dilucidandas scientias, omnium aptissimam, tutissimamque viam esse scientias alias adhibere.

Atque hæc regia illa est via, qua celeberrimi Scriptores eo laudis, &' gloriæ pervenerunt, ut vetustos Auctores tenebris consepultos, & pulvere pristino splendori restituerint. Hæc semita est omnium rectissima, eademque tutissima, qua magnus Onuphrius Panuinus dignus sane, qui *parens historiæ* vocaretur, in altissimam sese insinuavit antiquitatem, atque incly-

inclytissimus Baronius annalium Ecclesiastico-rum eruit fundamenta, ac plurimi demum doctissimi Interpretes antiquos Ecclesiæ Patres illustrarunt.

Scientiæ omnes arctissima secum invicem connexione junguntur, mutuam sibi ferunt opem, & lucem, atque remotissimis sæpe rebus elucidantur proximæ, quæ funditus cæteroquin dignosci non possent. Sic Geometria Villalpandus ad Scripturarum Sanctarum explanationem commode usus est; sic Valesius doctissimus Medicus Hispanus ex Physices elementis ea, quæ in Sacris literis ad rerum naturalium ordinem spectant, explicuit; sic Levinus Lemnius allegorias Scripturæ ab arborum, & plantarum natura depromtas ex scientia Botanices exposuit.

Ep. 1. De doct. Christ. lib. 2. Cap. 6. Hieronymus, & Augustinus explanandis Sacris literis Mathematicam prodesse fatentur. Nonnulla sunt, quæ ex elementis Astronomiæ finit Ecclesia; quod liquido ostendunt Concilia, Nicænum (1), Constansiense, Basileense, & Decretum sæculo proxime superiori latum a Gregorio XIII. circa reformationem Kalendarii Romani.

Eadem ratione notitia Geographiæ, & morum, qui apud varias vigent Nationes, altissimis, atque sanctissimis studiis lucem præbent ab accurato lectore non contemnendam. „ Nonnulli Theologi paullo fastidiosiores (ut ait „ præclare D. Simon) quorum mos est, quid-

Re-marq. sur le voyage de Dund.

quid

[1] In quæstione de tempore celebrandi Paschatis.

„ quid itineris nomen præfert, parvi pendere, „ præclara inde duci posse subsidia attendere „ deberent ; atque itinera , præcipue vero „ Orientalia ad superandas difficultates, quæ „ in Veterum historiis, immo etiam in Scrip„ turis Sanctis occurrunt, plurimum conferre.

Recens quidam Scriptor (2) computatione temporum ex rerum Sinensium narrationibus sumta, ad defendendam Græcorum septuaginta contra Hebraicos Codices Chronologiam peropportune usus est. Multa quoque reperiuntur in itineribus Olearii, Petri Vallensis, & aliis notatu digna , aptissimaque ad reconditiores Sacræ Historiæ sinus aperiendos.

Cardinus Eques , Viator celeberrimus adfirmat, plurium Scripturæ locorum intelligentiam ex Regionum Orientalium notitia pendere. „ Quum enim in ea mundi parte totius Sacræ „ Historiæ series perfecta fuerit, atque Divi„ nus hic liber ad Orientalium morem con„ scriptus, figurisque ornatus sæpe sit, probe „ iccirco intelligi nequeunt, quæ narrantur , „ nisi ante innotescant res, e quibus eæ figuræ „ petuntur ; cujus generis sunt proprietates „ naturales , ac consuetudines Regioni peculiares.

Journ. des voyag. du Chev. Chard. pref.

[2] Nimirum *Pezronius* Cisterciensis Monachus , qui etiamsi non ita opportune usus sit supputatione temporum , ex rerum Sinensium narrationibus sumta, ut suam contra Hebraicam computationem sententiam omnibus persuaserit ; satis tamen felici successu id præstitit, ut magnam eruditissimi Viri existimationem apud omnes sibi compararet . Eum vero validissime refutarunt *P. Martianay* , & *P. Le-quien.*

„ liares. Cognitionis istius defectu plerosque „ Scripturarum Interpretes asserit, iis uti lo„ cutionibus, quæ, quum locis, in quibus „ res gestæ sunt, non congruant, Textum „ perturbant, ac sensum sæpe reddunt obscu„ rum; eandemque ob caulam, qui commen„ tarios scribunt, in turpissimos errores labi, „ atque ita plerumque scribere, ut potius di„ vinare, ac vadum tentare videantur.

Utinam inclytus iste Viator fidem liberasset suam, scilicet commentarios edidisset in Orientalium consuetudines, quæ ad Scripturam referri possunt. Ut enim præclare addit „ non „ eadem est in Asia, quæ in Europa, consue„ tudo vestium, ædificiorum, hortorumque „ formam perpetuo mutandi. Orientis incolæ „ veterum Institutorum tenacissimi sunt; ea„ dem ratione secantur hodie, qua antiquitus „ vestimenta; quod fidem facere videtur, in „ ea mundi parte eandem vigere etiamnum „ externam rerum speciem, mores, & con„ suetudines, quæ ante bis mille annos, si „ nonnulla (numero sane pauca) excipias, „ quæ mutavit religio.

Etsi parum adfinitatis habere videantur id genus scientiæ cum Sacris Codicibus, sine illarum tamen præsidio nemo eos perfecte assequi valet. „ Non multa adjiciunt, sed æque „ non erit totum, cui vel parva deerunt „ Itaque perfectam Patrum notitiam non acquiret, qui omnigena eruditione instructus non sit. Quam ob causam impense nos monent Institutores,

ut

ut exiguis etiam, minutisque studeamus; nam quo uberiori quisque cognitione præditus est, eo facilior ad scientiam aditus illi patet, quum nulla sit, vel parva scintilla, quæ maximam incendii lucem proferre non possit.

CAPUT II.

De varietate Linguarum, earumque in optimis studiis usu.

ANteaquam Babelicæ Turris fastigium in Cœlos efferre adgrederentur homines, universum genus humanum *erat labii unius, & sermonum eorundem.* Verum orta inter eos dissensione, communis lingua multiplices loquendi formas accepit, vel in tot, tamque varias dialectos divisa est, & literarum pronunciationes adeo diversas, ut homines, velut externi, nulloque societatis vinculo conjuncti, sese invicem non intellexerint, & propterea divisi, in varias terræ partes abjerint. *Gen. Cap. 11.*

Neque vero hic malorum finis fuit: nam ex illis primigeniis linguis incredibilis aliarum numerus ortus est, quas novæ exceperunt; quum minima, vel fere nulla varietas summas hac in re mutationes, atque innumeras obscuritates adferre valeat, quarum rationem si quæsieris, nunquam invenies; nisi (quod longe difficillimum est) plures invicem linguas, ne ipsis quidem rusticanis sermonibus

exceptis,

exceptis, invicem conferre, ac singula illarum verba colligere, & adamussim expendere velis.

Interea hæc linguarum diversitas, quæ tantopere viget in Orbe, omnium maxima calamitas est; quum civili, ad quam nati sumus, societati, infensa omnino sit, atque inimica; facilius enim homines belluarum convictu utuntur, quam hominum, quorum sermonem exploratum non habent. Verum, quum ita sint animo comparati, ut ubique gloriam captare studeant, omnem in eo collocant operam, ut maximam hanc turpitudinis notam in ostentationis argumentum convertant. Suam quæque Natio linguam vehementer deperit. Summo cultu prosequitur, omnesque industriæ nervos intendit, ut eam modis, numeris, suavissimisque veneribus exornet. Constitutæ dicendi leges apud plerosque tanta religione servantur, ut divinas, humanasque violare malint, quam illas vel leviter infringere, atque tyrannicus pro libito linguarum usus confictus est, quem cæco impetu sequi, invito etiam sano sensu, rectaque ratione quisque gloriatur.

August. de Civ. lib. 19. c. 17.

Victores populi maximæ sibi laudi duxerunt victis, subactisque linguæ suæ usum, & communionem imperare, atque omnis Regio, sicuti quævis ætas, complures homines effudit, qui ad linguarum studium se totos contulerint, nec aliud plerumque emolumentum perceperint, quam magnam verborum scientiam, rerum autem fere nullam.

Varia

Varia isthæc verborum permixtio imbecillium oculos capit, atque delectat. Verum sapientes, ac bene cordati, quum probe intelligant, quantum humanæ societati, ac scientiarum acquisitioni adversetur linguarum varietas, communem iccirco totius Orbis Nationibus linguam, qua in unum cogi possent, exemplo primævæ institutionis esse stabiliendam existimant.

Qua re motus Cartesius, linguæ universalis usum cogitavit, proposuitque, cujus aliquod specimen dedit Wrenus Auctor Anglus, parum prospero eventu. Aptissimus esse videretur latinus sermo in universa jam Europa receptus: verum, etsi Asiam inter, Africam, & Americam de eo conveniret (quod sane credibile non est) bene multæ reliquæ forent difficultates, quæ superari non possent; qua de causa æquo, vel iniquo animo veteri subeundum est jugo, & opportunis, qua fieri potest, rationibus leniendum potius, quam acriori intolerantia detrectandum (3).

Vie de Descartes 2. p. c. 8.

Gravius quidem, ac difficile linguarum studium; attamen qui Christi religione ducuntur, plurimum inde promereri queunt; ad illud enim impellunt nos, acerrimeque movent seu pietas

[3] Mirum profecto est ulli mortalium in mentem venire potuisse hujusmodi consilium, quod adversatur omnino summæ Dei providentiæ, contra quam *non est sapientia, non est prudentia, non est consilium*, Prov. 21. ℣. 30.

pietas, & cultus verbi Dei, quod absque hujusmodi præsidio nemo probe perspectum habet; seu flagrans pœnitentiæ studium, sanctissimi cujusdam Viri (4) exemplo, qui Hebraicam linguam ediscebat, quo felicius domitas haberet libidines; seu demum (quod longe præstantissimum est) charitas, atque voluntas de Ecclesia benemerendi.

Divus Paulus gratias agit, quod omnibus auditorum linguis loqueretur. Origenes annos natus triginta, ad Divinæ linguæ studium animum convertit. D. Hieronymus Occidentis Origenes, Græcum, Latinumque sermonem adprime doctus, quatuor usus est Magistris, a quibus Hebraicam, & quinto, a quo Chaldæam linguam compararet, non erubescens, ut ait ipsemet, in hac lingua fieri auditor, quum in cæteris omnibus foret præceptor.

Augustinum rerum æstimatorem æquissimum, & probandæ quavis occasione veritatis studiosissimum, toto vitæ suæ cursu pœnituit, quod linguas Orientales non didicisset; quamvis enim existimaret utilius interpretari Scripturas, quam scire linguas, norat tamen optime unum sine altero consistere non posse, atque in Ecclesiæ Doctore linguarum, & interpretationis scientias conjunctas esse debere.

In suis etiam confessionibus idem Ecclesiæ Doctor peccati se insimulat, quod a prima ætate Græcæ linguæ studium neglexerit. Et sane

[4] Nimirum D. Hieronymi.

ſane in doctiſſimo Auguſtino deſiderari peritia iſthæc videbatur. Ad eam niſus eſt provectiori ætate; ſed ita parum felici ſucceſſu, ut fateatur ipſe in libris *de Trinitate*, & *contra Petilianum*, nec loqui, nec ſcribere ſe Græce poſſe, atque, quod ejus linguæ norat minimum eſſe, ac fere nihil. „ Ego quidem (inquit) „ Græcæ linguæ perparum affecutus ſum, & „ prope nihil. „ Tantum nihilominus in hoc ſtudio profecerat Auguſtinus, ut Græcos legeret Auctores, ſiquidem teſtis eſt ipſe in epiſtola ad Audacem 261. novæ editionis; „ Pſalterium a Sancto Hieronymo translatum „ ex Hebræo non habeo; nos autem interpretati ſumus, ſed Codicum latinorum nonnullas mendoſitates ex Græcis exemplaribus „ emendavimus, unde fortaſſis fecerimus aliquid commodius, quam erat, non tamen, „ quale eſſe debebat; nam etiam nunc, quæ „ forte nos tunc præterierunt, ſi legentes moverint, collatis Codicibus emendamus.

D. Thomas Scholarum Angelus, Græcæ linguæ ignoratione laboravit, quod tamen ejus incuriæ tribuendum non eſt, ſed ignorantiæ, ac feritati ſui temporis, quo Græcus ſermo res omnium monſtroſiſſima habebatur, a qua ſibi omnes, veluti a ſcopulo cavere deberent; *Græcum eſt, non legitur*.

Neminem latet, quantum perturbationis attulerit præſtantiſſimis Eccleſiæ Latinæ Doctoribus octingentorum, vel nongentorum, quibus viguit, annorum ſpatio Græci ſermonis

 igno-

ignoratio. Concilii Francofordiensis Patres, quum propriam, legitimamque vocum significationem non intelligerent, quas adhibuerant Græci ad exprimendum genus quoddam adorationis dictæ προσκύνησις, illius, quæ soli Deo exhibetur, omnino dissimilis, præpostero quodam studio definitionem secundi Concilii Nicæni de Sanctarum Imaginum cultu exploserunt.

Equidem Patres Francofordienses (5) Latino hujusce Concilii actuum exemplari decepti

[5] Patres Francofordienses errore facti laborarunt in hac quæstione [ut censent eruditissimi Viri Baronius, Bellarminus, Perronius, & alii] nec satis perspectam habuerunt Synodi septimæ sententiam: quod indicant verba secundi Canonis ab iis Patribus sanciti: „ allata est (inquiunt) in medium quæstio de nova Græcorum Synodo, in qua scriptum habebatur, ut qui Imaginibus Sanctorum, ita ut Deificæ Trinitati, servitium, aut adorationem non impenderent, anathema judicarentur. „ Hic autem error facti inde ortum habuit, quod Patres Francofordienses magis animum adverterint ad Constantini Metropolitani in Cypro Episcopi professionem, in Latina interpretatione corruptam, quam ad definitionem Concilii. Sejunxerat enim Constantinus adorationem, quæ soli Deo, ab illa, quæ Imaginibus exhibenda est; interpres autem utramque inconsiderate conjunxit, atque confudit.

Præterire tamen non possum, non eandem fuisse Patrum Francofordiensium, cunctorumque illius ævi Antistitum Gallicanorum sententiam cum Patribus Nicænis de cultu Sacris Imaginibus exhibendo. Etenim Patres Nicæni Sacras Imagines colendas esse decreverant; Francofordienses vero damnabant quidem Iconomachos, qui eas comburebant, at colendas tamen non esse putabant, sed in Templis solummodo servandas, quo rudes, & ignari Fideles facilius

cepti sunt; at si Græcæ linguæ cognitione non caruissent, Latinum cum Autographo exemplari conferentes, erratum facilius potuissent emendare. Neque enim eos præteriisset maximum discrimen, quod Constansiensis in Cypro Episcopus Constantinus, suam eidem Concilio professionem exhibens, apponit inter adorationem, quæ Imaginibus, & eam, quæ soli Deo debetur.

Nossent utique verbum προσκύνεω a Patribus hujusce Concilii, quod est inter Oecumenica septimum, ad simplicem potius venerationem, quam ad veram adorationem exprimendam usurpatum, exemplo septuaginta Interpretum, qui in Hebraici Textus interpretatione discrimen illud satis ostendunt. *Vid. Simon. not. ad Apolog. Eccles. Orient. Gabr. Philadelph.*

Quod etiam Græcis Latini exprobrarunt, eos *Oblata* prius adoratione prosequi, quam consecrarent, statim ac nimirum in *Prothesi* afferuntur ad Altare Sacrificii, id nonnisi ex Græci sermonis imperitia fecerunt, ac propterea quod, quum Græcorum Ritualia legerent, percipere non possent, verba προσκύνεω, & προσκύνησις latiori hoc in loco sensu sumi, quam ubi de adoratione ineffabili Trinitati exhibenda.

Uno verbo dicam, liquido constat altissimam ignorantiam, in qua primævi Scolastici,

necnon

cilius instruerentur, & ad pietatem, atque virtutem excitarentur. Constant hæc tum ex eodem Conc. Francofordiensi, tum ex libris Carolinis, cum præcipue ex Concilio Parisiensi anno 825.

necnon Recentiorum nonnulli versati sunt de Græcorum ordinationibus, non aliunde, quam ex illorum linguæ ignoratione ortam fuisse.

CAPUT III.

De linguis ad perfectam Patrum intelligentiam assequendam necessariis, ac primo de Lingua Hebraica.

Sæc. lec. Tom. 1. DIvus Augustinus in eximio opere *de Doctrina Christiana*, quod „ absolutissimam „ continet „ Theologi institutionem „ linguarum Hebraicæ, Græcæ, & Latinæ studium, & scientiam magnopere commendat.

Omnes Ecclesiæ Patres Græce, vel Latine scripserunt, si excipias Sanctum Ephrem Diaconum Edessenum, Barcepham Episcopum Syrum, aliosque paucissimos, qui, quum Arabice, Syriace, vel Æthiopice scripserint, Græce redditi sunt, nec ultra lingua apparuerunt primigenia (6), nisi in aliquot insignibus Bibliothecis, qualis extat Lugduni Batavorum, ubi hæc antiquitatis fragmenta servantur. Negari tamen

[6] Post Auctoris tempora Syriaco, Latinoque sermone editus est S. Ephrem opera, & studio eruditissimi D. *Asseman*, cui hanc Provinciam demandavit Eminentissimus Cardinalis *Quirini*. Est autem illa omnibus numeris absoluta.

tamen nequit, Hebraicæ linguæ cognitionem legendis Patribus esse necessariam propter Sacram Scripturam, cujus Textum antiqui Doctores verterunt, editiones emendarunt, ac literam explanarunt.

Primævos hosce Criticos nemo, uti par est, intelliget, qui Hebraicis literis plusquam mediocriter eruditus non fuerit; immo etiam aliquam calleat ex illius linguæ dialectis, ut existimat eruditus quidam Scriptor, qui perfectam, absolutamque Græci Synagogæ sermonis, quem septuaginta Interpretes, & novi Testamenti Scriptores adhibuerunt, intelligentiam ab eo, qui Syriace nesciat, haberi non posse censet.

Græcus septuaginta Interpretum sermo, si verba solum spectes, Græcus quidem est; sin autem locutionem, ordinem, atque dispositionem, Hebraicus, vel Chaldaicus, ut doctissimi sentiunt æstimatores. Ludovicus Capellus animadvertit, Græcis vocibus barbaras etiam admixtas esse, & a septuaginta Interpretibus proprio marte confutas: „ Quis nescit (inquit) „ verba quidem esse Græca, immo plurima „ esse non Græca, sed barbara ab ipsis effi- „ cta; alia Græca quidem, at non ejusdem, „ quam apud Græcos, significationis? „ Non illa tamen laudatis Interpretibus ignaris exciderunt, sed ideo ab iis factum est, ut Ethnicorum ingenio, & stylo sese accommodarent, quos informare in animo habebant.

Resp. ad dissert. art. 24. de sept. Edit.

Levissimis etiam rebus detinetur, qui linguas ignorat. In nonnullis, e. g. Divi Hieronymi operum editionibus Hebraici passim occurrunt characteres, atque, ut res aliter sese habeat in Autographo hujusce Patris exemplari, qui Latinis characteribus Hebraicum Bibliorum Textum exscribebat, ad eorum tamen, quæ leguntur, intelligentiam, etiamsi characteribus in margine appositis contentus sis, Hebraicarum literarum subsidium invocandum erit, alioquin Latinorum characterum ope verba quidem facilius legere, at nusquam intelligere poteris.

Antiquissimus mos est vulgaribus literis exscribendi, quæ primitus Hebraice, vel Græce scripta sunt. Novi Testamenti Scriptores, & Græci Patres Hebraica, vel Syriaca Scripturæ verba Græce descripserunt. In Hexaplis Origenis Codex Hebraicus non Hebraicis solum, verum etiam Græcis characteribus est exaratus; atque Makercus librum Psalmorum, Hymnorumque anno millesimo centesimo quinto Latinis literis scriptum se vidisse testatur. Quamobrem reprehendenda non est illorum ratio, qui in editionibus Patrum Hebraicis Latinos characteres adjiciunt, quum & Veterum nitatur exemplo, & plurimum adferat utilitatis.

Media literarum ætate linguarum Orientalium studia jacuerunt, atque experientia compertum est, non inutiliter labente penultimo sæculo Græci sermonis studia instaurata fuisse,

Hebraici

Hebraici vero sæculo proxime sequenti; ac demum, labente hoc ævo, Arabici suscepta; qui, quum amplissimam habeat regionem, ad percipienda quædam eruditionis arcana, quæ ex sapientis Græciæ reliquiis Arabes collegerunt, plurimum confert.

Revera si quid est honorificum Galliæ, quove optima ingenia ad linguarum studia excitari debeant, illud profecto, quod scriptum reliquit *Colomiez* in opere *de Gallia Orientali*, in quo centum quinquaginta Gallorum exemplo ab Arnalgandi Medicinæ Doctoris, imperante Philippo Bono, temporibus, usque ad Achillem *de Arlay*, *de Sancy* Constantinopolim a Ludovico XIII. legatum perspicue probat, quantum laudis in hoc insigni studio inclyta nostra gens sibi valeat comparare.

Novatores quidem reflorescentium in Europa linguarum Auctores haberi vellent; verum fateantur oportet hac in re, si quid præclari sciunt, Catholicis Romanis acceptum referendum esse, qui eorum institutores fuerunt, atque uberrimi fontes, e quibus quidquid optimum habetur hodiernis temporibus, quidquid perutile in linguis Orientalibus, manavit, & fluxit.

Sim. Rep. à quelqu. Theol. de Hall.

Neque vero inficias ibo, Revelinum, quem plures credidere Lutheri sectatorem, unum e principibus postremi sæculi Viris fuisse, qui Hebraicæ linguæ scientiam cumulatissimam habuerint. Verum non unus fuit Revelinus in ea celebranda; plurimum etiam opis tulit Picus

Miran-

Mirandulanus, ut Hebræarum literarum cultus per totum Occidentem diffunderetur. Ante præſtantiſſimos hoſce Viros floruerunt identidem laborioſi homines, qui ſe ad hæc ſtudia conferrent, ſed abſimili prorſus ratione, qua poſtremis temporibus, quibus, quum perſuaſum eſſet Criticis totam Occidentis doctrinam ab Oriente repetendam, omni ſtudio niſi ſunt, ut ejus linguæ peritiſſimi evaderent, qua in doctrinæ cognitionem venirent, quæ noſtræ baſis eſt, ac fundamentum.

CAPUT IV.

De neceſſitate Linguæ Græcæ ad Eccleſiæ Patrum intelligentiam.

QUI linguam Hebraicam negligunt, magno deſtituti ſunt præſidio ad intelligendos Eccleſiæ Patres, qui in commentariis ſuis, atque diſputationibus ad Hebraicum Codicem, & Judæorum eruditionem ſæpe recurrunt, ut nodos e multiplici forma Linguæ Sanctæ, quæ locupletiſſima eſt, ſubortos ſolvant, expediantque.

Verum, quum non omnes ampliſſimo ſint ingenio, ii, quibus Hebraicos adire fontes non licet, Græce ſaltem, Latineque ſciant, oportet. Haſce linguas ſi tollas (ait Voſſius) actum eſt de notitia antiquitatis, cuncta pereunt, ac ſcientiæ oblivione ſepultæ jacebunt,

Iſ. Voſſ. ad objeſt. nuper. Crit. Sacr.

bunt; quidquid enim ſtudio comparari poteſt, apud Græcos, Latinoſque Scriptores continetur.

Eruditus quidam Scriptor nuperrime ſe ab altero non indocto accepiſſe adfirmat, intellectum non iri Patres Græcos ab eo, qui ſeptuaginta, Homerum, ac Demoſthenem autographa lingua non legerit. Hiſce fortaſſe addendum Iſocratem ſuadent Eraſmi argumenta. Aſt (ut verum fatear) inter profanos Scriptores ex Homero præ cæteris utilitatis, atque præſidii redundare plurimum poteſt, tum quod vel unus ipſe voces omnes, atque dialectos contineat, tum quod „ Græcæ linguæ regula, & „ exemplar haberi debeat.

Mabill. Etud. Monaſt.

Mess Grec.

Græcorum Patrum Politiores exempla ſecuti ſunt Græcorum Auctorum, qui ad Sacros Codices ſeſe ipſi compoſuerant. Multa eſt, inquiunt Critici, Græcos inter Auctores, Sacroſque Scriptores ſtyli ſimilitudo; eadem apud Homerum, Herodotum, Hyppocratem in rerum narratione ſimplicitas; Solonis Elegiæ ad cohortationem Moyſis, ac Prophetarum plurimum accedunt. Eadem ſe prodit in tragicis Choris, & Pindaro, quæ in Canticis, vis, atque varietas. Græcorum elegantia, orationis ornamenta, omnis demum illorum eloquentia ab Hebræis deſumta eſt, quum illorum tempore Græci literarum imperiti adhuc forent, ſubagreſtes, & barbari.

Græcus antiquitus ſermo valde communis fuit. Ab Alexandri Magni temporibus pervaſit in omnes Orientis Provincias, quæ illius armis ceſſerunt, & Imperio ſubiectæ fuere. Ægyptii Græce loquebantur, ac præcipue in Alexandria, ubi eadem lingua utentes Judæi, *Helleniſtæ* dicti ſunt, ut ab Hebræis colentibus Paleſtinam, Syriace, vel Chaldaice loquentibus diſtinguerentur.

Per univerſum Romanum Imperium Græcus ſermo obtinuerat, atque Romani pueros ſuos Athenas mittebant, ut una cum Philoſophia, cæteriſque ſcientiis, Græcæ linguæ puritatem ediſcerent. Semigræcos vocat Romanos Svetonius, additque „ Ciceronem ad Præturam „ uſque Græce declamaſſe.

De Illuſtr. Grammat.

Idem mos convaluerat in Africa, & Galliis; ſunt etiam, quibus placet & hodie in Morea *Neapolim* inter, ac *Monembaſim* quatuordecim Civitates extare, quarum incolæ, vulgo dicti *Zacones*, veteri Græco ſermone utantur, qui a Grammaticali plurimum diſtat, quin tamen impedimento hoc illis ſit, ut Græce ad Grammaticæ regulas loquentes intelligant.

Brerewood de la diverſité des langues.

Primævi Romæ Epiſcopi Græce ſcripſerunt. (7) Canones Apoſtolis adſcripti, Conſtitutiones

[7] Sic Divi Clementis Epiſtolæ ad Corinthios Græco ſermone ſcriptæ ſunt; cæterum autem, ſi hunc Summum Pontificem origine Græcum excipias, difficile admodum erit alia hujus rei proferre exempla, longeque vero ſimilius eſt, Romanos Pontifices Latine potius, quam Græce ſcripſiſſe.

tiones Apostolicæ, ac quidquid demum in Romana Religione antiquius, & augustius, Græcis literis consignatum est, quæ apud præstantissimos Viros magno semper fuerunt in honore.

Et sane singularis nitor, suavitas, atque politiores dicendi veneres pulcherrimo huic, locupletissimoque sermoni peculiares sunt. Latinum arbitratus est Cicero uberiorem; verum dissentiunt Lucretius, & Quintilianus, necnon Gregorius Nazianzenus, qui, quod ad res Theologicas spectat, plures in Latina lingua desiderari voces asserit, quibus Græcorum vis, nervusque perfecte reddatur. Revera existimant eruditi Viri, verborum magis inopem esse Latinam, quam Græcam, atque iccirco Latini eidem sæpe verbo plures notiones subjungere, atque etiam varia elocutione, vel verborum connexione, quod novas difficultates parit, supplere coguntur.

CAPUT V.

De necessitate Linguæ Latinæ ad intelligendos Ecclesiæ Patres.

AD Latinum sermonem quod attinet, quum quinque, vel sexcentum annis, valde angustis Regionibus circumscriptus fuerit, ope commercii, & Romani Populi, Coloniis adjuvantibus longe, lateque diffusus est,

vel,

vel, si magis Divi Augustini conjectura placet, illud Romanorum ambitione factum fuit, & summa cupiditate, cæterarum Nationum non modo fortunæ, sed & linguæ dominandi, eo vel maxime, quod leges omnes, quibus Imperii Provinciæ regebantur, exceptis municipalibus lingua indigena exaratis, Latine descriptæ forent.

Imperante Augusto, Hispani, Galli, Populique Pannoniæ loquebantur Latine; postea eidem linguæ assueverunt Angli, ac demum ejus usus invectus est in Illyriam, pervasit Septentrionem, iterumque, trajectis maribus, ita invaluit in Africa, ut ab ipsis etiam incunabulis addisceretur „ Inter blandimenta nu„ tricum, & joca arridentium, & lætitias al„ ludentium „ ut inquit Augustinus in lib. *Confessionum*. In Græcia duntaxat, & Asia parum incrementi cepit.

Varias Latinæ linguæ ætates distinguit Vossius; puerili, sub ditione Regum Romanorum balbutire cœpisse; juvenili, sub Consulibus plus ubertatis, leporis, ac virium adeptam; firma vero ætate, sub imperio primorum Cæsarum ad summum perductam fuisse; sed temporis successu, iterum gradibus delapsam, plurimum elegantiæ, atque sinceri candoris amisisse adfirmat.

Et sane ea est linguarum natura, ut primum in lucem prodeant, & formam qualemcunque subeant; deinceps post multas adhibitas curas in clarissima luce versentur, ac demum fœda-

tæ,

tæ, permixtæque, novis linguis originem præbeant, quæ, quum nihil commune habeant cum fonte suo, nisi perobscuras ethymologias, atque radices implicatissimas, Criticorum, Grammaticorumque ingenia summopere torquent.

Ingenti servorum multitudine, cæterarumque Nationum irruptione, ac prava pronunciatione Latinus sermo paullatim corruptus intercidit. Ætate jam sua conqueri cœpit Cicero de Italorum pronunciatione; Brerevoodus fœdissimo huic vitio imperfectarum, quæ Latinam consecutæ sunt, linguarum originem assignat. Revera ita linguarum naturæ conveniens est pronunciatio, ut vel non accurate servata maximam, judicio saltem aurium, varietatem inducat.

Tanta olim sollicitudine hæc sermonis pars observabatur, ut qui in ea peccarent, barbari traducerentur. Atque hoc illud est, quod adfirmat Strabo, *barbaros* primum dictos, qui *Lib. 14.* balbutiebant, postea vero ad illos usque translatum id nominis, qui laberentur in pronunciando, atque ob id a Græcis, qui scientia, & elegantia præstantissimi erant, *barbaros* vocatos alienigenas, qui Græce loquentes, propria vocis inflexione carebant.

Quum primum Latini Patres floruere, Latinus sermo contaminari jam cœperat; qui enim inter eos lingua præstant, exeunte secundo sæculo scripsere, qua ætate una cum imperio Latinus sermo vergebat in interitum.

Neque

Neque vero ab illis Patribus pura, & integra Latinitas derivanda est: at Lactantius tamen Ciceronis, & Severus Sulpitius Sallustii stylum proxime imitati sunt. Sidonius etiam Apollinaris Symmachum, & Plinium juniorem imitando expressit. Boetium laudat Valla, quod latine eleganter locutus sit, ut non inficete dixerit Scaliger; „ Valla docet „ Boetium Latine loqui, & Vallam Boetius „ bene sapere. „ Isidorus etiam Hispalensis Latinus est, licet parum elegans; atque non immerito illum pluris facit Salmasius, & Godefridus in sua Latinæ linguæ verborum collectione, Varroni, Festo, aliisque nonnullis parem existimat.

Sanctorum Paulini, Eucherii Lugdunensis, atque Salviani Massiliensis stylus satis comprobat, nonnihil veneris, & puritatis Romanæ in Gallias translatum fuisse. Salvianus nihilominus aliter sentire videtur: „ Ad hanc (in-
Praef. ad Salium. „ quit) se partem contulerunt Scriptores mun-
„ dialium negotiorum, ut ea, quæ dicerent,
„ aut comto, & blando carmine canerent,
„ aut luculenta oratione narrarent. Omnes
„ enim in Scriptis suis causas tantum egerunt
„ suas, & propriis magis laudibus, quam alio-
„ rum utilitatibus consulentes non id facere
„ adnisi sunt, ut salubres, & salutiferi, sed
„ ut scholastici, ac diserti haberentur... Nos
„ autem, qui rerum magis, quam verborum
„ amatores, utilia potius, quam plausibilia
„ sectamur, neque id quærimus, ut in nobis

inania

„ inania sæculorum ornamenta, sed ut salubria rerum emolumenta laudentur in Scriptiunculis nostris, non lenocinia esse volumus, „ sed remedia „. In quem locum notat doctissimus Baluzius improbari a Salviano non puritatem sermonis, quum eo stylo uteretur ipsemet, qui *Scholasticus*, idest multo studio comparatus vocabatur, sed corrupta illorum ingenia, qui puritate linguæ ad morum impuritatem utebantur: qua fere ratione Quintilianus Poetam Afranium arguit, qui turpissimas comœdias eleganter conscribebat; nosque Petronium, & alios fabellarum Artifices reprehendimus, quorum effusam, impudicissimamque libidinem ne ipsæ quidem chartæ ferre possint.

Alii præterea in medium adferuntur Patres, ac præsertim D. Hieronymus, qui Latini sermonis munditiem singulariter retinuerunt; plerique tamen ætati suæ morem gerentes licentius scripsere: neque enim linguæ serviebant, sed ea ad populorum institutionem utebantur. Grammatices regulas præceptis charitatis posthabentes, non verebantur barbaris quandoque vocabulis uti, vel etiam nova fingere, quum ad exponenda Religionis mysteria propter aliarum vocum inopiam necessarium existimarent.

Quandoquidem diffuso per Imperii Provincias Latino sermone, vulgaris tamen non obsoleverat, mirum non est in iis Provinciis Latinam linguam non eandem, ac Romæ, puritatem adeptam, ubi primorum præsertim Cæsa-

rum temporibus nulli permixta vigebat. Qui florebant in Galliis, aliisque Provinciis Patres, nonnihil in paterni hujus vitii tenebris versati sunt. His adde bene multos, etiam illius consuetudinis jugo remoto, naturalem stylum reliquisse, se seque ad peculiarem proprio marte confectum convertisse. Atque in eo fortasse Africani sermonis sistit varietas, & inconstantia: præter enim quam quod Græcis idiomatibus dialectus indigena refertissima est; plurimum etiam habet impetus, & vehementiæ illius Nationis ingenio peculiaris, quod sane asperum, & inæquale non esse non potest.

Accuratum lectorem hæc omnia nosse oportet; calleat etiam quidquid firmi, aut infirmi linguis inest, varias illarum dotes, & usus perscrutetur, suoque studio remotissimarum ætatum barbariem pervadat; verbis quippe non intellectis, res ipsæ percipi nullo modo possunt.

Justinianus Imperator, quum probe perspectum haberet, quanti interesset ea agendi ratio in usu legum, quæ de hominum vita, eorumque fortuna decernunt, peculiarem Digestis suis titulum inseruit *de verborum significatione*, a quo Juris Civilis studia auspicari forte fortuna præstaret.

Nemo diligentius Jureconsultis verborum proprietatem servavit: quamobrem ad eorum laudem dictum est, Latinam linguam, si unquam deperdita fuisset, ex eorum monumentis perfecte instaurari posse. Non enim satis duxerunt notis, & commentariis leges illu-

strare, verum etiam verba, quin & verborum compendia singillatim explicuerunt; quod præstitum est ab Alciato, & Rebuffo, qui, quum optime agnoscerent, quantum in eo veteres Jurisperiti alioquin præstantissimi peccarint (8), amplissima Romani Juris vocabularia magno posterorum commodo ediderunt.

Hujusmodi consilium animo jam præconceperat Julius Cæsar, neque Ciceronem præterire potuerat; verum nonnisi postremis temporibus ab Oldenpordio, Hottomano, Barnaba Brissonio, & Johanne Calvino, Heidelbergensis Lycei Professore summo omnium plausu executioni mandatum est.

Apud Mathematicos, Medicos, Historicos, & Geographos extant hodiernis temporibus vocabularia, neque vero suis carent Theologi. Græcis Patribus intelligendis inservire potest *Thesaurus Ecclesiasticus* Gasparis Sviceri: atque utinam, quod ille in Græcos, idem alii facerent in Latinos Patres. Interea vero adhiberi potest *Lexicon Theologicum* Alstedii, & Latinum *du Cange* Glossarium, quod innumeras res complectitur, quæ ad Ecclesiasticorum mediæ, & infimæ Latinitatis Scriptorum intelligentiam conducunt.

Ridendus sane foret, qui nostri temporis imperitiæ parum consulens, ad hosce libros,

(8) Sic veterum Jurisperitorum nonnulli Græcam vocem *antichresis* pro *antiphona* sumentes, illius vocabuli occasione, de antiphonis plura dixerunt.

quibus linquarum ænigmata resolvuntur, recurrere detrectaret. Dionysius Godefridus, Jurisconsultorum celeberrimus ajebat, eos, qui hoc subsidium negligant, omnium ludibrio se se exponere; quod testatur illorum exemplum, qui, ut narrat Marcellinus, inertes, & imperiti, quum veterum quorundam Auctorum nomina audissent, eos vel raros pisces, vel exquisitissimos cibos stulte, inepteque putarunt.

Ignaro turpe non est doctrinam quærere, sed illud longe probrosum, quæ quisque proprio ingenio assequi non potest, ab aliis discere nolle. In difficilibus, & dubiis rebus maximi etiam Doctores vocabularia consulere non dedignantur. Omnia, quæ extabant temporibus suis, perlegit Photius, quin & ipse composuerat amplissimum, teste D. *Colomiés* in suis Miscellaneis historicis „ vidi (inquit) in „ Batavia amplissimum Lexicon manuscriptum, „ atque Odes Photii in Collegio Claromontano, „ quæ nunquam in lucem editæ fuerunt.

Scaligerum, & Casaubonum nulla fugiebant vocabularia, quæ non legerent, suisque annotationibus illustrarent. Eccur enim vero Eruditi rebus aliorum Sapientum labore collectis, atque compilatis uti negligant? Neminem dedecet hujusmodi exercitatio, multo minus præ cæteris Virum Theologum, quum Theologia, utut altissima, in signis simul, ac rebus sita sit, atque signis, idest verbis res ipsæ noscantur:

tur:

tur: „ doctrina (inquit Augustinus) vel rerum „ est, vel signorum, sed res per signa discuntur. *De doctr. Christ.*

CAPUT VI.

Quanti intersit scire linguas, ut Patres in fonte legantur.

QUidquid in laudem interpretationum dicatur, nullam tamen adeo praeclaram invenies, nullam adeo perfectam, ut nihil ei desiderandum supersit. Minima, vel fere nulla varietas satis est, ut autographum deturpetur exemplar, atque etiamsi tota res integra maneret, vel uno elocutionis vitio omnia fœdantur, depravanturque. Istud vero quis cavere possit, quum eorum pleraque, ut ajunt linguarum Institutores, quae in hac lingua laudem merentur, in altera veniam habere non possint, ac quae in Graeca voluptatem, fastidium in Latina pariant legenti?

Jam diu animadversum est in Graecorum Auctorum collatione cum interpretationibus Latinis, quidquid illic erat roboris, ac venustatis, infirmum isthic, & insulsum evadere. Hujus rei exempla manifestissima sunt in plerisque Latinis Sanctorum Basilii, & Chrysostomi interpretationibus; nam illi etiam ipsi, qui nonnisi Latine sciunt, quum adeo elumbes vident interpretationes, vel enervatam ab Interpretibus illorum Patrum eloquentiam,

vel eos Patres minus quam vulgo dicitur, disertos fuisse autumant (9).

Rem profecto perraram esse oportet eximiam interpretationem, quum ne certo quidem constet, qua in re sita sit, ac virtutum ornamenta postulentur ab Interprete, quæ difficillime una concurrant. Calleat Interpres necesse est Auctoris, quem interpretatur, linguam, & eam, qua interpretatur; illarum vires, elegantias, & lepores funditus agnoscat: ac demum in adeptæ cognitionis experimento diu, multumque sese exercuerit, quæ venusta sunt, venuste reddens, quæ figuris ornata, ornate; ne quid insolitum, ne quid nimium, vel falsum in ejus dictione videatur.

Bill. Observ. Sacr. lib. 2. c. 1. Multum Joachimo Perionio laudis debemus, quod plura Græcorum Patrum opera eleganti Latinitate donaverit; sed majorem etiam haberemus gratiam, si ampliori Græcæ linguæ scientia instructus, accuratior in suis interpretationibus fuisset, atque emendatior. Ab Auctoris mente deflectit sæpe numero, sive in usu vocum, quibus variæ subjectæ sunt notiones, sive in Græcis phrasibus, quarum alia est

[9] Quum Auctor hæc scriberet, nondum edita fuerant opera Basilii a P. *Garnier*, & D. Chrysostomi a P. *de Mont-faucon*; quæ si legisset hujus operis Auctor, de amissa, vel enervata illorum Patrum eloquentia forte fortuna tantopere non quereretur. Etsi enim non eadem omnino vis, idemque spiritus vigeat in interpretatione, qui in Græco exemplari, ad illum tamen proxime accedit.

est a Latinis significatio; vel etiam fallitur occasione quorundam verborum, quibus unius literæ vel additio, vel detractio alienum prorsus ab Auctoris mente sensum adfert.

Præter verborum notitiam penitus etiam Auctoris sui argumentum perspectum habeat Interpres necessum est; in aliis quoque scientiis, quas ad operis sui ornamentum bona præsidia Auctor adhibuit, versatus sit. Qui ex Græco Latine reddidit Eusebium Musculus, satis Theologiæ sciebat, ut susceptum opus feliciter expleret: sed quia in re critica, & cognitione antiquitatis sat exercitatus non erat, in reddendis nominibus officii, & dignitatis falsus sæpe est, atque de priscis consuetudinibus parum apte locutus. *Valesf. not. ad Euseb.*

Doctissimus Pater *Lamy* in suo tractatu *de Paschate* existimat, recentem antiquitatum Judaicarum Interpretem Gallum, qui præclarissimo illo opere tantum laudis promeruit, in eruditione mere Judaica, quod ea satis excultus non esset, hærere ut plurimum.

Eadem fere causa fuit, cur Ambrosius *Camaldoli*, qui librum Hierarchiæ D. Dionysio vulgo Areopagitæ adscriptum summa cum laude convertit, parem non iniverit gratiam in sua Diogenis Laertii interpretatione, quæ singularem veterum Philosophorum doctrinæ notitiam postulabat; propterea quod ista cognitio Ambrosio ab hominum convictu remoto minus fortasse, quam scientia mystica innotuerat.

Eodem gradu, modoque, quo Auctorem vertere pergit Interpres, ad fontes, e quibus ille suam hausit doctrinam, recurrat oportet. Ribitus, qui Antonii Melissæ sententias e Græco transtulit in Latinum sermonem, quod præclaris judiciis de hoc compilatore latis a Gesnero paullo facilius steterit, nec quidquam operis insumserit in consulendis Sacris, & profanis Scriptoribus, e quibus ea effata depromta sunt, dignus sane fuit, qui ob tantam incuriam indiligentissimus Interpres haberetur.

Bill. Observ. Sacr. lib. 2. Cap. 5.

Neque vero hæc omnia satis esse arbitreris; accuratissime præterea inspicienda sunt exemplaris errata, quod nisi sedulo perficias, longius inoffenso pede non progredieris. Hervæus, vir ad antiquos Scriptores scite, feliciterque vertendos a natura compositus, in reddendis Theodoreti contra Hæreses Scriptis erravit nonnunquam, quod exemplaris sui menda non caverit.

Id. ibid. c. 2.

Cæterum Interpres gravissimo sit, acerrimoque judicio necesse est, atque Auctoris sui personam adeo subtiliter induat, ut nonnisi unus, idemque in duobus, ut ita dicam, simillimis corporibus vigere spiritus videatur. Verum ecquis ille est, cui tot, tantaque simul prospere succedant? ecquis occurrentes in tam salebroso negotio discrepantias omnes conciliare valeat? qui susceptam interpretationem hilaritate, & suavissima luce conspergere laborat, fidus esse desinit; qui vero fidem scrupulose servat, obscurus fit, agrestis, & barbarus: at fides tamen religiose servanda,

præ-

præsertim in Auctorum Ecclesiasticorum interpretatione; nam in divinis rebus licentia, quæ in errorem abire posset, confidentius uti summum nefas est.

Parum constantis moderationis plerique Interpretes tenent, alii servitutem optant, alii justo liberiores sunt. Qui opera Sancti Irenæi olim convertit, fidissimus fuit Interpres, sed nimia scrupulositate in barbariem impegit, atque singulare quoddam dicendi genus adhibuit, quod, quum Græcum undique sit, a Latinorum stylo prorsus abhorret. Contra Hieronymus Eusebii Chronicon, aliaque nonnulla Patrum scripta transferens, ea libertate usus est, ut Ruffino justæ reprehensionis locum præbuerit. Ipse quoque Ruffinus Latinorum exempla secutus, qui quidquid sibi non probatur, temere sustollunt, omnia susdeque vertit in Origene, cujus principia transtulit ad tegendos potius, ut videtur, illius errores, quam exponendam doctrinam.

Innumera sunt, quæ hac in re adducuntur exempla; verum hisce paucis abunde perspectum fit, quanti intersit sedulam Orientalibus linguis operam navare, se seque ab Interpretum servitute vindicare, quos fidos duces non semper habemus, eo vel maxime, quod nihil tutius esse possit, quam ipsos adire fontes, præsertim, quum de rebus agitur proferendis in vulgus, cui nostra non satisfacit incuria.

Cardinalis Baronius cautus cæteroquin, & diligens, in hoc satis curæ non habuit, quum incon-

inconsultis exemplaribus Latinam Eusebii interpretationem, auctore Christophorsono, non omnium numerorum Interprete in suis annalibus secutus est. Omnibus ea in re fidere periculosum. Plures Erasmi celebritas nimium observata in errorem induxit. Abbas *de Billy* notat Erasmum in sua Tractatus *de Spiritu Sancto* D. Basilii interpretatione, hujusce Patris sensa vel non exprimere, vel omnino subvertere; in interpretatione autem octo priorum Divi Chrysostomi Homiliarum, *in secundam ad Corinthios* ita indiligentem fuisse, ut quinquaginta, & amplius locis castigationem mereatur.

Hac sane de causa, qui primigenios Codices pervolvere nequeunt, vel incuria nolunt, in aliorum imprudenter errata descendunt, ac unius hominis vitium communis, & pene insanabilis morbus evadit.

Audiendæ hac in re Eruditorum querimoniæ, quas & hodie fundunt de barbara agendi ratione, qua licentioribus interpretationibus suis Arabes, quinque, vel sexcentorum annorum spatio meliores antiquitatis Scriptores fœdissime lacerarunt. Incredibile dictu est, inquiunt, quot errorum monstra, mediis barbarorum turpissimis interpretationibus in literarum rempublicam irrepserint. Quinimmo radices adeo altas egerunt, ut nonnisi immenso labore evelli, atque eradicari possint; interpretationes nimirum cum fidissimis exemplaribus conferendo, quæ tum ignoratione,

Huet. de illustr. Interpret.

tum

tum cæca quadam, effrænique libidine deturparunt. Laudis, & gloriæ avidissimi, atque præstare cæteris appetentes, innumerabili veterum librorum copia, quos sibi adscripsere, vel pro arbitrio transtulere, rati scientiarum una cum Græco Imperio pereuntium fragmenta colligere, ultimam iis perniciem attulerunt, eo graviorem, quo occultior est causa, ac plerisque Sapientibus minus nota.

Non ita tamen exemplaribus fidendum, ut ad interpretationes nusquam recurratur. Si enim Interpres aptissimus quamcunque operam conferat, ut fidam, accuratamque perficiat interpretationem, labitur tamen quandoque; qua demum ratione lector sæpe parum exercitatus, Auctoris mentem, quæ lynceos Interpretis oculos fugit, perfecte se assecutum gloriabitur? ecquis non jure metuat, quum hodiernos Criticos inclyto Valesio (cui parem Interpretem reperias neminem) exprobrare audiat, quod Eusebii historiam non maxima semper fide transtulerit, & in quarto hujus Historici libro circa successionem Episcoporum hallucinatus fuerit?

Quidquid id est, a Viris prudentibus, etsi linguarum peritis, nunquam negligendæ sunt interpretationes, vel ut eas in dubiis consulant, vel ut aliorum exemplorum testimonio de autographi Codicis integritate fiant certiores. Atque hæc quodammodo media tenenda est semita inter illos, qui cæco quodam modo se se interpretationibus addicunt, atque alios,

qui

qui eas indiscriminatim respuunt. Hinc enim, qui primigenios Codices non legunt, procul dubio in errorem impingent; inde vero, qui interpretationes sustollunt, magno in rebus difficillimis subsidio carebunt, ac demum omnis ad scientias via intercludetur, quibus, quod linguas nesciant, alius non patet ad eas aditus, quam interpretationum.

CAPUT VII.

De re critica, ejusque usu in lectione Patrum Ecclesiæ.

De doct. Christ. lib. 2.

QUum Augustinus aliorum Ecclesiæ Patrum nomine dixerit, metuendas non esse Grammaticorum ferulas, sed omnem in eo collocandam industriam, ut veritatis cognitionem assequamur; supervacaneum videtur sermonem hoc loco de critica instituere, quæ præcipua Grammaticæ pars est. Si tamen expendantur, quæ de mendis inconsideratam rerum investigationem consequentibus alibi scribit idem Doctor, nemini abs re videbitur pauca a nobis differi de usu critices, quæ in lectione Patrum Ecclesiæ adprime necessaria est, quum ad eos nonnisi summa circumspectione accedere debeamus.

Critices vocabulum multis exosum est, sed immerito. Nam si criticæ artis naturam duntaxat consideremus, vitii culpa caret; tota quippe

quippe ſiſtit in accurato judicio, quod ex quibuſdam regulis, experimento, optimaque ratione conſtitutis, de præclaris Eruditorum Scriptis ferre cuique licet. Quamobrem omni nominis ambiguitate ſublata, eaque in anteceſſum adhibita cautione, ut critice non in Spiritus Sancti ſenſum, quo reguntur Eccleſiæ Patres traditioni teſtimonium perhibentes, ſed in res feratur, quæ humanæ mentis facultatem non ſuperant, non magis periculoſum eſt Theologiæ Doctori operibus ſuis critices nomen indere, quam Medico dies criſeos, quibus de morborum eventu judicat, appellare *criticos*. Pravus quidem nonnullorum uſus odium in ejus nomen concitavit, ea fere ratione, qua *Tyranni* nomen primitus perhonorificum, poſteaquam Tyranni, qui ſupremi habebantur Nationum Principes, auctoritate ſua abuſi ſunt ad violentiam, & crudelitatem, execrandum evaſit.

Atque perſpicaciſſimorum Virorum opinio eſt, germanum Critices uſum, quæ vires omnes humanæ mentis judicii continet, ſitam eſſe in explanandis funditus Auctoribus, in efferendis illorum fœtuum virtutibus, vel vitiis, in ſecernendis denique legitimis, & genuinis a falſis, ſuppoſitiſque. Veteres Criticos, ſcribit Quintilianus, tanta ſeveritate uſos fuiſſe, ut non modo notarent calamo, quæ carpenda exiſtimabant, (quod apud Eruditos pro maxima infamiæ nota habebatur) verum etiam in Auctores ipſoſmet ſævientes, ex Literatorum *Inſtit. lib. 1. Cap. 4.*

teratorum gradu eos dejicerent, depellerentque velut indignos, qui in tam illustrem ordinem cooptarentur.

In Auctorum lectione omnia expendenda sunt, atque examinanda, caute tamen, prudenterque; periculosum enim est vitilitigatorum morem sequi, qui singulis rebus immorantes, nihil unquam probant; vel morosorum, & amentium, qui, quum in libris nihil, præter obscuriora scrutentur, ea, quæ longe clarissima sunt, videre detrectant. Morosa ejusmodi ingenia Cardinalis Perronius Versipellium instar habet, qui lucem fugiunt, *lucifugæ Scripturarum*, qui obscuritatem solum amant, atque caliginem.

Tert. de resurrect. carnis.

Est & aliud Criticorum genus, quorum immoderationem, ac deliramenta sedulo cavere debes. Ἀκριβοδίκαιοι (10) illi vocantur a veteribus Jureconsultis propter summam, quam in ferendo judicio consectantur severitatem. Centena usque, & millena enumerant menda, quæ in celeberrimis Auctoribus, quos redarguunt, per fas, & nefas reperiri volunt. Sic Meziriacus in interpretatione Plutarchi, auctore Amioto, quater mille recenset errata; sic Monachus quidam Benedictinus bis mille apud Baronium,

(10) Vox Græca Ἀκριβοδίκαιοι significat summum jus ab ἀκριβὴς, *summum*, & δίκη *jus*; quare eo nomine vocantur rigidiores censores, quasi summum jus in ferenda censura consectari velint.

ronium; alter vero Aristarchus (11) extra modum omnem ad sex usque gravissimorum mendorum millia, quæ apud inclytum huncce annalium Parentem a se detecta gloriatus est, numerum incredibiliter auxit (12).

Duplex est Critice, utilis altera, & bona; vitiosa altera, & noxia. Hæc morbi genus est contagiosi, cujus pestiferum virus, postquam Critici judicium invasit, in aliorum nomen, & opera insanabili pernicie grassatur. Illa vero luminis instar suavissimi, quum mentem, ex qua sumit originem, perfecerit, & Virorum ingenia, & res ipsas, quibus admovetur, mirum in modum illustrat.

Non Criticæ libri, sed libris critice serviat oportet, sive non ea mente censura ferri debet, ut reprehendamus, (quod nonnisi abjecti animi est, improbique ingenii) sed quo major fiat ad scientias progressio, quo dispergantur nubes, quo viæ spinosæ, atque difficiles explanentur.

Quum obscuriora Auctoris loca, atque mysteria inspicimus, non aliorsum acies intendenda nobis est, ne argumento relicto cæco quodam, atque fanatico impetu ducti, licenter, & effrænate vagemur. Nubes, & inania captant quandoque Critici, ita ut ea non inquirentes,

(11) Nimirum Casaubonus.

(12) Qua in re satis animo non advertisse videtur, Baronium venia dignum fuisse, quod viam inierit ignotam, nemine duce, scilicet omnium primus historiæ Ecclesiasticæ annales in unum corpus compegerit.

quirentes, quæ Auctor scripsit, sed quæ scribere potuisset, per ignotas regiones, vel saltem ab Auctore valde alienas discurrant.

Hoc vitio laborasse Salmasium putat Doduvellus; perraro enim contigit, ut conscribenda diu, multumque versaret animo. Istud *doctrinæ monstrum horribile* tenacissima memoria, felicissimoque ingenio præditum, vi mentis abripiebatur persæpe; atque non omnia consectaria, quæ inde duci possent, prospiciebat. His adde illum libidine quadam in deliciis habuisse insolitas opiniones ab omnibus rejectas, nulloque fundamento innixas tueri mordicus, atque defendere.

Sorbiere Lett. au P. Mersen.

Labuntur etiam sæpe Viri præstantissimi res inauditas dicendi studio, cujus rei exemplum apertissimum dedit eruditus alioquin Rigaltius, qui, ut majorem insolitæ eruditionis pompa sibi laudem compararet, in id omne studium suum convertit, ut quidquid specie tenus Romanæ, in qua vivebat, Ecclesiæ ritibus contrarium ei obviam veniret, diligentissime notaret: periculo religionem committere non veritus ob nimiam gloriolæ cupiditatem, quæ nec illis quidem, quibus favere videbatur, probata fuit.

Res etiam aleæ plena est justo subtilius dijudicare velle, quod notarunt Eruditi in eodem Rigaltio, qui in quintam decimam Sancti Cypriani epistolam fidenter adfirmat, ea solum mente antiquos Patres docuisse, decedentes in martyrio statim æternæ Beatitatis participes fieri,

Remarq. sur la Biblioth. de Dupin T. I.

fieri, ut Christianos ad martyrium fortius subeundum excitarent. Quæ quidem annotatio Ecclesiæ Patres gravissima afficit contumelia: quasi vero Politicorum regulas magis, quam prædicandæ veritatis normam secuti fuerint. Eodem æstu abreptus, ex loco Tertulliani ab ejus *Exhortatione ad castitatem* desumto, temere aggressus est laicis in necessitate Eucharistiam consecrandi jus adscribere; quod perniciosissimæ disputationi Catholicos Romanos inter, ac Novatores viam pandit, quin & ipsos invicem Novatores commisit.

Omnia non raro corrumpit, qui nihil accipit, nisi emendatum; atque, ut res serventur antiquæ scrupulosissima religione, præsentes persæpe dispereunt. Optima in omnibus moderantia. Æquitas enim postulat, ut regulæ, quæ successu temporum obsoleverunt, immoderata vi non restituantur, atque humanæ infirmitati liberaliter nonnunquam detur venia.

Subtilius fastidiosum esse, ac in aliis reprehendendis modum non servare, culpa non vacat; puerile etiam est, ineptumque delecta errata, quamvis turpissima, quæ obiter notasse sufficiat, molestius, & ad ravim usque urgere. Ad rem facit, quod narrat Svetonius, Grammaticum Pomponium Marcellum, quum disputaret contra Cassium Severum, eum solœcismi, qui in æstu disputationis exciderat, merito, & jure reprehendisse. Verum bonum illum hominem ob id tantopere obstrepuisse, toties prolata censura, ut causam dederit ad-

versario eum vicissim irridendi, tanquam hominem a proposito aberrantem, suæque causæ oblitum, ut rem nullius momenti prosequeretur redarguendo.

Ridendi denique sunt, qui menda excusatione digna notare audent, quum gravissima ipsi committant; quæ res contigit Salmasio in Solinum, ut notat Petavius, & Casaubono in suis contra Baronium annotationibus; omnium autem stultissimi, qui nodum in scirpo quærunt, atque ad cæcitatem usque temerarii, qui ea condemnant, quæ vitio carent, sive se sola res bona sit, sive ob adjuncta probari debeat.

Itaque, quum lector adeo insolitas offendit apud Patres loquendi rationes, ut earum novitate percellatur, judicium cohibeat necesse est, donec constet, quo fine, quibusve de causis ii præstantissimi Viri ita se gesserint. Exempli gratia Græca ὁμουσίυ vox, quam adhibuere Nicæni Concilii Patres ad exprimendam in mysterio Trinitatis *consubstantialitatem* Filii cum Deo Patre, si mihi fastidium pareret, antiquitatem ipsam adirem, atque intelligerem profecto, hanc vocem principio non a Nicænis Patribus invectam, sed ab Eusebio Nicomediæ, factione Ariano, qui, quum ea proprio marte (13) usus fuisset in epistola ad

(13) Non proprio marte eam vocem ὁμουσίυ finxit, adhibuitque Eusebius; sed quod bene nosset eam esse Sanctorum Præsulum mentem, ut illa vox usurparetur ad finien-

ad hoc Concilium inscripta, Nicænis Patribus occasionem dedit eadem contra illos utendi, qui

finiendam *consubstantialitatem* Filii cum Patre. Consuli potest hac de re epistola D. Athanasii de Nicænæ Synodi decretis, ubi ait, Episcopos plura collegisse Scripturæ Sanctæ oracula, quibus Filius Dei *vera potentia*, *imago Patris*, *similis Patri*, *indemutabilis per omnia*, *inconvertibilis*, *æternus*, & *indivisus in Patre* subsistere dicitur. Ista quidem, inquit, ab Eusebianis accepta, ita tamen, ut deprehenderentur inter sese mussitare, nutus conferre, oculisque sibi invicem applaudere, quasi illud, *simile esse*, & *in eo esse*, & *ejus potentiam esse*, communia Filio nobiscum essent. Tum vero Episcopos considerata illorum hypocrisi, & vafritie, coactos fuisse scribere Filium *consubstantialem* esse Patri, ut non solum similem similitudine, sed eundem ea voce, qua dicitur esse ex Patre, significarent. Non itaque Eusebius eam vocem invenit, sed inventam a Patribus adhibuit.

Neque vero D. Ambrosius auctorem facit illius vocis Eusebium. En ejus verba l. 3. de Fide cap. 7. „ Secundum impietatem „ igitur suam positum sub„ stantiæ verbum recipiunt „ Ariani: secundum pie„ tatem autem Fidelium „ comprobatum repudiant, „ & refutant. Nam quid „ est aliud, cur ὁμοούσιον „ Patri nolunt Filium di„ ci, nisi quia nolunt ve„ rum Dei Filium confi„ teri; sicut auctor ipso„ rum Eusebius Nicome„ diensis epistola sua pro„ didit, dicens: *Si verum* „ *Dei Filium. & increatum* „ *dicimus*, ὁμοούσιον *cum* „ *Patre incipimus confiteri*. „ Hæc cum lecta esset epi„ stola in Concilio Nicæ„ no, hoc verbum in tra„ ctatu Fidei posuerunt „ Patres, quod id viderunt „ adversariis esse formidi„ ni, ut tanquam evagi„ nato, &c. „ Hæc autem verba adhibitam solummodo probant, non vero inventam ab Eusebio vocem ὁμοούσιον. Equidem in libro *de divinitate Filii* illius vocis inventor dicitur Eusebius; verum liber *de divinitate Filii* genuinus non est Ambrosii fœtus, sed suppositus, ut convenit inter Eruditos.

Ambrof. de fide lib. 3. cap. ult. qui eam præbuerant,, ut tanquam evaginato ab ,, ipsis gladio, ipsum nefandæ Caput hæresis ,, amputarent.

Præterea nihil intereſt, quod nova ſint verba, dum antiquam, veramque doctrinam nervoſe exprimant. Fatetur ipſemet Calvinus, iniquam fuiſſe Arianorum criminationem, qua Eccleſiam derelictæ Fidei antiquæ inſimulabant, propterea quod ad explicandum Trinitatis myſterium novis vocibus uteretur,,quan-,,do temere non inventa ſunt nomina, cavendum ,, eſt, ne ea repudiando ſuperbæ temeritatis ar-,, guamur.,, Itaque in dogmate Euchariſtico non ſine improba temeritate Novatores vocem *tranſubſtantiationis* rejiciunt; quamvis enim non ſit fortaſſe vetuſtiſſima, myſterii tamen, quod continet, Fides pervetuſta eſt, perinde ac ipſamet Eccleſia.

Inſt. l. 1. cap. 3.

Qui profanis aſſueti Scriptoribus (inquit Hieronymus) novitatis nos arguunt, noſtramque dictionem abjectam irrident, meminerint, amabo, Ciceronem in ſuis quæſtionibus academicis propter operis ordinem, atque, ut ea, quæ ex Græco in Latinum transferebat ſermonem, facilius intelligerentur, verbis eatenus uſque inauditis, ac Romanæ genti incognitis uti coactum fuiſſe.

Hæc niſi caveat, qui legit Eccleſiæ Patres, pluribus ſe ſe implicabit difficultatibus, nec ullum a laboribus ſuis fructum percipiet. ,, Grammatica (inquit eleganter præſtantiſſi-,, mus quidam Epiſcopus) fines ſuos præter-

God. Hiſt. de l'Egliſe.

gredi

„ gredi non debet, neque Sacrarium adi e
„ divinarum Scripturarum, Auctorumque Ec-
„ clesiasticorum, ut supremam in eo dictitu-
„ ram exerceat, ut quidpiam pro libito addat,
„ vel detrahat, ut suas conjecturas, vel etiam
„ quandoque deliramenta fundat, tanquam
„ oracula, quæ ab omnibus sint excipienda.

Novatores etiam, quum illis Patrum opponitur auctoritas, hanc adhibent artem, nimirum ad vitiosam criticen, velut ad scœnicum quoddam numen confugiendi, ut ab iis, in quas conjecti sunt, difficultatum nodis callide, fraudulenterque se se expediant. Re quidem vera tantopere in suis controversiis artem Grammaticam religionis negotiis miscuerunt, ut nisi maxima, eaque diuturna adhibeatur diligentia, in hisce tantis Grammaticorum tricis verum a falso vix, ac ne vix quidem secerni queat. Nullum non moverunt lapidem Calvinistæ, ut verba Eucharistiæ pravum in sensum pertraherent, suumque quotidie torquent ingenium Sociniani, ut distinguant, quo relativa Sacri Codicis pronomina referenda sint. *Vid. Jos. Plac. disput. advers. Socin.*

Duplicem ingredi possumus viam ad expendenda Auctorum Scripta, nimirum auctoritatis, & conjecturæ; tutior prima, præceps altera, & lubrica, quam fidenter sequi valde periculosum est. „ Correctores (inquit lepide Justus Lipsius, vir doctissimus) hoc difficillimo rei literariæ tempore, utibiles, necessa-
„ riosque esse, non eos tamen promiscuos, *Satyr. Menip.*

 non

„ non indoctos, Rupices, Petrones, sed qui
„ consilio, reque apte juvare Scriptores pri-
„ scos possint.

„ Ea re Senatui placere, uti lex *annaria*
„ servetur: neu quis minor viginti quinque
„ annis correcturam petere, gerere possit: qui-
„ que aliter petierit, gesserit, vitio creatum
„ videri, & correctiones ejus in acta non
„ mitti.

„ In senibus depontanis, quique majores
„ annis sexaginta siremps legem esse: utique
„ Censores M. Fabius Pomponius, Atticus
„ alter, ambove de doctrina, deque moribus
„ Peritorum cognoscant, statuant, judicent,
„ quos hisce admiserint probos esse, quos re-
„ jecerint repulsos, & reiculos.

„ Si quis e libris bonis, fidisque correxerit,
„ laudi semper esse; si quis e conjecturis no-
„ xæ, nisi eæ claræ, liquidæ, certæ sint.

„ Qui alitercumque divinationibus usus, in
„ eo leges veteres, & edicta de Mathemati-
„ cis valere: Porcias, Fabias, Sempronias le-
„ ges non valere.

„ Itemque, quoniam duplex morbus cor-
„ rectores pleros teneat, litigium, & prurigo;
„ utrique rei Senatum prospectum, præcau-
„ tumque velle.

„ De litigatoribus uti quicunque post hunc
„ diem cum altero velitari, præliari verbis,
„ scriptisve ausus fuerit, eum, eosque in ludi
„ gladium damnari, uti proximo munere
„ colligati inter se pugnent sine missione.

De

„ De pruriginosis, quos manum, stylumque
„ abstinere a nullo loco audiant sano, sive
„ insano, uti Cornelius Celsus ædilis dispi-
„ ciat, qui ex iis sanari possint, quique non
„ possint.

„ Qui posse videbuntur, eos deponi in tem-
„ plo Æsculapii, quod in Insula est, ibique
„ ellebori bibere quantum satis erit; qui non
„ possint, eos in exilium ad Ommerios de-
„ portari, ubi lucem non videant, & libros
„ non legant; si quis ambiguæ valetudinis
„ erit, eum ad tempus relegari in Atlantidem
„ insulam, ubi memorantur, somnia non
„ videri (14)

CAPUT

[14] Auctor operis differens hoc loco de re critica, in Grammaticam solum criticen incubuisse videtur, quæ in emendandis manuscriptis versatur; (quanquam in ejusmodi Criticorum exemplum non monito lectore adducit Casaubonum, cujus critice Grammatica dici non potest) verum est & aliud Critices genus, quæ non verba, sed gesta, & opera persequitur, eadenque ad describendam historiam utilissima. Cujus studiosi, quum suis & ipsi mendis non careant, rectosque limites nonnunquam excedant, abs re non fuerit de illa perpauca adjicere. Labuntur in ea utplurimum Critici, quod falsis præjudiciis sese abripi sinant. Sic Spanhemius fabellam Johannæ Papissæ, vel ab ipsis Novatoribus rejectā omni studio tuetur; dum interim profectionem D. Petri Romam omnium Historicorum testimonio, & nusquam interruptā traditione firmatam totis viribus pernegat, Sic, ubi de genuinis operibus agitur, non desunt, qui pro variis præconceptis opinionibus alterum quidem opus vindicent, alterum vero abjudicent ab uno, vel plurib; Scriptoribus, etiamsi eædem utrinque militent rationes. Quæ critices menda ut

CAPUT VIII.

Ad intelligendos Ecclesiæ Patres Gentilium libri legendi sunt.

IN dubium vocari non potest, Ecclesiam ab ipsis etiam primordiis Gentilium libros improbasse; quum enim Idolorum cultus adhuc vigeret, atque ex obscura ista caligine plerique Christianorum recentissime prodiissent, alienum erat a recta ratione librorum usum permittere, quorum lectio nonnisi lapsus occasionem, offensionemque præbere poterat.

A secundo tamen, & tertio sæculo, qui defensionem Ecclesiæ suscepere, Justinus martyr, aliique Patres externis hisce armis instructi, in arenam descenderunt. Illorum exempla secutus est Origenes; verum, quum eo usque devenisset, ut in Scholis Christianis literas traderet profanas, apud illos, qui liberam hanc docendi rationem Christianæ Religionis puritati contrariam existimabant, sese purgare coactus fuit, ac propterea in veteri hoc Patre nonnulla eo in capite se prodit opinionum varietas, quum modo probet, modo condem-net

ut evites, illud inprimis caveto, ut mentem præjudiciis omnibus vacuam ad ejusmodi studia appellas. Dein felici admodum successu adhibere poteris regulas, quæ infra Cap. 15. ponuntur.

net Gentilium libros, præcipue quarta *in Exodum* Homilia, ubi cum tertia Ægypti plaga confert hoc genus eruditionis.

Id unum hac in re affirmare ausim, Ecclesiæ Patres Ethnicorum libris contra eosdem Ethnicos uti potuisse. Æquissimum enim est salutem ab Adversariis nostris accipere, eosque propriis illorum armis oppugnare; vel maxime, quod Christianis moribus non obsit profanas in hisce libris scientias ediscere, dum id moderate fiat, honestoque fine. Origenes vult a Paganis id unum sumi, quod perducendis ad notitiam veritatis Fidelibus necessarium est; atque Augustinus censet, isthæc Ægypti spolia non in profanum usum convertenda, sed cultui, ac ornamento Sanctuarii tota dedicanda esse.

Opponunt nonnulli, extincta jam Gentilitate, frustra nunc recurri ad Gentilium libros, ut vana hæc simulacri species deleatur. Equidem non dissentio; verum habemus & Scripta Patrum; ac qui Gentilium doctrinam, & consuetudines probe perspectas non habeat, in hisce clarissimis antiquitatis Ecclesiasticæ monumentis plane cæcutiet; neque enim sine hoc adjumento Patres primævi, ac præsertim veteres Apologistæ intelligi perfecte, planeque possunt.

Libros, quibus in hanc cognitionem venire possimus, singillatim indicare opus non est. Id satis norunt, qui in optimis literarum studiis sese exercuerunt. Hoc unum notasse sufficiat,

ficiat, inter Philosophos, quorum studium præcipuum esse debet, primas tenere Platonem, cujus maxima est cum Patribus Ecclesiæ affinitas.

Primævi Fideles Platonis sectam sequebantur, ejusque signis sese omnes adjungebant; eundem in modum, quo posteriorum temporum Chistiani, Aristotele duce gloriabantur; tum enim Plato Philosophorum omnium acutissimus erat, tum illius principia pugnare non videbantur cum Christianæ Religionis dogmatis, cujus præconceptam, ut ita dicam, notitiam habebat. Præterea, quum Philosophia Platonica ab Judæis aliqua sui parte fluxisset, ii, qui e Synagoga egrediebantur, Christiani ab ea amplectenda minus abhorrebant.

Plerisque persuasum erat, Platonem legisse libros Moysis, vel saltem cum Sacerdotibus, ac Sapientibus Babylonis, Ægyptique Theologia Hebræorum instructis, studiorum consuetudinem habuisse.

Justinus martyr, Clemens Alexandrinus, & Eusebius Cæsareensis quidquid de ideis scripsit Plato, a Scripturis Sanctis habuisse putant.
Huet. Demonstrat. Evang. Prop. 4. Nullum unquam finem futurum, ait doctissimus quidam Recentior, si omnia referrentur loca, in quibus Moses cum Platone consentire videtur. In eandem abiit sententiam Marsilius Ficinus, qui totus est in hujusce Philosophi de notionibus, & ideis commendanda doctrina; atque, quum Italus iste Scriptor mysteria

ria in rebus etiam evidentissimis indagare soleat, Divum Paulum in Platone totum videre sibi visus est; ejus enim impensissima voluntas in sapientem hunc Paganum eadem erat propemodum, quæ Justi Lypsii in Senecam, nimirum paulo fanatica.

Neque defuere, qui Platonem tanto in honore habuerunt, ut dicere non dubitarint, eum Jeremiæ Prophetæ consiliorum socium, atque participem: quod erratum contra temporum rationem turpissimum (15) Augustinus irridet: alii vero ineptius in animum induxere, Christum Servatorem Platonem pervolvisse, atque præclarioribus ejus sententiis Evangelium suum ornasse. Stultissimæ hujus opinionis redarguit Cellum Origenes. Revera plurimum juvat insanientium id genus hominum impetus cohibere, qui apud Platonem nihil, ne ipsa quidem excepta Apocalypsi, non invenire se inaniter fingunt.

Ejusmodi insaniæ reos nos agunt nonnulli Novatores, temere asserentes, plerasque Traditiones nostras a Græcis, idest Gentilibus derivatas fuisse. Verum, ut ait recens Auctor, si funditus inspiciantur Traditionum nostrarum Capita, atque cum illis, quæ apud Judæos vigebant, conferantur, ab istis Traditiones nostras,

Pelliss. 3. V. des Refl. sur les differ. de la Relig.

15] Distant enim annis plus quam ducentis: etenim Jeremias obiit anno orbis conditi 3420., ante æram vulgarem 584.; Plato autem 3656., ante æram vulgarem 348.

ſtras, non autem a Paganis opinionibus fluxiſſe nullo negotio noſcetur. Luculentiſſimum exemplum ſuppeditat dogma Purgatorii, quod, quum certum haberetur, atque etiamnum habeatur apud Judæos, abſurdiſſime affirmat Juriæus, aliique Novatores, illud a Platone confictum fuiſſe; alias enim & Beatitatis æternæ, & Inferorum, de quibus vere, ac dilucide loquitur, Auctor haberi poſſet.

Hanc ſibi laudem jure quodam vindicat Plato. In Philoſophia erat ille, ut Paganus, perſpicaciſſimus, doctiſſimuſque; de divinis rebus divine loquitur, atque mirabili magnificentia, ac ſublimitate Scripta ſua exornat. Sermocinationis etiam ordo, quo utebatur, conjunctus cum linguæ venuſtate, honeſtique Viri ingenio ab ſcholaſticis altercationibus prorſus alieno, commendationis ei plurimum adfert.

Contra vero dici poteſt, ejus morem edendi dogmata mere Metaphyſicum, quum Fidei lumine ductus non ſit, facile in errorem inducere. Ex ejus Philoſophia quodam modo proſtante ingeniorum libidini, ortos Simonem, Valentinum, Marcionem, atque Manetem; Origenem, dum præruptum hunc callem ſequeretur, ex pingui caligine in craſſas tenebras delapſum, ac demum ex lutulento hoc fonte fluxiſſe Cabalæ fictorum deliria, atque inſana illorum, qui nova ſyſtemata cudunt, paradoxa.

Illud

Illud etiam Platoni injuriam facere videtur, quod, quum careat ordine, ac distributione, ejus doctrinam ad suprema quædam Capita referre difficillimum est. Recentior tamen Philosophus in opere, cujus nonnisi fragmentum superat, totam Platonis Philosophiam ad sex generatim tractationes pro numero rerum, quibus universus orbis constat, scilicet divinarum, intelligentium, animæ, naturalium, corporearum, atque humanarum reduci posse ostendit. Antequam formam hanc proponeret D. *de la Chambre*, Johannes *de Serres* Gallica sua historia notissimus, quum Platonis opera nova interpretatione donaret, ejus Philosophiam Scholasticæ methodo accommodare cogitarat; scilicet, ut acute notat *Fleury* „ il- „ lud facere proposuerat, quod Plato, ut majo- „ rem sibi gratiam compararet, ex industria „ non fecit„. Quamobrem omnium expeditissima res fuerit Platonem ipsum adire, neque sibi sollicitudinem struere de redigendis ad certum quendam ordinem ejus scriptis, quem nec habent, nec habere possunt. *Trait. des Etud.*

Ad alios quod spectat, Philosophos, quæ fuerit illorum doctrina dignosci potest; Veterum quidem, ex Diogene Laertio; Recentiorum autem, ex Eunapio, vel etiam utrorumque ex compendio Hesychii. Atque hæc fere satis sunt ad percipienda Patrum Ecclesiæ loca, quæ Paganæ Philosophiæ dogmatis asperserunt. In rem nostram maxime cederet veterum Orientis Philosophorum historia, quibus omnia sua

debent

debent Græci ; verum illius nihil reliquum est, quod saltem indubitatam fidem facere possit.

Dolendum sane ; quod pleraque Varronis Romanorum sapientissimi monumenta perierint; magnum inde lumen duci posset ad percipiendum Augustinum, aliosque Patres, qui de Gentilium religione scripserunt. His deperditis, libri Ciceronis *de natura Deorum* legi possunt; Ovidii etiam *Fasta*, quæ plus continent eruditionis Paganæ, quam alius quivis liber antiquitatis profanæ; ac demum ad mythologias, quæ id genus argumenta pertractant, recurri potest.

Plutarchi lectio, Diodori Siculi, Herodoti, ac Titi Livii, quod in operibus suis Theologiam cum Politica, ac Religionem cum historia studiose conjungere soleant, multum prodesse potest.

Hisce Auctoribus nonnullos Poetas Græcos adjicies, ut Hesiodum, & Homerum, qui se habent instar Theologorum Gentilitatis. Cæteri vero plerique propter obscœna, quibus fabulas suas deturpant, repudiandi sunt. Cavendum ab iis monet Divus Paulinus, tanquam ab ingruenti naufragii periculo, atque ob eam præcipue causam Clerus Constantinopolitanus facultatem petiit, impetravitque ab Imperatoribus Christianis Græcos Vates Lyricos in ignem projiciendi, quibus suffecit poemata Gregorii Nazianzeni, quæ tamen elegantis styli exemplaria habenda non erant :

qua

qua in re plus studii ad morum castimoniam, quam rationis ostenderunt ad politiorem literaturam servandam.

Gentilium vero Scriptorum lectionem, quorum eruditio versatur in humanarum elementis Scientiarum, commendat D. Gregorius Nazianzenus, eosque stultitiæ redarguit, qui illam de medio tollere vellent, quum uno tantum oculo utatur, qui eos ignorat.

Origenes in *Philocalia* familiarem suum Gregorium hortatur, ut notiones, quæ Christianæ Religionis præludium esse debent, colligat ex Philosophia Græcorum, affirmatque, artium liberalium notitiam iis, qui Sacras Scripturas cognitione assequi cupiunt, necessariam esse; quum illarum ope exemplaria illustrentur obscura, voces explicentur ambiguæ, corrigantur interpunctiones, atque ad rectum revocentur sensum, quæ ab illo declinare videbantur.

Divus Johannes Damascenus hæreseos arguit Gnosimachos, idest ætatis suæ fanaticos, qui scientias damnabant. Divus quidem Augustinus literas profanas piis de causis, quas in suis refert epistolis, liberales appellandas non esse censet; in suis tamen *de Doctrina Christiana* libris fatetur, eas divinis explanandis Scripturis prodesse quamplurimum. *Epist. 131. antiq. Edit.*

Enimvero permulta sunt in Sacris Codicibus, ac præcipue apud Prophetas, quæ ad historiam profanam qui non recurrat, ad fabulas etiam, atque ad consuetudines Veterum,

assequi nemo valet. Optimi Interpretes nostri, media antiquitatis Paganæ cognitione, innumera Scripturæ loca illustrarunt. *Thammuz*, nomen, quo vocatur apud Ezechielem Idolum, in *Adonidis* nomen transtulit Divus Hieronymus; quam interpretationem ob argumenta e fabulis petita, probat Theodoretus (16).

Lib. 2. Tom. 3. Is. 18. Divus Cyrillus hujus Isaiæ loci: *qui mittit in mare legatos, & in vasis papyri super aquas*, explanationem promit ex historia Adonidis, cujus solemnia sua adhuc ætate Cives Alexandrini (17) celebrabant. Cives, inquit, Alexandrini scriptam ad mulieres Biblos epistolam, quæ repertum Adonidis numen nuntiaret, inque

[16] Duæ autem præcipue movent rationes, ut *Thammuz* unum, idemque cum *Adonide* credatur Gentilium numen. Primo, eadem utriusque colendi ratio: *& ecce ibi mulieres sedebant plangentes Thammuz* in Hebr. Cod. Ezech. 8. ℣. 14., quæ religio in Adonidis etiam cultu servabatur. Secundo, eadem tempestate, nimirum autumnali, ejusmodi cultus *Thammuz*, & *Adonidi* exhibebatur.

[17] Quum septuaginta Interpretes hæc habeant: *qui mittit in mare legatos, & epistolas papyrinas super aquas*: ea propter D. Cyrillus existimavit, Isaiam meminisse solemnis ritus, quo referente Luciano observabant Ægyptii in Festo Adonidis, quum missa per mare ad Phœnicias incolas epistola inventum Adonidis numen illis nuntiarent. Verum, quum res aliter se habeat in Hebraicis Codicibus, eruditissimi Interpretes alii censent, hoc loco Prophetam verbum facere de Nuntiis ad Regem Ægypti missis ab Ezechia, quum se a Sennacheribo vehementer pressum videret. Quidquid sit, negari certe non potest, ad Scripturæ Sanctæ explanationem plurimum conducere profanæ antiquitatis notitiam.

inque fictili vase repositam mari permittebant, rati, vas illud, nemine juvante, statutis anni diebus Biblos perventurum, ubi a mulieribus Veneri Sacris exciperetur, quæ semel repertis literis cessabant a lacrymis, quasi carissimum Venus reperisset Adonidem.

CAPUT IX.

Quid conferre possit Theologia Scholastica ad lectionem Patrum Ecclesiæ.

T*Heologiæ Scholasticæ* nomine intelligendum non est hoc loco subtile quoddam de unaquaque re disputandi genus, molestum, & odiosum, non secus ac exile, aridumque; sed vera, sinceraque Theologia ratiocinationis robore fulta, & in eum ordinem digesta, qui veritati perinde consonet, ac ipsamet principia, quibus innititur.

Neque vero versatur illa, ut effutiunt Hæretici, in subtili Fidei dogmatum compositione cum sophismatis Aristotelis; sed in continuata doctrinæ Christianæ capitum serie, quæ, quum rationi congruat, ex Aristotele demonstrari optime potest; utpote cujus doctrinæ ordo ne minimum quidem illi adversatur. Nunquam enim ea fuit Scholasticorum mens, ut Aristotelem in Scholas Christianas introducerent singulari illius amore, & observantia;

(18) ſed uno tantum veritatis ſtudio, ſine qua viliſſimus omnium haberetur, tanquam conſilii, & rectæ rationis expers. Tum illud non ideo factum eſt, quod ejus ratiocinandi methodo ſubtilitas ineſſe videatur; qui enim unius veritatis ſtudio ducuntur, parvi pendunt ſubtilitatem; niſi forte hoc nomine veniat vividum, acutumque acerrimi ingenii lumen, quod propoſitum finem recta attingens, cavillatorum, atque ſophiſtarum technas ſolertiſſime vitat.

Nonnullos, eoſque non paucos eſſe Pſeudoſcholaſticos ingenue fatendum; verum ſunt & complures germani, ſummaque laude digni, quibus detrahere non ſine maxima rationis injuria poteris, uti liquido conſtabit, ſi prima rerum expendatur origo.

Fuere quovis tempore in Eccleſia Scholæ, quibus Sacræ Literæ traderentur, indeque *Scholaſtici* cognomentum ad nos manavit, quo veteres Theologi altiſſimo gradu inſigniti ſunt. Fortunatus in tertio de Sancti Dionyſii miraculis libro vocatur *Latinorum Scholaſticiſſimus*, atque Sedulius in veteri chronica, quam profert *du Cange*, ad maximam laudem *Vir Scholaſticiſſimus* appellatur.

Jam

[18] Hinc bene multi non infimæ notæ Theologi poſtremis hiſce temporibus, quibus plures, iique præſtantiſſimi Viri novos in rebus philoſophicis progreſſus fecere, vale dicentes Ariſtoteli, ſeu potius Ariſtotelis ſectatoribus, recentiores Philoſophos ad Theologiæ ſubſidium non infelici eventu accerſunt.

Jam vero, etsi ineuntis ætatis Scholastici in Platonem magis, quam Aristotelem propensi videantur, non iccirco tamen putandi sunt, certam, accuratamque ratiocinationem dereliquisse, præcipue quum Sectarios adgrederentur.

In veterum Patrum Scriptis scholastica quædam elucet, seu, ut melius dicam, ratiocinandi methodus, quæ cum recentiori scholastica, sive argumentandi ratione haudquaquam pugnat. Extant hujus rei non pressa leviter, sed fixa vestigia apud Athanasium, Basilium, Gregorium utrumque, Nazianzenum, atque Nyssenum. Logices rudimenta exaraverat Divus Augustinus; neque inficiari ullo modo possumus, post tertium sæculum plerosque Patres Dialecticos fuisse, ex illorum tamen numero, qui, quum prudenti, sinceroque judicio sint, quidquid abjectam cavillationem, & fallacem subtilitatem sapit, constantissime repellunt.

Nihilo tamen secius, vel invehendæ novitatis amore ducti, vel inventis rebus nonnihil addendi cupidi alterius ætatis Scholastici, quum animadverterent, multa in antiquis Patribus confusa, neque, ut par erat, distincta, quo illa in aptum adducerent ordinem, cogitarunt Theologiam per articulos variis sub titulis distributam, ad suprema quædam capita revocare, ut multa illa, & lauta divitiarum supellex, quæ incomposita nullius ferme utilitatis erat, prodesset omnibus in ordinem

 digesta;

digesta; quum ordo cognitionum omnium; atque scientiarum fons sit, & origo.

Sæculo septimo Tayonus Episcopus Cæsar-Augustanus Summam Theologiæ ex operibus Sanctorum Gregorii Papæ, & Augustini collectam elucubravit. Consequenti sæculo Johannes Damascenus, qui & majori ornatus erat ingenio, & multa lectione instructus, opus confecit, uno volumine comprehensum, sub titulo *de Fide Orthodoxa*, eruditione, atque doctrina cumulatius; illud autem in quatuor libros tribuit, quorum primus differit *de Deo*, *ejusque essentia, atque attributis*; alter *de creatione mundi, & de prædestinatione*; tertius autem, & quartus *de Mysteriis Trinitatis, & Incarnationis*, paucis *de Resurrectione mortuorum* adjectis.

Novum istud inventum illustres fecit aditus recentiori Scholasticæ, quæ tamen apud Latinos undecimo solum sæculo exeunte lucem aspexit, auctore Divo Anselmo, qui de dogmatis Fidei scribere suscepit. Quod enim nonnullis placet, ejus originem petendam a Lantfranco Anselmi magistro, omni veri specie caret; siquidem ex operibus ejusdem Lantfranci, quæ supersunt, judicandum sit. Opera vero Divi Anselmi eo, quo disposuit ordine Pater *Gerberon* Congregationis Divi Mauri, amplissimum Theologiæ corpus constituunt, quo hodiernis etiam temporibus sapientissimi Scholastici, tanquam fundamento uti non dubitant.

Sæculo

Sæculo autem proxime inferiori Petrus Lombardus Parisiensis Antistes, Ecclesiæ suæ Pastor, unaque Doctor Theologus (quales omnes esse deceret Episcopos, si antiquitatis jura servarentur) in quatuor libros, secundum Petri Abaelardi methodum, Theologiam ex Scripturis Sanctis, & Patribus, ac præsertim Augustino desumtam edidit, quod magnum illi, præclarissimumque *Magistri sententiarum* nomen comparavit. Non ea erat Petro mens, ut veterem eliminaret Scholasticam, quum illa veluti fundamento operis sui uteretur; neque ut novam ab ea prorsus alienam induceret; sed hoc unum sibi proposuit, quod & perfecit, nimirum aptiorem veteri Theologiæ formam præbere, & studiosorum ingenia certo quodam ordine moderari, cui inhærentes non aberrarent in scientia dogmatum, quæ apud antiquos Patres obscura erat, atque involuta.

Paullo ante Petrum Lombardum Hugo Victorinus idem opus conficiendum susceperat; verum Hugone, atque Abaelardo sapientior Petrus, vel felicior, communi omnium consensu palmam retulit; plerique enim Scholastici ejus *Sententias* vel sequi, vel commentari magna contentione aggressi sunt; adeo ut, Sacris exceptis Bibliis, nullus sit fere liber majori, quam opera Lombardi, Commentariorum numero illustratus. Ea ratione Scholastica disciplina, quæ primo in quarundam sententiarum, ex Scripturis, & Patribus selectarum compositione sita erat, brevi Theo-

logorum annotationibus magnopere excrevit, junctaque Dialectica, & Metaphysica Aristotelis, novam omnino formam induit.

Opus absolvit Divus Thomas, Alberti Magni discipulus, atque, quod alii tremula, veluti manu adumbrarant, fortiter ipse, strenueque perfecit. Post multas disputationes, annotationes, & scripta, doctissimus iste Scholasticus *Summam* elucubrare cœpit, quæ omnium ejus Scriptorum epitome, opus omnium perfectissimum est, & mira ingenii vi elaboratum, supra quam post invectum in Scholas Aristotelem, visum unquam fuerit.

Verum, quum ea sit infelicissima rerum omnium conditio, ut vix ad summum perductæ, statim relabantur, Scholastica, principio tam laudabilis, in turpissimam cavillationem, Scholarum Christianarum majestate prorsus indignam, turpiter abiit. „ Quamobrem (inquit God. Hist. de l'Egl. doctissimus quidam Episcopus Gallus) Scho„ lasticos recentiores subtilitati rerum magis, „ quam firmitati studentes, Divum Thomam „ superandi cupidos, veritatem, quam illustra„ re susceperant, omnino turbasse; Scriptu„ rarum, Patrum, ac Conciliorum studia „ susdeque vertisse, depravasse ingenia, sua„ que explicandarum rerum exilitate pietatis „ spiritum in animis Fidelium paullatim ex„ tinxisse (19).

Melchior

[19] Animum intendit *D. Godeau* ad illa Apostoli verba 1. ad Thess. Cap. 5. *Spiritum nolite extinguere.*

Melchior Canus in opere *de Locis Theologicis* hocce infortunium miro prorsus modo conqueritur. Neque vero dubitat dicere, Cacodæmonis arte factum esse, ut Scholastici Sacræ Scripturæ, & Sanctis Patribus valedicentes, nec nisi vanas, futilesque subtilitates ex disputandi prurigine subortas inepte contestantes, contra Hæreticos in arenam descenderint, non ancipiti gladio, quem tantopere commendat Apostolus, sed puerilibus arundinum armis instructi. Laudabile quidem esse fatetur ad Theologiæ expositionem uti Philosophia; verum illud religiose cavendum monet, ne Theologia undique Peripatetica, humanæ tantum ratiocinationi subnixa in Scholas intrudatur.

Nihilo tamen minus, quemadmodum præcipuæ Imperii leges contemnendæ iccirco non sunt, quod in illud abusus irrepserint; ita neque ob Scholarum cavillationes repudianda Scholastica, cujus ignoratio litigiosa est, nequaquam vero scientia, ut inquit Cicero, loquens de Jure Civili. Et sane Scholastica, si se sola spectetur, nihil non habet laudabile, præsertim eo, quo reperitur ordine apud Divum Thomam. Quamobrem ejus *Summam* diligenter evolvisse non inutile fuerit, ut inde Patrum lectioni penitus quisquam incumbat. Nam licet alia sæpe, quam Scholæ via ineunda sit, ut veteres illi Doctores intelligantur, methodus tamen Divi Thomæ, ut accurato, quo carent in primis fontibus, ordine collo-

centur, juvare plurimum poteſt. Quum enim probe noſſet *Angelus* iſte *Scholarum*, extare apud Patres ordinem divinitus inditum, quamvis occultior ille ſit, aſſiduis meditationibus indagare nunquam ceſſavit, donec inventum, apertumque in clariſſimam lucem proferret.

Supervacaneum non fuerit addere in eorum gratiam, qui ſcholaſticam facultatem poſitivæ jungere vellent, duplici ratione perlegi poſſe Divum Thomam. Primam illi ſequuntur, qui ejus *Summam* obiter, & inconſiderate lectitant, eo fere modo, quo ſcripta in Scholis tradi ſolita, pravo nimirum, atque perniciofiſſimo. Quæſtionis illi titulum ſeligunt, articulos percurrunt, ac velut ab improbo debitore, in lucro deputant, quantulumcunque acceperint. Quod ſi forte fortuna res bene ſuccedat, adeo ut difficultatem Logicam percipiant, aut unum, vel alterum, *diſtinguo*, enodent, vel ad Dialectices regulas ſyllogiſmum conficiant, epinicium canunt, jamque ſe in præſtantiſſimorum Theologorum numerum referendos arbitrantur.

Altera minus crebra, minuſve facilis, multumque judicii, acuminis, atque attentionis poſtulans eo tendit, ut Divi Thomæ doctrinam funditus aſſequatur, ejus originem, & fontes in Sacris Codicibus, & Sanctis Patribus ſcrutetur, inſpiciatque, quo pacto in proprium tranſtulerit uſum, ut ſuo ſyſtemati vim omnem, qua pollet, conciliaret. Cauſam quoque inveſtigat, quæ inſignem hunc Theologum

gum impulit, ut Aristotelem in scholasticis disputationibus adjutorem sibi conjungeret; demum expendit, num recta ubique sit Divi Thomæ ratiocinatio, atque ex præjactis principiis legitima consecutione deducta.

D. Verjus Doctor Sorbonicus, ajebat, Divum Thomam, quum nervosam in omnibus ratiocinationem instituere nitatur, ita quandoque Metaphysicum evadere, ut e conspectu evolet, atque perraro revertens, eodem in loco consistat, unde digressus est. Qualiacumque tamen ea sint, si eo, quem descripsimus, modo legeretur Divus Thomas, innumeris fortasse difficultatibus intercluderetur aditus, quæ inaniter ingenia torquent; seditiosæ quoque factiones comprimerentur, finem haberent inutilia commentaria, atque incredibilis altercationum numerus componeretur, a quibus Angelicus Doctor perinde alienus est, ac Sol a litigiosis Philosophorum disputationibus de quibusdam effectibus, quos ipse nullo modo producit.

Quum vehementia inflammantur ingenia, scintillas nonnunquam emittunt, quæ mediocribus insolita lumina videntur; & quoniam, posteaquam vires ipsi suas superarunt, recipere sese, nostroque loquendi modo, quamvis rudi, & imperfecto se accommodare, vel novum excogitare coguntur, ob exiguam, quæ interest inter illorum cogitationes, & verba similitudinem, offunduntur tenebræ, quæ licet nullius reapse momenti, innumeris tamen

diffi-

difficultatibus, atque disceptationibus originem præbent. Hinc jure, meritoque optabat Galenus, ut sine verborum subsidio scientiæ tradi possent; quum enim verba inchoatam duntaxat, obscuramque cogitationum nostrarum speciem referant, homines ignari, atque imprudentes de verbis solum disputant, de rebus autem nusquam conveniunt.

CAPUT X.

Quam necessaria sit ad intelligendos Ecclesiæ Patres Sacræ Scripturæ lectio.

QUisquis Patrum Ecclesiæ fidissimum se præstare laborat discipulum, attentissime Divinas Scripturas pervolvat oportet, nec eas unquam e manibus dimittat. Diuturna exercitatio laborem minuit, facilioremque parat intelligentiam, ac mira demum suavitate, atque delectatione perfunditur animus, cum occurrentia Patrum loca statim, nulloque fere negotio, quem in sensum referantur, percipere valet.

Ne autem error obrepat, videndum inprimis, ex quo Scripturæ libro testimonium, quod sub oculos cadit, desumtum fuerit; & num liber iste, vel ejus locus in Judæorum, vel Christianorum Canonem relatus. Multum quippe differunt auctoritate liber Canonicus,

Apo-

Apocryphus, & Ecclesiasticus, qui, cum abesset a Canone, legebatur antiquitus in Ecclesia, ut documenta pietatis, vel alia quædam emolumenta ducerentur ad populorum institutionem, atque salutem.

Apocryphi Codices, quos hæreseos, vel mali exempli causa rejiciebat Ecclesia, nullius erant ponderis, nulliusque auctoritatis. Eos quidem protulere nonnunquam Ecclesiæ Patres; ast ea duntaxat ratione, ut illa deligerent, quæ recta videbantur, atque fere semper, ut Hæreticos eorundem, quos accipiebant, librorum auctoritate refellerent.

Inspiciendum secundo, quinam libri, qui expenditur, Auctor, vel Scriptor, cur, quomodo, quando, & quicum loquatur. Si enim ignorentur causæ, quibus ad scribendum moti fuere Sacri Scriptores, si illorum ingenium lateat, ac consuetudo loquendi, a genuino sensu longius recedes, quo propius eum attigisse putabis.

Tertio loco diligenter considerari debet prolati testimonii positio; videnda, quæ antecedunt, & consequuntur. Inquirendum insuper, num plura Scripturæ loca in illud referri possint, num eodem sensu; mores ne, an dogmata spectet; integrum ne, & de verbo ad verbum descriptum sit, an non mancum, mutilum, nec propriis, sed æqualibus verbis redditum: quod quidem Patribus admodum familiare fuit, qui Scripturæ loca memoriter proferebant, de verbis parum solliciti, dum

rem.

rem ipsam sartam, tectam, integramque servarent.

Divus Basilius *in Asceticis*, quæ nullius libri subsidio perscripsit, fidenter, & libere eorum more, qui memoriam testem adhibere coguntur, Scripturam adducit. Justinus martyr, Cyprianus (20), aliique illorum temporum Patres Scripturæ loca commemorant, prout in mentem veniunt, & nonnunquam a LXX. omnino dissentiunt.

Hujusce rei causa peti posset vel ab exemplarium, quibus utebantur, varietate, vel ab Amanuensium audacia, qui Glossam in margine positam textui inseruerint, vel demum ab iisdem Patribus, qui nullo habito delectu interpretationum, quibus utebantur Ecclesiæ, Scripturæ loca, quæ adducere libebat, ex Græco transtulerint. Probabiliter hæc omnia affirmari possunt; veri tamen simillimum est, ut notavimus,

[20] Memoria tantillum lapsus videtur hoc loco Auctor operis, quum D. Cyprianum ab editione LXX. Interpretum quandoque dissentire pronuntiat; quasi vero Græcis exemplaribus uteretur D. Cyprianus. Latine scripsit Carthaginensis Antistes, atque non Græcam, sed ejusdem Græcæ latinam interpretationem adhibebat. Jamvero latinæ ejusmodi interpretationes plures erant numero, atque a se omnino diversæ, teste Hieronymo, *Præfatione in Josue*, ubi ait: „ Apud Latinos tot „ sunt exemplaria, quot „ Codices, & unusquis„ que pro arbitrio suo „ vel addidit, vel subtra„ xit, quod ei visum est „. Quid ergo mirum, quod D. Cyprianus ab interpretatione Græcorum omnino dissentiat?

vimus, sollemne fuisse Ecclesiæ Patribus Scripturæ loca memoriter proferre.

Expendendum quarto loco, num vitiata sint, atque corrupta exemplaria, quibus utuntur; quum enim tot sæculorum decursu in omnium manus venerint, haud difficulter potuit irrepere mendum; quandoquidem ex supputatione Lucæ Audomarensis Decani in postremis vulgatæ editionibus, quantacunque fuerit duorum Summorum Pontificum cura, quatuor, & amplius mille reperta sunt loca emendatione digna, quod Bellarminus, & Johannes Baptista *Bandini*, qui susceptæ jussu Clementis VIII. editioni præfuere, inficiari ausi non sunt.

Notandum denique, ex quanam editione sumtus fuerit locus in controversiam adductus: num ex Hebraica, an ex Græca LXX.; num ex Vulgata, an alia qualibet. Illud autem hac in re principio ponendum, tot inter antiquas editiones, nullam generatim apud Patres magis in usu fuisse, quam Græcam LXX.. Tum enim a Christo Servatore (21), & ab Apostolis usurpata fuerat; tum etiam ab Ecclesia, ut certissimæ fidei habebatur: in conventu Fidelium vulgo legi solebat, ac demum a Judæis

[21] Non video sane, quo fundamento nixus affirmet Auctor operis usurpatam a Christo Domino Græcam LXX. interpretationem. Etenim Christus Servator eodem cum Judæis sermone utebatur, eandemque cum illis adhibuit Scripturam Sacram, scilicet Hebraicam, quibuscumque demum characteribus ea ætate exarata foret.

Judæis etiam, licet nonnihil in ea reprehensione dignum arbitrarentur, excipiebatur tanquam legitima. Quapropter Origenes, quum interpretationem LXX. adhiberet in suis ad Fideles cohortationibus, disputans contra Judæos, editiones Aquilæ, Symmachi, & Theodotionis adducebat, ut occuparet omnia nequissimorum hominum argumenta, qui criminari solebant interpretationem LXX., multis in locis ab Autographo, sive ab Hebræo Codice dissentire (22).

Alia quoque ratio Patres impellebat, ut LXX. Interpretes sequerentur; scilicet persuasum illis erat, Hebraicum Codicem corruptum fuisse (23); Græcam vero LXX. interpretationem

[22] Parum omnino sibi constare videtur Auctor operis hoc loco. Quum enim paullo ante dixerit Græcam LXX. interpretationem a Judæis tanquam legitimam acceptam fuisse, nunc ait Origenem contra Judæos disputantem relicta LXX. interpretatione, protulisse editiones Aquilæ, Symmachi, & Theodotionis. Verum hæc conciliari optime possunt, si distinxeris Judæos Hellenistas ab iis, qui Jerosolymam, vicinasque Provincias colebant. Apud Hellenistas, utpote per universas Alexandri successorum Regiones dispersos, atque Hebraicæ linguæ pene oblitos, maximo in honore habebatur Græca LXX. interpretatio, quam Judæi Jerosolymam colentes parvi omnino pendebant. Itaque Origenes non contra Hellenistas, sed contra Judæos Jerosolymorum incolas utebatur interpretationibus Aquilæ, Symmachi, & Theodotionis.

[23] Nunquam persuasum fuisse videtur Ecclesiæ Patribus Hebraicum Codicem a Judæis corruptum. Equidem Justinus, Irenæus, & Origenes editas narrant ab Hebræis interpretationes a genuino Sacrorum Codicum sensu alienas; at vitiatum tamen ab illis exem-

nem unam esse tot inter, quæ extabant, editiones primigenio Codici consentaneam, paucis exceptis, quæ demta, vel addita, vel obscurius expressa fuerant, ne offenderetur Ptolemæus, aliique Gentiles, quorum in gratiam LXX. interpretationem hanc elaborarant.

Revera existimabant, Patres illius interpretationis auctores divinitus inspiratos, adeoque ab omni erroris suspicione immunes fuisse. Hoc semel posito, ajebat Ruffinus, interpretationem LXX. Ecclesiis, tanquam Fidei regulam ab Apostolis relictam fuisse, ac Divus Hieronymus Amanuensium ignorationi, vel incuriæ assignat menda, quæ in hac interpretatione notantur; immo pro certo habet, non secus ac Augustinus, ea, quæ textui addidere LXX. a Spiritu Sancto auctoritatem habere.

Advers. Hier.

Præf. in 2. Paralip.

De Civ. l. 18. c. 43.

Deinde disputantibus contra Gentiles, qui Hebræam linguam ignorabant, plurimum proderat Græcam interpretationem proferre. Tum enim Verbum Dei, Græco sermone illis consueto, explicatum lubentius excipiebant; tum etiam ad eos proprie spectabat hæc interpretatio, in quorum gratiam fuerat exarata. Itaque Divus Chrysostomus dicere non dubitat, supremo Dei consilio factum, ut Gentiles ejus Filium

exemplar Hebaicum nemo unus affirmat. Immo singulari Dei O. M. providentia factum fuisse videtur, ut intactas, & integras religiosissime servatint Scripturas Sanctas, vel iis etiam in locis, quæ illorum deliriis magis adversabantur. Hinc Divus Augustinus eos *Capsarios, & Librarios nostros* appellat in Ps. 40., & 56.

Filium agnoscerent media Græcorum LXX. interpretatione, quæ instar viæ, & januæ sit, qua ad eum itur.

Præterea, quum frequens esset Patribus occasio disceptandi cum Arianis, Macedonianis, & Nestorianis, qui veterem hanc interpretationem cæteris omnibus anteponebant, necesse omninò erat, ut eandem & ipsi adhiberent.

Notatu tamen dignum, Ecclesiæ Patres, licet ea interpretatione, quam Sanctam habebant, Divinam, atque Canonicam, vulgo uterentur, ubi tamen veritatis elucidatio postularet, ad autographum Codicem provocasse. Qua in re secuti sunt exempla novi Testamenti Scriptorum, qui relictis Græcis Interpretibus, ad Hebræos se convertebant, quum eorum Codices Spiritus Sancti mentem nervosius exprimerent.

De civ. l. 18. c. 43. Divus Augustinus, qui editionem LXX. omnibus aliis anteponendam existimat, id tamen vult fieri, salva, quæ debetur Hebræo exemplari, honoris reverentia; neque enim antiqui Patres editionem LXX. unam esse putabant authenticam.

Extabant & aliæ editiones Scripturæ, ex quarum usu Patres aliquid emolumenti capiebant. Ejus generis sunt editiones Hesychii, Luciani martyris, & Origenis, quæ non tam novæ editiones, quam Veterum correctiones, ab antiquis hisce Criticis suarum Ecclesiarum commodo factæ, dicendæ sunt.

Judæi

Judæi vero videntes quantum subsidii peterent Christiani ex LXX. Græcorum interpretatione, novas Bibliorum editiones Hebraicis illorum temporum (24) Codicibus magis consonas, adeoque a Religione Christiana magis alienas, vulgare aggressi sunt.

Judæus Aquila, Theodotio, ac Symmachus interpretationes suas ediderunt. Prior se totum vocabulis serviliter addixit; alter verborum minus sollicitus, ad Græcos LXX. magnopere accessit; posterior summa cum libertate, nullà vocum habita ratione, solum Scripturæ sensum reddere satis habuit.

Eodem sæculo sub Imperium Caracallæ nova Bibliorum Græca interpretatio in lucem prodiit. Temporibus autem Alexandri filii Mammeæ in Urbe Nicopolis alia visa est (25): ac demum septima, quæ solum erat Psalmorum Davidis.

Denique cum Græca LXX. interpretatio varias ab Amanuensibus corruptiones passa foret, Origenes in ea restituenda, mediis optimis exemplaribus, quæ sedulo exquisivit, operam

[24] Editiones suscepere Judæi non tam Hebraicis illorum temporum Codicibus consonas, (quippe, ut nuper dicebamus, vitiata non fuere Hebraica exemplaria) sed potius deliramentis suis magis faventes.

[25] Hæ duæ interpretationes, quinta nimirum, & sexta detectæ quidem, repertæque temporibus Caracallæ, & Alexandri; sed jampridem perfectæ fuerant. Prima, referente Origene apud Eusebium, in Urbe Jericho; altera in Urbe Nicopolis reperta fuit.

operam suam collocavit. Cautum inprimis habuit, ne quidquam adderet de suo; omnes enim additiones ex Theodotione excerpsit, ac veterum Grammaticorum *Obelis*, & *Asteriscis* distinxit.

Hæc omnia diligenter animadvertenda sunt, quum loca Scripturæ ab antiquis Patribus prolata exquiruntur. Quamobrem, ut sanum de illis judicium proferas, abs re non erit partem aliquam temporis insumere in variarum Sacri Codicis lectionum investigatione. Quod quidem summam diligentiam postulat, atque attentionem, ne diversitas esse videatur, ubi nulla prorsus occurrit. Consuli potest ea de re Ludovicus Capellus, qui varias Scripturæ lectiones ita collegit, ut nec illarum numerum nimis auxerit, nec earum laudes nimis celebrarit. Ex mille, & amplius lectionibus (ut notat recentior Criticus) quæ centum fere, & mille Evangelii Sancti Matthæi versiculis subsunt, vix quinquaginta sensus varietatem inducunt; quinimmo illa diversitas in iis rebus sistit, quæ Religionem, & pietatem haudquaquam lædunt.

Varietas lectionum apud Ecclesiæ Patres originem principio ducit ex variis Scripturæ interpretationibus. Verum inde etiam oriri potuit, vel quod Patres quorundam Auctorum, qui nobis ignoti sunt, emendationibus confiderint, vel quod suas ipsi correctiones secuti sint. Tunc enim Bibliorum exemplaria liberius quisque corrigebat, sive quod librariorum

errata

errata notaret; sive quod linguæ ubertas, cum varios sensus offerret, pluribus locum daret interpretationibus, quarum aliæ ab aliis quandoque diffidebant.

Quemadmodum Græci Patres Græca LXX. interpretatione utebantur; ita Latini veterem Vulgatam adhibuere, quæ Latina erat illius Græcæ editionis interpretatio.

Aliæ præterea habebantur innumeræ. Quamobrem Hieronymus, & Augustinus scripserunt, innumerabilem esse illarum copiam, quum omnes fere, modo Latino, Græcove sermone vel levissime instructi forent, novas interpretationes cudere aggrederentur.

Præf. in Jos. & in Evang.

De Doctrin. Christ. lib. 2. c. 11.

Verisimile admodum est editionem *Italam*, qua usus est Augustinus, eandem esse, quæ a Hieronymo appellatur *Vulgata*. Attamen Divus Hieronymus, cui Veterum lucubrationes probatæ non erant, non modo priscam Latinam LXX. interpretationem emendandam, verum etiam novam Hebræi Codicis Latinam interpretationem suscepit. Quæ quidem multorum excitavit querelas, nec ab Ecclesia probari cœpit ante Divi Gregorii Papæ tempora (26), qui *Præfatione in Jobum* testatur, Sedem Apostolicam

[26] Sermo est hoc loco de universali istius interpretationis approbatione, ita ut Sedes Apostolica utraque Latina uteretur. Quod enim attinet ad peculiares aliquot Ecclesias, ante D. Gregorii tempora procul dubio probari cœpta est; quinto nimirum sæculo in Galliis, ut constat exemplo Salviani ejusdem ævi Scriptoris; in Hispaniis etiam, agente inprimis Lucinio,

stolicam utraque uti interpretatione, ac semetipsum utraque indiscriminatim Vulgata, veteri, & nova usum fuisse.

Nihilo tamen minus nescio, qua de causa postrema isthæc interpretatio honoratiorem locum occupavit: antiquæ vero nihil reliquum est, præter pauca apud Patres Latinos fragmenta, ex quibus Nobilius Flaminius, quo melius potuit modo, eam compilare nisus est, quæ desiderabantur, marte proprio supplens haud infelici successu. Quanquam hæc editio sit restituta, non eadem certe est, quæ ante Divum Hieronymum; satis tamen inde dignosci potest, quænam foret antiquitus, atque iis, qui diligentiorem Latinis Patribus operam navant, inutilis plane non fuerit.

Græca LXX. interpretatio primigenia lingua, ex vetustissimo manuscripto, integro fere ex Vaticana Bibliotheca depromto, Typis impressa fuit Romæ jussu Sixti V. anno 1587.. Anno autem 1628. Morinus Oratorii Presbyter novam eorundem Interpretum editionem aggressus, junxit una duos Textus, Græcum, & Latinum, eamque Flaminii Scholiis locupletavit, distinctis etiam ad modum Vulgatæ versiculis.

---

cinio, & in Africa, testante D. Augustino, qui epistola 71. narrat, ab Africano quodam Antistite lectam in Ecclesia Prophetiam Jonæ, a D. Hieronymo latine redditam. Ipsemet etiam Augustinus eam sæpe profert in librum Jobi.

CAPUT

CAPUT XI.

Historiæ cognitio ad intelligentiam Patrum Ecclesiæ adprime necessaria est.

QUemadmodum inconsultis Patribus completam, absolutamque Historiæ Ecclesiasticæ notitiam assequi nemo potest; ita sine Ecclesiasticæ Historiæ præsidio Patres perfecte, planeque intelligi nequeunt. Quis, exempli causa, Arianorum, Pelagianorum, & Donatistarum historiam probe sciat, qui Sanctorum Athanasii, Augustini, & Optati contra hosce Hæreticos monumenta non legerit? & vicissim quis doctrinam istorum Patrum studiose percipiat, qui Hæreticorum, contra quos pugnarunt, historiam ignoraverit?

Hæc animadversio sanæ mentis homines, atque in lectione Patrum proficiendi cupidos movere debet, ut ad Historiam Ecclesiæ sedulo incumbant. Neque vim ullam facit, quod opponunt, duobus hisce studiis una junctis nimium distrahi mentem. Cum enim arctissima est istorum conjunctio, tum etiam major, quam vulgo creditur, humanæ mentis amplitudo; adeo ut variis rebus nullo negotio vacare possit; immo tantum abest, ut hac varietate laboret, quin potius reficiatur, atque relaxetur. Valde quippe molestius est, ac difficilius

cilius uni rei operam dare, quam in multis se se exercere.

Lud. Nonn. de re cibar. lib. 1. c. 2. Eadem fere est in homine conditio mentis, ac corporis, ad cujus integram valetudinem, moderatam adhibere præstat ciborum varietatem, quam unico affatim satiari; quo periculosa cruditas oriretur. Exemplo sunt apes, *Arist. lib. 8. Hist. animal. c. 21.* quæ non ex uno florum genere, sed ex innumeris floribus, specie, naturaque omnino diversis, suavissimum mel effingunt.

Historia nihil in se continet, quod magnopere jucundum, ac perutile non sit; atque id sibi laudis jure quodam vindicat, quod conditionem non sequitur illarum scientiarum, quæ magnum in sui cultorum delectu discrimen adhibent, quæque in illis excipiendis paullo sunt fastidiosiores. Subditis illa perinde, ac Principibus communis est scientia; mediocribus juxta, ac præstantissimis ingeniis exercitationem præbet. Cicero in libro secundo de Oratore hæc habet: „ Erat enim historia „ nihil aliud, nisi annalium confectio: cujus „ rei, memoriæque publicæ retinendæ causa, „ ab initio rerum humanarum usque ad P. „ Mucium, Pontificem Maximum, res omnes „ singulorum annorum mandabat literis Pon„ tifex Maximus, efferebatque in Album, & „ proponebat tabulam domi, potestas ut esset „ populo cognoscendi, qui etiam nunc an„ nales maximi vocantur.

Apud Orientales alebantur Scribæ, ut acta colligerent, quibus gentis suæ universa histo-

ria

ria contineretur. Eadem vigebat apud Ægyptios consuetudo; penes Hebræos etiam huic officio destinabantur Scribæ, qui publicis actis ea consignarent, quæ sub Judicibus, & sub Regibus gesta forent (27). Quum Josue profligasset Amalecitas, mandavit Deus Moysi, ut eam victoriam scriberet *ob monimentum in libro*. Auctor Chronices Alexandrinæ censet, libros *Paralipomenon* nihil aliud, quam summam actorum complecti, in quibus gesta Regum scripta fuerant; illud extra omnem dubitationis aleam situm est, Judæos post captivitatem collegisse quidquid actorum publicorum invenerunt, suisque in Archiviis diligenter servasse.

Liquido hæc ostendunt, quanto fuerit in honore quovis tempore historia, quippe omnium cognitionum amplissima; ita ut nulla ferme scientia pendere ab illa quodammodo non

[27] Apud Hebræos extitisse viros nonnullos, qui potiora Regum, & Populi gesta literis mandarint, inficias non ibo: ast illos ab Hebræis ad ejusmodi officium destinatos, justo facilius affirmare videtur Auctor operis. Hæc autem sumsit, ni fallor, a Richardo Simone Oratorii Presbytero, qui, ut Pentateuchum a Moyse abjudicaret, totiusque veteris Testamenti auctoritatem imminueret, ejusmodi Scribas effinxit, quorum scripta temporis successu in exiguum volumen redacta, ad nos transmissa putat sub nomine Sacrorum librorum. Verum, utut a Viris eruditis premeretur, nullo unquam satis certo argumento opinionem suam firmare potuit. Vide inf. 4. part. not. 8.

non videatur. Religioni clariſſimam lucem adfert hiſtoria; & Traditio, cui innitimur, pars eſt hiſtoriæ Eccleſiaſticæ. Hiſtoria duce omnes fere veteris Teſtamenti Prophetiæ explicantur.

M. de Meaux. Explic. de l'Apocalyp. Nec ſine illius adjumento *Apocalypſis* liber undique myſticus, ac cœlitus immiſſa revelatio intelligi poteſt; nimirum abſque eorum notitia, quæ in Eccleſia, & Imperio ſtatim poſt hanc revelationem evenire cœperunt.

Lamy Entret. ſur les Scien. „ Uno verbo tota Sacra Scriptura, univerſaque „ Theologia nihil aliud ambitu ſuo comprehen„dunt, quam illorum, quæ Deus revelavit ho„minibus, quæque Eccleſia quovis tempore „credidit, hiſtoriam.

Cum Eccleſiaſticos Annales conficere infinito labore ſibi propoſuit Baronius, hoc unum in mente habuit, Theologiæ doctrinam factis potius, quam ratiocinationibus tradere, eoque modo Theologiam Eccleſiæ Catholicæ opponere Theologiæ Hæreticorum; quemadmodum Moyſes Theologiam Hebræorum contra Theologiam Ægyptiorum, & Chaldæorum ſtatuebat, qui chimerica, ac fabuloſa antiquitate gloriabantur.

Hiſt. Angl. Guillelmus Candenus, licet ex Novatorum grege, contendit, hiſtoriam Eccleſiæ pro luculentiſſimo, certiſſimoque Chriſtianæ Religionis monumento habendam eſſe. Henricus Valeſius in ſuis ad Euſebium annotationibus hanc ſcientiam aſſerit omnium aptiſſimam ad revincendos Hæreticos, qui, quum ob intolerabilem ſuperbiam adverſariorum argumentis

cedere

cedere nolint, secreto historiæ testimonio revincuntur; quippe in ea propriam cum priscis Hæreticis eorum decessoribus damnationem legunt.

D. *De-Flavigny* Doctor Sorbonicus accepisse se a Casaubono affirmat, quum legeret Bellarminum, de omnibus dubitare consuevisse; quum vero Baronium adiret, de Christianæ Religionis veritate persuasum esse. Gaspar Scioppius in literarum republica ob censuræ severitatem celeberrimus, accepto lumine ab Annalium Ecclesiasticorum parente, ab erroris via gradum revocavit, Lutheranorum Sectam deseruit, & Catholicam Fidem amplexus est.

Virum Theologum, inquit Melchior Canus, *Loc. Theol.* cui Ecclesiasticæ historiæ cognitio desit, ex communi Eruditorum consensu, omnino contemnendum, ea præcipue ratione, quod illius scientiæ cognitione careat, sine cujus ornamento inops quisque censetur, & nudus, quibuscumque demum aliis cognitionibus instructus sit, atque exornatus.

Profecto, qui ignorant historiam, compluribus erratis obnoxii sunt, atque haud immerito magna eorum pars, in quæ nostri Ecclesiastici Scriptores lapsi sunt, nimiæ hujusce studii negligentiæ adscribitur (28).

Tur-

[28] Exemplo est Vasquezius, vir cæteroquin eximius, & in re Theologica peritissimus, qui in recensendis Monothelismi fautoribus, Sergio, Pyrrho, & Paulo adjunxit Typum, quasi eo nomine quidam Mono-

Turpissima est Canonici Juris Peritis ignoratio antiquitatis. Yvo Carnotensis, quanquam multa laude dignus, majorem sibi fidem comparasset, si re historica magis instructus fuisset. Quam ob causam incomparabilis Cujacius, vir Canonico, ac Civili Jure eruditissimus, probe noscens, quam necessaria sit Canonici Juris Perito historiæ scientia, omnes industriæ nervos intendit, ut eam perfecte consequeretur.


D. Godeau scribit „complures Scholasticos, „ quod doctrinæ historiam ignorarent, in errorem lapsos fuisse, e quibus adversarii eos „ ignorantiæ, vel malæ fidei insimulandi occa„sionem arripuere. Quum enim præsentibus toti „ occuparentur, ac dogmatum substantiam, quæ „ eadem semper fuit, a mutationibus vel expla„nando, vel finiendo consecutis non distingue„rent, recentioris Scholæ regulis ea, quæ pro „ temporum ratione diversissima sunt, accom„modare studuerunt.

Mirum sane, quod tanta sit utilissimis in rebus hominum incuria, tamque prava, & indiligens in iis meditatio. Nullius enim momenti est longam annorum seriem, sæculorum, olympiadum, lustrorum, epocharum memoria tenere; innumerabilia etiam Imperatorum,

Monothelitarum patronus vocaretur, quum *Typus* nomen sit edicti ab Imperatore Constante lati, quo sententiis contrariis de una, vel duabus in Christo voluntatibus indicit silentium.

ratorum, Regum, Pontificum, Conciliorum, Hæreticorum, Hæreseon, & Schismatum nomina, nisi ab externa hac historiæ specie interius ad eam penetremus; atque matura, prudentique consideratione, occulta detegantur machinamenta, quibus moti homines, tam varias in universi orbis theatro gessere personas.

Summa opus est mentis contentione, qua Principum, ac Populorum indoles, & ratio perspiciantur, qua verum secernatur a falso; verisimile ab eo, quod omni veri specie caret; qua distinguantur eventus casu, ingenio, vel cupiditate profecti, ab iis, quos recta agendi ratio, quos Religionis, ac pietatis studium produxit. Firmum ab infirmo sejungendum; praxis a Theoresi; ac demum, quæ divinando solum, ac conjectando dicta sunt, ab iis, quæ auctoritate, ac fidissimis, authenticisque monumentis nituntur.



CAPUT

CAPUT XII.

Digressio ad Historiam Ecclesiasticam, qua Patres Ecclesiæ spectat.

QUanquam nobis animus non est in præsentiarum præcepta tradere, & quasi vias indicare, quæ ad Ecclesiasticam Historiam conducunt; obiter tamen dixisse juvat, optimam eam esse rationem, qua viatores imitemur, qui longissimas, vastissimasque regiones peragraturi, eas primum in angustam tabulam contractas ediscunt; tum ab itinere reversi, injectis iterum in tabulam oculis, terras, & maria multis, diuturnisque laboribus perlustrata, brevi tempore percurrunt.

Quod ut recte fiat, prudenterque, principio seliges optimum Ecclesiasticæ historiæ compendium, quale Spondanus concinnavit; attente pluries, si opus sit, perleges, antequam ipsos historiarum fontes adeas, qui compilationibus materiam præbent (29).

Ubi

[29] Quum bene multa historiæ Ecclesiasticæ capita post ætatem Spondani, qui plerasque Baronii mendas compendio suo inseruit, diligentius tractata fuerint, atque illustrata; aptius iccirco, & opportunius adhiberi posse videtur aliquod aliud summarium posterius evulgatum. Ejusmodi præ cæteris est historia Ecclesiastica P. *Graveson*, quæ universam rerum Ecclesiasticarum seriem compendio, summaque accuratione ob oculos ponit.

Ubi prima isthæc historiæ cognitio, atque sufficiens rerum forma altius in animo consederit, legi poterunt pro temporum ordine, inter Græcos quidem Eusebius, Socrates, Sozomenus, Theodoretus, Theodorus Lector, Philostorgius, Evagrius, Theophanes, & Auctores Bizantinæ: inter Latinos autem Gregorius Turonensis, Beda, Annales Sancti Bertini, Divus Eulogius Cordubensis, Flodoardus, Luitprandus, Ditmarus, Lambertus Scaphnaburgensis, Hugo Flaviniacensis, Sigebertus, Odericus Vitalis, Guillelmus Malbesburiensis, Matthæus Parisius, & alii.

Hac præmissa lectione, Baronius, ejusque Continuatores pervolvi jam poterunt, cujus Annales totum Ecclesiasticæ Historiæ corpus comprehendunt. Qui viam hanc inire studuerit, notas duntaxat percurrens regiones, minus laboris, & operæ insumet; cumque tabulas præ manibus habeat, rectam, absolutamque de innumeris difficultatibus, quæ tam amplum, & arduum opus comitari solent, ferre poterit sententiam. Quum vero Annalium Scriptores gestis quibusdam referendis, præjudicatas nonnunquam, quibus imbuti sunt, opiniones sequantur, & in lubrico versentur, doctissimorum Criticorum opera utendum est, qui in illis castigandis diligentiam omnem posuere.

Post hæc ad compendia, si placet, facillime gradus reduci poterit, ut rerum simpliciorum, contractiorumque præsentia aliarum, quæ com-

positæ

positæ sunt, & amplissimæ, cognitio ad memoriam revocetur.

Qui primigenios evolvit Historicos, illorum singillatim ingenium scrutabitur, facultatem, religionem, mores, atque negotia; quam in partem rerum Ecclesiasticarum hic, vel ille vocatus fuerit; quo sæculo, qua ratione, quove fine scripserit; num viris, & rebus, de quibus agit, coævus; privatus ne, an publicæ rei administer; vere ne Auctor, an plagiarius, aliorumque compilator; num peculiares opiniones, an pervulgatas duntaxat tueatur; num sit in honore apud homines; probatus ne, an ab Ecclesia damnatus?

Quem enim exempli causa latet Eusebium Cæsareensem maxima in Origenem voluntatis inclinatione propensum, atque ætate ubique pene Ariana vixisse, immo etiam de Hæresi Ariana suspectum; versatili fuisse ingenio, callido, atque in animos hominum facile labenti, sed gloriæ cupidum, atque ad omnia suscipienda idoneum, ut finem suum assequeretur; quem, inquam, lateant hæc omnia, difficillime insidias vitabit, quas posteris instruxit fallaci scribendi modo, ad fucum faciendum eo aptiori, quo simplicior videtur, atque amplissima antiquitatis, rerumque Ecclesiasticarum cognitione cumulatior.

Pari quoque ratione, cui nota non sit summa Theodoreti cum Nestorio necessitudinis conjunctio, fidem iis fortasse habebit, quæ scribit in laudem Theodori Mopsuesteni contra D. Cyrillum.

Item,

Item, qui Socratis, & Sozomeni errores ignoret, damnabit una cum iis Præsules adprime Catholicos, atque e contrario Cœlitibus adnumerabit Episcopos, quorum fides vitiata est, atque corrupta.

Re quidem vera Socrates nedum commendat Novatianos, quorum partes tutabatur; verum etiam in illorum gratiam mirificos ex industria confingit eventus pessimo assentatorum more; iisque adscribit miracula nullo satis firmo innixa fundamento. Catholicis non aliam fuisse causam bellum indicendi Novato pronunciat impudentissime, quam ut oppositum effusæ illorum libidini ab hoc præstantissimo Viro aggerem diruerent: calumniatur, inquinat, laceratque Divum Chrysostomum, iniquo ferens animo abductas e Novatianorum manibus Sanctissimi Præsulis studio nonnullas Ecclesias; eum impudentiæ insimulat, effusionis, atque superbiæ; addit, Deo jubente, in scelerum mulctam e propria Sede pulsum fuisse.

Lib. 1. *C.* 9.
Lib. 7. *C.* 17.
Lib. 4. *C.* 21.

Eodem impetu Supremos Pontifices Innocentium, & Zozimum insectatur; neque Sanctum Cyrillum Alexandrinum minus aspere tractat, quum Atticum Divi Chrysostomi Successorem laudibus in Cœlum efferat, ut Divum Cyrillum Attici, qui Novatianis favebat, comparatione magis deprimat.

Quamobrem maxima circumspectione veteres Ecclesiæ Historici pervolvendi sunt, qui Hæreseos labe contaminati fuere, vel in illius

suspi-

suspicionem venerunt: quin etiam ne Catholicis quidem Historicis temere fidendum, præcipue quum ea, quæ in medium adducunt, satis non expendisse videntur. Divus Johannes Damascenus in probandis historiis justo facilior est; Divus autem Hieronymus in iis referendis non ubique accuratus.

Denique Lector, cui Græcorum ingenium, effusaque illorum mentiendi libido comperta non sit, fabellas plerumque pro certissimis factis, ac Metaphrastes, sive Scriptores, qui res, non ut revera sunt, sed ut comminisci lubet, enarrant, pro sinceris, fidissimisque Historicis habebit: ex altera vero parte, qui Latinorum in credendo levitatem, facilitatemque ignoraverit, errabit facillime, ac multorum sequetur exemplum, qui vulgi rumoribus, frivolisque narrationibus Ecclesiasticam Historiam referserunt.

Quanquam vero postulet æqua ratio, ut graviores Historici inferioribus anteponantur; hi tamen contemnendi non sunt, cum æquari nonnunquam illis primi ordinis, conferrique possint. Enimvero perspicacissimum Virum decet, non modo meliores expendere, atque deligere Scriptores, verum etiam apud mediocres secernere legitima, atque ex illorum penu depromere, quæ ad illustrandam veritatem conducere possunt. Celeberrimum quippe est in re historica axioma; etsi non omnibus fides adhibenda, legenda tamen omnia, utcunque indigesta, & agrestia.

Ergone

Ergone propter ſtyli barbariem ea, quæ penes Hiſtoricos ſub horridulo hoc cortice bona ſunt, nequaquam colligentur? Quot numerare poſſemus viros, qui de optimis rebus peſſime ſcripſerunt; quorum fructus omnis amitteretur, ſi ob neglectam ſermonis puritatem ſtatim reſpuerentur? Quorſum evaderent Gregorius Turonenſis, ac plerique mediæ ætatis Hiſtorici, ſi ab iis antiquorum latinitas, & elegantia deſideraretur?

Neque vero patitur æquitas, ut Hiſtoricum aſpernemur, propterea quod vel contractior ſit, vel in ſupervacaneas narrationes juſto effuſior. Quæ enim hodie coarctata videntur, prope diem explicabuntur, vel illuſtrandis Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ capitibus proderunt, quæ apud meliores Scriptores ſatis elucidata non ſunt; quum nihil in univerſa occurrat Hiſtoria, ne ipſis quidem exceptis iterationibus, quod utilitatem aliquam adferre non poſſit.

Hiſtorici etiam Plagiarii, Eclogarii, & Compilatores ſua laude non carent. Enimvero contingere poteſt, ut a Plagiario exemplar emendatum fuerit, vel illuſtratum; & Compilator Auctores, quos collegit, quibuſdam in rebus conciliarit; vel compendium ſit exemplari perfectius, atque illius locum teneat, quod vel amiſſum eſt, vel mutilum, vel aliqua ſui parte vitiatum. Ita Euſebius Cæſareenſis exemplaris inſtar habetur vetuſtiſſimorum, quos collegit, Auctorum, quorumque fragmenta Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ inſerens, ab oblivione ſervavit:

 Ju-

Justo quoque rigidior esset, qui damnaret Historicum, propterea quod scripserit nonnulla ab Auctoribus coævis silentio prætérita, vel ab aliis dissentiat, vel in errore deprehendatur. Cum enim vel sapientissimus quisque suis in conjecturis quandoque fallitur, tum etiam pertinaciæ non semper adscribenda est alterius ab altero discrepantia. Melius fortasse causa peti potest ex majore unius acumine, judicio, ac diligentia, vel ex Commentariorum diversitate, vel alia quavis occulta, abditaque ratione. Cur Josephus, exempli gratia, nonnunquam ab aliis in scribendo diffidere videatur, in causa fuerit officiosa in Paganos indulgentia, vel quod alia in manus ejus forte venerint acta, quam vulgata, & omnibus nota.

Cæterum non valde nimis diffidendum est Historicis, qui, quum proprio judicio metiantur omnia, de rerum eventu quandoque decernunt; fieri quippe potest, ut vera divinent. Non semper etiam de Aulicis Scriptoribus perperam judicandum: nam sinceri, bonæque fidei esse possunt, quales fuere Ville-hardovinus, & Join-villeus, quorum opera illustrandis suorum temporum Sacris expeditionibus plurimum prosunt. Immo verò illorum Testimonium majoris est ponderis, quum in rerum, de quibus agunt, partem vocati, multis, iisque magnis instructi sint præsidiis, quibus plerunque carent, qui ea nonnisi alienis oculis cernunt.

CAPUT

CAPUT XIII.

De subsidiis, quæ ad intelligendos Ecclesiæ Patres ex historia profana peti possunt.

IN Ecclesiasticæ historiæ studiis parum admodum proficere, atque valere possumus sine historiæ profanæ præsidio. Mutuam sibi lucem conferunt, ac si profana ignoretur; plerisque historiæ Ecclesiasticæ difficultatibus solvendis nulla superest via. Quæ superas colit sedes Ecclesia, humanis Testibus opus non habet; quæ autem in terris degit, hominum, immo infensissimorum etiam Hostium testimonio indiget.

Quid, quod plura in Sacris literis rerum apud Ethnicos gestarum monumentis firmata sunt, certissimeque probata? Ea nimirum ratione vindicata est nuperrime veritas historiæ Judith; quam nonnulli critici tamquam parabolam, & figmentum traducebant. Non enim Sacri duntaxat Historici, verum etiam optimi rerum Assyriacarum, Medorumque Scriptores in ea perfecte concordant.

Montfauc. histor. de Jud.

Ecclesiæ Patrum testimonia profanæ historiæ auctoritate persæpe nituntur. Divus Gregorius Nazianzenus in describendis Juliani Apostatæ moribus, eum levi, & mobili animo fuisse scribens, Ammiani Marcellini, eandem omnino rem affirmantis, auctoritate fulcitur. Equidem

dem legebatur antiquitus in Ammiano *lenitatem* pro *levitatem*, quod alium omnino ſenſum adfert. Verum doctiſſimus Abbas *de Billy* hunc locum in *Sacris* ſuis *obſervationibus* appoſite reſtituit.

Non eſt cur moneamus Chronologiam, & Geographiam eſſe duo hiſtoriæ lumina, ſine quibus apud Veteres perinde, ac apud recentes Scriptores nihil prorſus percipi poteſt. Plures in errorem lapſos notat Auguſtinus, quod in Chronologia probe verſati non eſſent. In eadem verſatur ſententia Melchior Canus, atque experientia ſatis liquet, antiquos in ſupputatione temporum falſos, perturbationem ubique, nec non denſiſſimas tenebras offudiſſe.

Jos. Scalig. de emend. temp. l. 1.

Ante Olympiades nihil in re chronologica certum reperitur apud Græcos; apud Romanos autem, qui ad hæc ſtudia ſero admodum ſe contulere, fabulis omnia referta ſunt uſque ad Conſulatum Bruti, cujus etiam tempus incertum eſt, quæcunque fuerit in illo detegendo Varronis induſtria. Atque eam ob rem Hiſtorici quum nihil certi affirmare poſſent, totum illud ſpatium, quod Auguſtum præceſſit, tria in tempora tribuerunt; obſcurum ſcilicet, quod ignoratione, altiſſimiſque tenebris ſepultum eſt; fabuloſum, quod fictionibus, atque allegoriis ſcatet; & hiſtoricum, quod revocatis ad quaſdam epochas geſtis, paullatim explicatur.

Græcos, qui Sacras Scripturas non legerant, univerſali hiſtoria leviſſime eruditos

fuiſſe

fuisse scribit Josephus. Idem affirmat Orosius, hisque Populis ignota prorsus subdit ea, quæ in universo terrarum Orbe ter mille, & amplius annorum spatio contigerunt. Et sane nihil est in universa antiquitate, præter Sacros Codices, unde vera Chronologiæ principia derivari possint. Quin etiam inde petita temporum ratio dubia omnino est, & incerta, defectu epocharum, quibus figantur supputationes, variæque eruditorum lites dirimantur. Reticentur quandoque in narrationibus Sacræ Scripturæ partes annorum, vel sumuntur pro integris annis; atque, quod longe implicatissimum est, una recensentur Filiorum regnantium anni, cum posterioribus annis Patrum, qui eos in regni societatem vocaverant.

Codex Hebraicus, & Græca LXX. interpretatio discrepant in computatione annorum ab Orbe condito usque ad Christum natum; ac mirari profecto subit, quod apud nostros Auctores plusquam 50. extent variorum Chronologiæ Scriptorum computationes, quæ ne minimum quidem inter se conveniant.

De hoc amplissimo argumento affirmat Baronius, acerrimas fuisse in Ecclesia disputationes, & diversas quavis ætate opiniones. Quum autem maxima illa dubitatione in re tanti negotii turbarentur eorum ingenia, qui primis Ecclesiæ sæculis Patrum opera legebant, ut sedaret Fratrum animos Julius Hilario

genus quoddam Chronices conscribere coactus fuit, quam omnes postmodum in eadem retractanda secuti fuere.

Neque vero recentiores Chronologi hoc eruditionis genere veteres multo superarunt. Quum tot sint numero, vix duos reperies in unam, eandemque rem consentientes; Neminem latet, quot, & quam inutiles circa plerasque Sacræ, & Profanæ Historiæ maximas Æras motæ sint quæstiones. Quis Interpretum certo novit verum tempus egressionis Israelitarum ab Egypto; hebdomadum Danielis; annum, mensem, & diem mortis Christi?

Dionysius exiguus sexto sæculo Auctor vulgaris Epochæ Incarnationis Christi Domini, quod ejus ortum repetat ab anno 45. a reformatione Calendarii Julii Cæsaris, a Doctoribus Chronologis derelictus fuit. In eo deserendo consentiunt omnes; dissentiunt vero a se invicem. Onuphrius uno anno; Baronius; & Scaliger duobus; Keplerius autem quinque ante annis natum fuisse censent.

Necesse tamen est cuilibet viro literato, ut Tabulas Chronologicas præ oculis habeat; immo etiam consentaneum foret, ut universales, ac peculiares Auctorum Tabulas, quorum historiam perdiscere vellet, ad suum quisque usum conficeret. Hanc tutissimam viam complures tenuerunt eruditissimi viri, ut videre est in Oxoniensi Divi Cypriani Editione, *Annal. Cypr.* ubi peropportuna extat ad hujusce Patris Ecclesiæ intelligentiam Chronologia. Istud inven-

ventum genus quoddam dici poteſt memoriæ factitiæ, qua in cognitionibus noſtris non mediocriter confirmamur, quod illius ope ad certum quendam ordinem revocentur, ſine quo permixta ſunt omnia, atque confuſa.

Idem menti, & memoriæ præſtat Geographia. Sapientes antiquitatis, referente Strabone, Geographiæ cultui ſe totos dare conſueverunt. Eam Moyſes omnium, quos novimus, Scriptorum vetuſtiſſimus, ſuis in deſcriptionibus, quâ majori potuit, accuratione ſervavit. Quum illius Elementa ignorarent Lactantius, & Auguſtinus, non eſſe Antipodas poſt Heraclitum, & Leucippum falſo putarunt: quo in errore verſantur etiamnum Cinenſes, qui Orbem terrarum inſtar diſci planum exiſtimant.

Bonifacius Moguntinus Archipræſul Hæreticum declaravit Vigilium Salisburgenſem Epiſcopum, quod crederet eſſe antipodas. Ejus ſententiam firmavit Summus Pontifex Zacharias illius ætatis Coſmographorum opinione ductus, qui Zonam torridam imperviam eſſe credebant; qua re poſita, ſi qui ultra eam viverent homines, non ab Adamo, ſed ex terra nati dicendi fuiſſent; quod Zacharias, & Bonifacius manifeſtiſſimæ Hæreſeos condemnabant.

Quot extant quotidie viri, qui ob ignorationem Geographiæ totum terrarum Orbem invertunt? Quot invenies etiam inter hujuſce ſcientiæ peritiſſimos, qui falſis conjecturis Regna, Provincias, & Urbes permiſcent; Montes in Fluvios convertunt; ſitum locorum mu-

tant, & nova, quæ nunquam extitere supponunt? Quidni igitur timeant qui Geographiam vel negligunt omnino, vel primoribus solum labiis attigerunt?

Vel una in tanto negotio difficultas innumeras parit disceptationes. Ruffinus, quod in Historia Ecclesiastica Canoni Nicæno 6. hasce voculas *Regionum suburbicarum* adjecerit, ut exponeret, quas in Ecclesias, præ Patriarcha Alexandrino, Romanus Pontifex jus dicere posset, excitavit imprudenter incendium, quod inter utriusque communionis Doctores circa Provinciarum Sæcularium, atque Ecclesiasticarum distributionem etiamnum viget. Variæ sunt hoc in capite Catholicorum Sententiæ; totidemque Novatorum.

De Eccl. Brit. Pr. Hinc ansam arripuit Jacobus Usserius Armachanus Archiepiscopus sentiendi, Ecclesiam Anglicanam a Romano Patriarchatu non pendere; quia cum ex ejus mente Anglia inter suburbicarias Provincias recensenda non sit, diversa erat antiquitus Diœcesis.

Hæc exempla ostendunt, quanti referat Geographiam veterem, & novam funditus nosse, ut Sacri, Profanique Scriptores exponantur, atque innumeræ explanentur difficultates, quæ a semidoctis superari nullo modo possunt.

Ad veterem Geographiam adhiberi possunt Strabo, Mela, Plinius, Ptolemæus, Dionysius Africanus, & Stephanus Bizantinus. Ad recentem vero Ortelius, qui hanc scientiam plurimum illustravit, Mercator, & Cluverius,

qui

qui eam ordine quodam donarunt; Ferrarius, *Samson*, *Duval*, *Robe*, *Baudran*, & *Lubin*, qui eam numeris omnibus absolverunt. (30)

Hæc autem scientia magnopere perfici potest cognitione historiæ. Geographia quippe, & historia mutuam sibi opem præbent, ita ut qui peccat in una, in altera facillime labatur. Notant apposite Critici, Divum Hieronymum, quod in vertenda voce *No-ammon* apud Ezechielem non consuluerit historiam, oppido erraſſe; non enim convertit in nomen *Theles*, aut *Diospoleos*, ut LXX., sed *Alexandriæ*, quæ quatercentum, & amplius annis ab impleto hoc vaticinio constructa fuit. (31) *Cap. 30.*

Magno etiam subsidio esse possunt hac in re *Imperii Romani notitia* cum annotationibus Panciroli, aliæque notiones Civiles, & Ecclesiasticæ. Atque ob id, inquit Valesius loquens de *notitia Imperii*, adolescentibus in optimis studiis proficiendi cupidis pernecessarium esse hoc opus præ manibus semper habere, quo quisquis careat, difficillime percipiet Auctores, quippe quorum intelligentia, & explanatio *Hadr. Vales.*

[30] His addi potest Carolus a S. Paulo, cujus Geographia Ecclesiastica Holstenii annotationibus locupletata, omnium perfectissima, cunctisque numeris absolutissima ab eruditis existimatur.

[31] Impleta enim est hæc Prophetia Imperante Nabuchodonosore, qui Ægyptum, vicinasque Provincias devastavit; Urbs autem Alexandriæ ab Alexandro M. constructa fuit. Qui duo Principes, si non quater, saltem ter centum, & aliquot annis distant.

natio pendeat omnino a notitia regiminis, quo Romanum Imperium utebatur; nominum etiam, quo varii Magistratus vocabantur; item numeri, & distributionis Provinciarum, aliorumque ejusmodi sexcentum, quæ alioqui in Romanæ historiæ studio Lectorem sæpissime detinerent.

CAPUT XIV.

Permagni interest Scriptores Ecclesiasticos prius nosse, quam illorum opera legantur.

ETiamsi Ecclesiasticorum Scriptorum notitia in universali Ecclesiæ historia contineatur, permagni tamen interest peculiarem illis operam dare; hac enim optima cognitione qui caret, in doctissimorum hominum numerum referri profecto non potest. „ Optime novi, eum certe doctum appellari non „ posse, qui postquam græcis, ac latinis li„ teris imbutus fuerit, in cognoscendis Aucto„ ribus, & in evolvenda antiquitate non mul„ tum versatus sit.

Maref. Ep. Philolog.

Qui hæc ignorant, Scriptores invicem sæpissime permiscent, Veteres Recentibus, Hæreticos Catholicis, & vicissim. Opera Dionysii vulgo Areopagitæ, quum a Severianis prolata fuerint, Heterodoxi Auctoris fœtus aliquandiu habita sunt. Librum *de Corpore, &*

San-

Sanguine Domini a Ratramno Corbejensi Monacho perscriptum, atque a Sectariis Germanis, velut sectæ suæ faventem, Typis editum, plerique Catholici defectu Critices, prudentisque judicii, tanquam hæreticum exploserunt.

Quam ob causam illud semper cautum fuit, ut celebriorum Auctorum nomen, & opera perspicue nota fierent. Diogenes Laertius in eximio, quem edidit libro *de Ingeniorum Historia*, Græcorum Philosophorum vitam enarrat; atque quot sint, & quales illorum fœtus, accurate recenset. Plutarchus Cathalogum inscripsit Rhetorum illustrium, eorumque confecit historiam. Dio Chrysostomus de Poetis græcis, eorumque poematis satis ample differit; demum apud Suidam, Athenæum, atque Stobæum extant plerorumque græcorum, eorumque operum nomenclationes. Menagi

Inter Latinos scripsere de celebrioribus Oratoribus Cicero, de Poetis Varro, de Grammaticis, atque Rhetoribus Svetonius; Divus autem Hieronymus meminit etiam Santræ, Nepotis, & Hygini, eosque hac in re plurimum laudis meritos fuisse affirmat.

Incredibilis extat hodiernis temporibus copia Cathalogorum, Nomenclationum, & Bibliothecarum universalium, ac particularium pro quovis artium, & scientiarum genere. Immo vero in re Theologica affirmari certo potest, nihil fere, quod magni saltem

saltem momenti sit, & pretii desiderandum superesse.

Quanquam Eusebius Cæsareensis, cujus acumen in distinguendis Auctoribus summopere commendatur, de Scriptoribus Ecclesiasticis in sua historia verba fecerit; attamen unus præ cæteris eminet Divus Hieronymus, qui omnium primus Græcorum, Latinorumque exemplar imitatus, absolutum hoc in genere opus edidit. Quoniam vero singuli dies Auctorum, & Librorum copiam facerent, inceptum Divi Hieronymi opus, quod quarti seculi finibus continebatur, temporis successu magnopere excrevit Auctoribus Isidoro Hispalensi, Ildefonso Toletano, Honorio Augustodunensi, aliisque compluribus Scriptorum Ecclesiasticorum Collectoribus, quos eruditissimus juxta ac laboriosissimus vir Albertus Miræus in unum Corpus redegit, novisque commentariis ad præsens usque sæculum productis illustravit.

Istiusmodi Scriptorum Cathalogi, præcipue quibus optimæ accedunt animadversiones, permagni sunt emolumenti. Quod si vero perlectis omnibus, vel saltem plerisque, aliquos deligere placeat, tanquam fidissimos Duces, anteponendi videntur, qui de quaque scientia dixerunt iis, qui quum omnia simul promiscue amplectantur, exiliter prorsus, ac perfunctorie describunt.

Postulat etiam æqua ratio, ut inter illorum

rum Auctores antiquis recentes, quique Autographos textus legerunt, iis præferantur, qui publico solum rumore, & aliena fide scripserunt. Inprimis enim recentiorum Cathalogi veterum indicibus perfectiores sunt; deinde tutius illis adhibetur fides, qui legendis libris tempus insumunt, quam qui in aliorum duntaxat titulis exscribendis operam omnem suam collocarunt.

Plurimum sibi vindicant laudis ea, quæ scripsit Bellarminus *de Scriptoribus Ecclesiasticis*; ut enim ipse testatur, opus est 40. annorum lectione comparatum. In eo quoque præstat, quod stylum, & ordinem brevem adinvenerit, rei, quam tractat, longe accommodatissimum. Præterea etiam ingenuus est, nullo modo pertinax, atque ita submissus, ut quum verum non novit, haudquaquam erubescat proferre *τὸ nescio*, quod plerique tantopere fastidiunt, atque ab antiquo quodam vocabatur *verbum ingenui pudoris*, sive verbum, quo optime exprimitur, pudere viros probos ex iis, quæ ignorant, inanem gloriolam captare.

Multa quidem post Bellarminum inventa fuere, ac nova in dies inveniuntur. At quid vetat, ne prioribus postremæ jungantur cognitiones, ut factum est a Labbæo, qui eas plurimis locupletavit, iisque eximiis additionibus depromtis, ut ajunt, ex amplissima Sirmundi, & Petavii hæreditate, quam adierat

ab

ab inteſtato ; quin iis ulla fiat meriti , vel pretii detractio . (32)

CAPUT XV.

Quodnam emolumentum adferre poſſint veterum Scriptorum Collectores intelligendis Eccleſiæ Patribus.

MAximas Scriptoribus gratias & agere , & habere debemus , qui colligendis , evulgandiſque Auctoribus , & Libris, ſtrenuam operam navant : Sine præclaro hoc adjumento varii , ac pene innumerabiles ingenii humani fœtus ; qui ſoboleſcunt in dies magis, atque procreantur , omni prorſus carerent ordine in anguſto mentis noſtræ ſpatio , & maxima temporis pars in iis perquirendis , quæ uno velut ictu oculi reperiuntur in copioſiſſimis Indicibus , inſumenda foret . Sublato hoc-

[32] Quum Auctor operis ſentiat,recentes Cathalogorum Auctores vetuſtioribus anteponendos , conſentaneum ducimus prolatis in hoc opere recentiores nonnullos Cathalogorum Auctores adjungere , qui magna cum laude ſcripſerunt . Ejuſmodi eſt inter Novatores Guillelmus *Cave* : inter Catholicos autem *Dupin*, ac recentiſſime Remigius *Cellier* Monacus Benedictinus ; omnium procul dubio accuratiſſimus ; qui ſuſcepti ab aliquot annis ampliſſimi operis ſub titulo *d' hiſtoire generale des Auteurs Sacrés , & Eccleſiaſtiques* , unum fere volumen quotannis in lucem edit.

hocce præsidio confusa jacerent omnia, nec nisi difficillime apud Scriptores Ecclesiasticos opera genuina a falsis, suppositiisque, quæ maximo numero sunt, distingui possent.

Auctor Constitutionum, quæ Divo Clementi Papæ dudum adscriptæ fuerunt, vehementer conqueritur, ab Ecclesiæ primordio perniciosissimos Libros, ac veritati repugnantes sub Moysis, Enochi, aliorumque veteris Legis Patriarcharum nomine prodiisse. Quosdam meminit Divus Epiphanius suæ ætatis Hæreticos turpissimis hujusmodi fraudibus celeberrimos. Divus etiam Hieronymus *contra Vigilantium*, & Augustinus *de Civitate Dei* graviter, dolenterque conqueruntur de falsis ejusmodi, atque impiissimis suppositionibus.

Notat apposite *D.Simon*, primis Ecclesiæ temporibus pietate, vel alia quavis ratione ductos Scriptores Ecclesiasticos, vel Apostolorum generatim, vel alicujus singillatim nomen operibus suis præficere consuevisse. Hinc Basilides, & Valentinus, qui sese Apostolorum Discipulos jactitabant, falsa, suppositaque monumenta vulgandi ansam arripuere.

Crit. du N. Testam. chap. 2.

Idem contigit Patribus Ecclesiæ, sub quorum, præcipue illustriorum nomine latet utplurimum aliquis occultus Hæreticus. Divo Cypriano adscripta fuere sæculo 4. Scripta Novatiani; consequentibus autem sæculis plures Nestoriani Eutherii Sermones Divo Athanasio; ipsiusmet etiam Nestorii Sermo Divo Chrysostomo, ac

Com-

Commentaria Pelagii *in Divum Paulum* Sancto Hieronymo.

Etiamsi occulta hæc mali labes quavis ætate grassata fuerit; nunquam tamen ita convaluit, uti posterioribus sæculis, quibus Hæretici sub vestimentis ovium, non modo ab omnibus Scriptoribus, si quid sibi adversum videbatur, obliterarunt; verum etiam proprios fœtus Patribus, atque Auctoribus adprime Catholicis supposuerunt.

Scribit Sixtus Senensis, vulgatos fuisse a Novatoribus Calvini Libros sub nomine inclyti Alcuini; Librum Berengarii *contra Ecclesiam visibilem* sub nomine Sancti Athanasii; atque opus Bucceri *contra merita bonorum operum* sub nomine piissimi Cardinalis Johannis *Ficher*. Neminem etiam fugit, Socinum eo audaciæ progressum, ut suum *de Sacræ Scripturæ auctoritate* Tractatum imposuerit Dominico *Lopez* Jesuitæ, quem *Alegambes* in censum refert clarissimorum Societatis suæ Scriptorum.

Non soli tamen Hæretici suppositorum Patribus operum Auctores habendi sunt. Nonnulla enim Catholicis ipsis lucem, & originem debent; sive optimo fine id fecerint, sive imbecillitate quadam, sive immoderato laudis amore, ut contigit olim Theodisco Hispalensi Episcopo, & Hispaniæ Primati, qui inanis gloriolæ cupidus nonnullas lucubrationes suas Isidoro ejusdem Urbis Episcopo imposuit; quum Sancti hujusce Præsulis opera in Arabicam linguam converteret. Verum gravissimas impro-

Genebr. ad ann. 655.

bæ

bæ temeritatis pœnas luit: etenim Episcopi provinciales in Synodo Theodiscum ab Ecclesia sua ejecerunt, atque ad æternam probri memoriam sedem metropolitanam ab Hispalensi ad Toletanam urbem, in qua & hodie sita manet, transtulere. Isthæc Hispanorum Antistitum severitas modum excessisse videretur, nisi compertum foret, nullam ab Ecclesia fraudem tolerari; eamque ob causam depositum a Divo Johanne Evangelista Presbyterum Asiaticum, qui opera quædam Sancto Paulo Apostolo impudentissime supposuerat. *Hier. vir. Illustr. c. 17.*

Errore quandoque factum est, ut scripta nonnulla Patribus immerito assignarentur; ut plurimum tamen in causa fuit præpropera festinatio, ac parum omnino accurata inquisitio. Quum enim primo ars Typographiæ inventa est, optima sibi quisque esse putans exemplaria, in lucem incunctanter edebat, non alio consulto Judice, quam immodico laudis amore. Hinc millena errata, quæ Typographorum, ac Criticorum ingenia longissimo temporis spatio torquebunt.

Novæ in dies deteguntur, depelluntur que id genus fraudes; neque eadem obtinet hisce temporibus, quæ superioribus sæculis credulitas, quibus quidquid typis mandatum erat, pro certo habebatur, & rato. Et sane experientia docet, non librorum titulis, aliisque notis externis legitima a spuriis operibus certo distingui, sed accurata cujusque singillatim Auctoris, ætatis, doctrinæ, styli, & ingenii perquisitione.

Operis suppositio ex tempore, quo exaratum fuit; tempus autem ex virorum illustrium nominibus, qui operis decursu laudantur, dignosci optime potest. Ita abs vero non abludet, qui animadvertens in tractatu *de Revelatione Capitis Sancti Johannis* Divo Cypriano vulgo adscripto, sermonem fieri de Theodosio, Marcellino, & Pepino, illum ab hoc Ecclesiæ Patre, iis Principibus longe antiquiore, abjudicet.

Manifeste quoque se prodit libri suppositio, quum profert Auctores eo tempore, quo perscriptus fuit, recentiores. Ita merito, & jure suppositos censet Sixtus Senensis quosdam tractatus, qui quum Sanctis Ambrosio, Hieronymo, & Eucherio Lugdunensi adscribantur, fragmenta continent, ex libris moralibus Sancti Gregorii Papæ integro sæculo recentioris, desumtum.

Ejusdem rei argumentum facit injecta rituum mentio, consuetudinum, & cæremoniarum, quæ Auctoris, cujus nomen liber præfert, ætate ignotæ omnino erant. Hanc ob causam indubitatum est, librum *Hierarchiæ Ecclesiasticæ* perperam Dionysio Areopagitæ adscriptum fuisse: meminit quippe consuetudinum, quæ multo post primum Ecclesiæ sæculum, quo vir iste eximius florebat, invectæ sunt.

Genuinum nequaquam est Auctoris opus, quod quæstiones auctore recentiores, vel peculiarem continet verborum usum, qui multo post Auctoris tempora adhiberi cœpit. Secundum æquissimam hanc regulam, *Responsa ad interro-*

rogationes Orthodoxorum sub Divi Justini nomine falso circumferri, affirmare certo possumus. Cum enim ibi multa proponuntur, quæ Sanctissimi Martyris ætate tractari non solebant, quibus illius ævi fideles haudquaquam detinebantur; tum etiam differit Auctor de Trinitate; & Incarnatione accuratissimis verbis, iisque ante Arium, Nestorium, & Eutychetem, qui horum mysteriorum fidem convellendam suscepere, prorsus inusitatis.

Legitimus etiam Auctoris fœtus judicandus non est, qui contraria illius doctrinæ dogmata profert. Quo circa Tractatus *in Leviticum* Divo Cyrillo Alexandrino attribui nullo jure potuerunt; quum errores Origenis contineant, quos alibi totis viribus refellit idem Cyrillus. Ejus generis sunt existentia animarum ante Mundi creationem, illarum in corporibus inclusio in pœnam criminum, quæ patrarunt in Cœlo, salus Dæmonum, aliaque id genus deliramenta.

Scribendarum etiam rerum ordo plurimum juvat, ut vera a suppositis opera secernantur. Perraro quippe tanta est inter varios Scriptores styli similitudo, ut nullum prorsus notari possit discrimen; quamvis ab erudito Scriptore stylum immutari posse, vel alienum exprimi non inficiemur.

Divus Augustinus epistolas de baptismate Hæreticorum legitimum esse fœtum Sancti Cypriani cognovit ex proprio ipsius stylo, quo a cæteris Scriptoribus nullo negotio distingui-

tur. Contra Divus Hieronymus eodem utens lydio lapide, complura monumenta antiquis Patribus falso adſcripta fuiſſe, probavit.

Omnium autem ſimpliciſſima ratio genuinos Patrum fœtus a ſpuriis ſegregandi illorum eſt, qui ad indices operum ab ipſismet Auctoribus inſcriptos recurrunt, vel ad eos ſaltem, quos ediderunt emunctioris naris critici, præcipue qui eorundem Auctorum ætate vivebant. Hac porro ratione Divo Ignatio ſuppoſitæ probantur quinque græcæ epiſtolæ, [33] quæ quum in ceteras ejus epiſtolas referantur, in cathalogis tamen Euſebii, & Hieronymi non recenſentur; ſi enim eo Auctore fuiſſent conſcriptæ, fieri non poſſet, ut ad Hieronymi, & Euſebii notitiam non perveniſſent. E contrario *Epiſtola ad Philippenſes* merito Polycarpi nomen præ ſe ferre creditur, quum Divus Irenæus, Euſebius, Hieronymus, & Photius illud teſtatum faciant. Quod enim opponi poſſet, hanc epiſtolam a Nicephoro rejectam, parvi omnino pendimus; recentior quippe eſt, ac levioris exiſtimationis Nicephorus, quam ut cum inclytiſſimis iis Scriptoribus comparetur.

Librum alicujus eſſe Scriptoris, ipſiuſmet declaratio indubitatum facit argumentum; verum

ex

(33) Imo octo, nimirum *ad D. Johannem Evangeliſtam* duæ; *ad Beatiſſimam Virginem* Deiparam una; quarta *ad Mariam Caſſobolitem*; quinta *ad Tharſenſes*; ſexta *ad Heronem*, ſeptima *ad Antiochenos*; octava *ad Philippenſes*.

ex ejus silentio ab illo abjudicandum esse; ostendi non potest. Ita quæ *in Retractationibus* sibi adscribit opera Divus Augustinus, ab eo exarata fuisse nemo dubitat; falleretur tamen, qui reliqua omnia, quorum non meminit, ab eo lucubrata fuisse negaret.

Eadem adhibenda est regula ad indicem operum hujusce Doctoris ab ejusdem Auditore Possidio vulgatum. Etenim dignosci quidem potest ex hujusce Discipuli testimonio, hosce, vel illos libros Divi Augustini fœtus habendos esse; at cæteros a Possidio silentio præteritos, Divo Augustino assignandos esse, nemo jure negaverit; præcipue si suppetant aliunde argumenta, quibus eidem vindicari possint.

Alia etiam teneri potest via, ut secernantur legitima a spuriis Patrum operibus, scilicet antiqui cujusdam Scriptoris auctoritas, qui luculentum veritati perhibeat testimonium. Sic detecto aliquot ab hinc annis Mario Mercatore, *An. 1666.* cognitum fuit, atque perspectum, opera nonnullis Patribus adscripta antiquitus alios prorsus habuisse Auctores, quorum ne suspicio quidem in mentem venerat.

Ac revera illius ope nobis innotescit, sermonem vulgo Divi Chrysostomi in hæc Evangelii verba: *si filius Dei es*, *mitte te deorsum* a Nestorio elaboratum; commentarios *in Divum Paulum* tributos Sancto Hieronymo, a Pelagio scriptos; ac sermones *in varias hæreses*, ab Eutherio Nestoriano lucubratos fuisse.

Denique assidua Scriptorum lectione, eo-

rumque ingenii investigatione optime distingui, secernique hæc omnia poterunt, quæ plus diligentiæ postulant, & æquitatis, quam subtilitatis, & acuminis. Plurimum juvat hac in re exercitatio una cum Doctissimorum Criticorum consilio, ac vetustiorum, & melioris notæ exemplarium perquisitione, quibus fidere multo magis consentaneum est, quam cæteris quibuslibet, vel nullo nixis fundamento conjecturis. Propterea prudentissimo judicio usi sunt, qui hæreseon indicem, in nonnullis Tertulliani editionibus ad calcem ejus tractatus *de Præscriptionibus* appositum, ab eo minime factum notarunt; non enim invenitur in veteri Tertulliani operum manuscripto Agobardi omnium perfectissimo, neque etiam in alio authentico, quod Rhenanus in primi hujusce Auctoris Editione adhibuit.

CAPUT XVI.

De Editionibus Patrum, ac primo de Manuscriptis.

UT faciliorem librorum intelligentiam assequamur, ex communi eruditorum consensu, eorundem lectio in primis plana, & facilis reddi debet; quod ut fiat, deligendi sunt accurate conscripti, vel optimis literis impressi; ne mens Lectoris fatigata oculorum acie a præcipuo studio distrahatur, præsertim quum agitur de operibus Patrum Ecclesiæ, quæ omnium

nium virium intentionem postulant.

Neminem latet, libros scribendo primum vulgari cœpisse; utque sanum de libris editis judicium fiat, ad manuscripta persæpe recurrendum. Neque tamen omnibus fides indiscriminatim adhiberi debet; ut enim aliqua indubitatæ, ita non desunt quæ dubiæ, immo nullius fidei sunt. Galenus scribit, Reges Ægyptios innumerabilem Manuscriptorum copiam colligendi avidos, fraudulentis hominibus locum dedisse vilissimorum exemplarium pretia augendi, venundatis etiam, tanquam meliorum Auctorum monumentis, quibusdam operibus, quæ ne legi quidem merebantur.

Tria præcipue postulantur in codice manuscripto; primo ut vetus sit, atque autographi saltem codicis ævo proximus. Auctoritas quippe manuscripti ab antiquitate plerunque pendet; hæc autem antiquitas ex forma, & notis characterum dignosci potest.

Optimis præterea literis sit exaratus, ac demum mendis omnibus expurgatus. Ut enim optime reposuit Cardinalis Toletus docto, studiosoque Fulvio Ursino, qui veterem Terentium mendis undique scatentem ad usque sydera tollebat; mallem vel unum volumen absque ullo mendo typis impressum, quam decem exemplaria corrupta, licet perantiqua, atque Sybillarum manibus descripta forent. Idemque prorsus ajebat Divus Hieronymus, eos irridens, qui ornamenta potius, quam fidem, & accurationem in Manuscriptis considerant;

 „ ha-

Præf. in Job. „ habeant, qui volunt, veteres libros, vel in „ membranis purpureis auro, argentoque de„ scriptos, vel uncialibus, ut vulgo ajunt, „ literis, onera magis exarata, quam codices: „ dummodo mihi, meisque permittant paupe„ res habere schedulas, & non tam pulchros „ codices, quam emendatos.

Narrat Trithemius, in cœnobiis, in quibus vigebat ars scribendi, plurimum circumspe-ctionis adhiberi consuevisse; Monachorum præpositos unicuique pro viribus, & facultate peculiarem commisisse provinciam; Theologis quidem, atque Doctoribus præstantiora; minus Doctis vero minoris momenti Opera; viros præterea exercitatos recognoscendis manuscriptis addictos: optime quippe norant, cavendum in primis, ne vulgo fucus fieret, ac bonæ fidei, qua sibi oblata excipere solet, consulendum esse. Ut enim plurimam ineunt gratiam, qui perhibendo veritati testimonio operam navant; ita, qui accurate scripta mendose exscribentes contra eandem veritatem testimonium dicunt, acerrimam merentur reprehensionem.

Levissima hac in re varietas plurimum parit confusionis. Qui oculos vel obiter injiciat in opusculum Henrici Stephani *de Origine Mendorum*, aliave similia ejusdem Auctoris, perspicue intelliget, quot modis autographum exemplar Amanuensium ignoratione, vel incuria vitiari queat. Id enim fit vel una litera initiali omissa, ut si scribatur *error* pro *terror*,

Castigat. in M. I. Cicer. locos quam plurimos Pseudocicer.

ra-

ratio pro *oratio* ; vel duabus, tribusve literis abjectis post primam syllabam, vel in medio vocis: quemadmodum scriptum fuit *notio* pro *notatio*, *includere* pro *intercludere* ; vel unius literæ detractione, ut *ingratis* pro *ingratiis*; vel additione unius literæ in principio dictionis, ut *placatissima* pro *pacatissima* ; vel integra etiam syllaba in medio adjecta, ut *æquabiliter* pro *æqualiter* ; vel unius literæ accessione in fine dictionis, ut *civitates* pro *civitate* ; vel unius in aliam vocem mutatione, ut *ædes* pro *sedes*.

Literæ vocales miscentur facillime, multique Amanuensium aliquando sumserunt *i* pro *e*, *dimittere* pro *demittere*, *diligere* pro *deligere*; *e* pro *i*, *affectum* pro *effictum*; *u* pro *a*, *trabuntur* pro *trabantur*; *u* pro *i*, *duxit* pro *dixit*; *a* pro *o*, *etesias* pro *etesios* ; *o* pro *a*, *multos* pro *multas* ; *i* pro *o*, *primo* pro *promo*.

Syllabarum etiam inversio in literis plura turbavit; ut quum scriptum fuit *suscipere* pro *suspicere* , *examinare* pro *exanimare* ; quod in monosyllabis plerunque contingit; sæpius enim inconsiderate scribitur *ut* pro *tu* , *jus* pro *vis* &c.

Omnia etiam confusa fuere junctione literarum, quæ sejungi debuissent; scribendo e. g. *reprobavit* pro *re probavit*, *etiam* pro *et jam*, *infirma* pro *in firma*, & contra *in firma* pro *infirma* , *et jam* pro *etiam* , *re probavit* pro *reprobavit* &c.

Denique innumera irrepserunt errata in exemplaria, modo dictantium vitio, qui vo-

ces

ces distincte, explanateque non proferebant; modo scribentium, qui satis attentas dictantibus aures non præbebant. Ea de causa nonnunquam scriptum reperimus *antiquam* pro *anticam*, *sed Diis* pro *sed iis*, *me ore* pro *more* &c.

Atque quum ignari quandoque viri supplendis majoribus literis se se immiscuerint, quas Amanuenses consulto omittebant, ut eas alibi venustius, ac majori cum otio pingerent, nonnullas literas mutarunt depravato Auctoris sensu, ut videre est *in Vita Constantini M.* ab Eusebio conscripta.

Vales. not. in l. 4. de vit. Imp. Cōstant. cap. 22.

Quid autem de iis dicendum, qui sæpius in exscribendis libris dictiones, immo integras etiam periodos omittunt, mutant, addunt, vel invertunt; vel qui nullo adhibito discrimine interpunctionem omnem abjiciunt, paucis, ut iis libet, exceptis? Quanquam enim punctum levissima res sit, ac parum necessaria, quum in remotissima antiquitate non adhiberetur; ex illius tamen omissione, vel prava collocatione, vel aliam in formam mutatione, falsissima consectaria colligi possunt. Exemplo pluries fuerunt Hæretici, eoque sane subsidio usi sunt Sociniani, & recentiores Præadamitæ ad defendenda systematum suorum deliramenta, quum nonnulla Sanctorum Johannis, & Pauli testimonia exponerent, quæ proprio loco spectata, iis nullo modo favere poterant.

Silentio prætereo varias lectiones, vel inconsultas emendationes ab Amanuensibus cusas, & annotationes, quæ in margine apponebantur

bantur, insolita temeritate in textum illatas. Argumento evidentissimo hæc omnia sunt, non leviter fidendum esse Amanuensibus, atque haud immerito delectum antiquitus a Pisistrato Aristarchum, inter totius Græciæ Criticos acutissimum, sapientissimumque, ut accuratum Homeri carminum exemplar haberet.

Iniquos illos Scriptores vehementer insectata est universa antiquitas. Anasthasius Sinaïta acrius illis exprobrat, quod blasphemiis Sanctorum Patrum opera referserint. Divus Gaudentius ejusmodi corruptores in totius orbis judicium vocat. Divus Irenæus per viscera Salvatoris eos adjurat, ut libris suis parcant; ac Divus Hieronymus, quanquam obsecrandis hostibus parum assuetus, eos tamen enixe rogat, ut Eusebii Chronicæ interpretationem nequaquam dilacerent, atque deturpent.

Hinc orta veterum consuetudo ad calcem librorum adjiciendi genus quoddam imprecationis, ut Amanuensium temeritatem comprimerent. Refert Aristæus, post absolutam græcam LXX. interpretationem, Demetrium persuasisse Judæis, ut adderent imprecationem adversus eos, qui divino huic operi quidquam mutare, detrahere, vel addere nefarie auderent. Ad quæ notat Grotius Marcionis, aliorumque quorundam hæreticorum perfidiam, qui novi testamenti exemplaria vitiabant, liquido monstrasse, non sine causa id genus imprecationum adhibitum fuisse.

Hujus rei authenticum habetur exemplum

in

in Apocalypsi Divi Johannis; quamvis enim sentiat *Lively* solum esse adjurationem exscriptoris, non secus, ac illam, quæ reperitur in nonnullis Divi Irenæi exemplaribus; (in quo nullam meretur fidem), perspicue tamen ostendit, quanta foret Antiquorum sollicitudo, ut integrum, incorruptumque in exemplaribus autographis textum servarent.

CAPUT XVII.

Quid opus sit, ut sanum, rectumque de veteribus Manuscriptis judicium feratur.

QUemadmodum intentos, fidissimosque Amanuenses, sic etiam Lectores sapientes, acutosque esse oportet. Quamobrem perdiscenda multiplex veterum Scripturarum forma. Tradit Smetius, ante Cæsarum Imperium apud Romanos literas valde simplices, ac fere consimiles in usu fuisse; ab Augusto usque ad sæculum Antoninorum adhibitos characteres quadratos aptissimæ partium compositionis; verum cunctis rebus una cum Imperio labentibus, deperditam concinnam hanc characterum Romanorum formam, obliquos primum, dein oblongos evasisse, ac demum impolitos, & rusticos paullatim effectos, in Gothicos tandem conversos fuisse.

Literæ solum majores primitus in usu erant,

ut

ut videre est in vetustissimis inscriptionibus; breviores vero posterius multo in Amanuensium commodum inventæ fuere. Hennius recens Auctor consuetudinem exscribendi græcum sermonem exiguis characteribus ab Ægypti Monachis, qui a Coptis acceperant, inductum existimat. Addit minutos characteres latinos a Longobardis repertos, atque ab occidentalibus Monachis adhibitos, propterea quod illis multum se brevi tempore progredi posse animadverterunt. Si qua fides eidem Auctori, Rabbanus Maurus Fuldensis Abbas, dein Moguntinus Episcopus, tempore Caroli Magni, Germaniæ populis characteres dedit, quibus scribendo utuntur, ab iis, quos adhibent Typographi, longe diversos.

Socrates in *Historia Ecclesiastica*, Ulphilæ L. 4. c. 22. Gothorum Episcopo quarto sæculo literarum Gothicarum inventum tribuit. Præter hos characteres alii extant antiquissimi *Cyrilliani*, & *Hieronymiani* vulgo dicti. Communis opinio est, posteriorum, qui cum græcis characteribus valde conveniunt, Auctorem esse Divum Hieronymum, qui eos Dalmatis dederit, una cum bibliis in eorum linguam translatis: aliorum vero Divum Cyrillum, qui eos ad usum Illyricorum excogitavit.

Si quis diversos variarum orbis nationum characteres nosse cupit, consulat Postellum *de Duodecim Linguis*, *Duret de Linguis*, & *Characteribus omnium linguarum*, *Tabulas Alphabeticas Variorum Characterum* editas Francofurti anno 1596.,

1596., & 70. literarum elementa Romæ anno *1616.*

Ad eos vero generatim ſpectatos quod attinet, eſt apud Sigonium, Juſtum Lipſium, Vigenarium, Continuatores Bollandi, & Patrem Mabillonium, quo in re tam utili omnium ſtudio ſatisfiat. Mabillonius præſertim plurimi faciendus eſt ob altiſſimam, qua pollet, eruditionem, ac diuturnam experientiam. Quamvis enim (ut ipſe fatetur) valde diſtent characteres inſtrumentorum, de quibus maxime agit, ab Auctorum manuſcriptorum characteribus, mutuam tamen ſibi lucem præbent.

Lancelot meth. „ Abs re quoque non fuerit inquirere quodnam ſit literarum genus, quæve illarum invicem convenientia: perutile enim illud eſt ad analogiam, & originem verborum inveſtigandam; quarum quidem rerum cognitio ad veterum loca magis vitiata intelligenda, eaque ad veram ſignificationem revocanda plurimum conducit.

Hujus conſilii Auctor Lancelotus tabulas Ortographiæ deſcripſit, extricandis veteribus monumentis aptiſſima. Eadem de re plura ſcripſit Caſſiodorus; quum enim ſibi animo propoſuiſſet exemplaria bibliorum incorrupta ſervare, veterum Auctorum, qui de Ortographia diſſeruerunt, collectionem perfecit. Dauſquius, Voſſius, Scioppius, ac P. Sirmundus de *Columna Roſtrata* iſtud argumentum perſpicue, copioſeque tractarunt.

Auguſtus Imperator Pater Patriæ, cultiorum-

rumque literarum, ad hanc singillatim grammaticæ partem se se contulit. Easdem scribendo, quas loquendo ortographiæ regulas sequi studebat; cavebatque inprimis, ne verba in lineæ fine secaret, ac media ad sequentem lineam remitteret.

Jurisconsulti, gravissimis licet negotiis occupentur, Ortographiæ studere non erubescunt; alii quoque, qui exiguis rebus immorari non sustinent, vigiliis tamen suis exercitationem hanc nequaquam indignam existimant.

Eandem ob causam perdisci debent compendia scribendi, sive *notæ vulgares*, ut eas vocat Divus Isidorus, qui illarum originem petit ab Ennio. Hisce notis refertissimi sunt Jurisconsulti. Petrus Diaconus factam illarum collectionem dicavit Imperatori Conrado. Justus Lipsius, & Vigenarius omnes fere, quæ ab antiquis adhibebantur, exposuerunt. Omnibus autem præstant, circa vulgares Romanorum notas, Sertorii Ursati Patavini Jurisperiti commentaria, a quinque circiter, & viginti annis in eadem urbe typis impressa.

In supplemento Thesauri Gruterii inter notas, quæ Ciceronis liberto, & Senecæ adscribuntur, extant notæ Ecclesiasticæ, quas Divo Cypriano assignat Trithemius. Verosimilius tamen videtur, ab hoc Ecclesiæ Patre auctum duntaxat illarum numerum, additis quæ apud Christianos suæ ætatis in usu erant.

Hanc per compendia scribendi Artem, quam
Divus.

Divus Hieronymus vocat *verborum furtum*, primi exercuere in foro Actuarii, dum Judicum sententias scriberent. Rhetores autem sumto a Cicerone exemplo, libertos suos ad hoc exercitationis genus applicuerunt: atque verosimile est, Tertullum, de quo sæpe loquitur Sanctus Cyprianus, quendam fuisse inter libertos, quibus Sanctissimus ille Antistes ad scribenda Martyrum acta utebatur.

Aliæ etiam erant *notæ arcanæ* dictæ, quarum ope Christiani sua sibi mutuo sensa confidentius, atque securius communicabant. Hisce notis distinguebantur Literæ Canonicæ in Ecclesia notissimæ, quibus addebantur tesseræ ad indicandum genus, & religionem Christianorum, ut ab una in aliam migrantes Ecclesiam hisce honoris insignibus ab iis exciperentur, apud quos hospitii jure potiebantur.

l. 1. c. 4. Pacichelius in tractatu *de Jure hospitalitatis universo*, de hisce tesseris, ut vocant *hospitalitatis*, erudite differit; unde originem ducunt ea verba apud latinos Auctores frequentia, *tesseram hospitalitatis confringere*, sive jus hospitalitatis alicui familiæ renuntiare.

Rerum etiam antiquarum cognitio, necnon numismatum, atque nummorum ad varios veterum characteres noscendos, atque Chronologiæ, & Historiæ nodos solvendos conferre potest; quum memoranda Magnorum Principum gesta, urbium, rerumque publicarum Epochæ in aversa numismatum facie ut plurimum incisæ fuerint, ut fidem faciunt colle-

ctiones

ctiones *P. Noris*, *D. Vaillant*, Gaudentii Roberti, aliorumque antiquitatis studiosorum.

Denique magno esse potest adjumento veterum inscriptionum cognitio, quas veluti fontes historiæ dixeris, ac prima rudimenta. Dionysius Halicarnassæus magnam Historiæ suæ partem antiquis inscriptionibus acceptam refert. Ex iis hausit Pausanias, quæ de primis Græcorum temporibus narrat. Eisdem usus Titus Livius ad Romanam conscribendam Historiam, indeque desumsit Manethos, quæ de Regum Ægyptiorum Historia scripsit. Universa Ægyptiorum Historia marmoribus olim insculpta erat, atque e vetustissimis columnis Phœnicum Historiam exscripsit Sanchoniaton. Eximia, quæ sibi contigerant gesta, in silice sculpta reliquerunt Seth, Jacob, Absalom; atque vetustissimis lapidibus hodierna etiam ætate incisa leguntur decreta, leges, pactionesque Græcorum Principum, & Populorum. *Prideaux ad marm. Oxon.*

Haudquaquam tamen necesse fuerit a Theologiæ Doctore omne studium, omnemque curam in harum rerum investigatione collocari, quarum usu immoderato meliora etiam ingenia vitiari possent. Obiter delibasse sufficiat, ac recreandi potius animi causa, quam novis studiis obruendi. Hæc qui desiderat, inveniet apposite apud Reinesium, Gruterium, Lipsium, Scaligerum, Seldenum, aliosque, qui ejusmodi collectiones optimis annotationibus illustrarunt.

N CAPUT

CAPUT XVIII.

De recentioribus Ecclesiæ Patrum Editionibus.

QUod spectat Editiones Patrum a ducentum annis, sive post inventam Typographiam confectas, principio sciendum est, a Typographis in Germania, & Gallia literas Gothicas, in Italia vero rotundas adhibitas fuisse.

An. 1461.

Conradus *Svueynehim*, & Arnoldus *Pannarz* natione Germani, Romæ in Æde Petri *de Maximis* opus Divi Augustini *de Civitate Dei* rotundis edidere characteribus; ac paullo post iisdem usi sunt in Editione epistolarum Divi Hieronymi. Hosce characteres Jodocus Badius anno millesimo quingentesimo Lutetiam Parisiorum attulit, ubi suum instituit Typographæum sub nomine *Præli Ascensiani* notissimum.

Si de characterum varietate dignoscere velis, oculos circumferre satis fuerit: sin autem optimas a pravis, vel mediocribus Editiones secernere, multo plura desiderantur. Illud autem inprimis expetendum in Editionibus Patrum, ut eas Viri docti, prudentes, accurati, nulloque modo Ecclesiæ suspecti elucubrarint. De Hæreticorum, qui hæc aggrediuntur, fide, aliquis suspicioni locus semper est; quanquam non-

nonnulli, ut Savilius in D. Chrysostomi, & Hœschelius in plurium Græcorum Patrum Editionibus omnem diligentiam, omnemque, quam poterant fidem, adhibuerint.

Advertendum etiam, cujus præli sit Editio: esto enim Typographi plerunque minimum in perficiendis editionibus Patrum locum habeant, pro majori tamen, vel minori ingenio, candore, & religione magis, vel minus opera sua Reipublicæ prodesse possunt. Genebrardus in præfatione Latinæ Origenis Editionis ait, Typographos Gebennenses suis temporibus in tantam corruptelam abiisse, ut fidei, virtutisque omnis obliti, suæ, nostræque Religionis libros adulterarint.

Poslevinus, *Stapleton*, Medina, aliique quidam Critici detegendis fraudibus hoc in genere adhibitis fausto admodum successu adlaborarunt. Ingenium suum exercuerunt, & quotidie exercent, non sine multo fructu, summaque laude, celeberrima Athenæa, & religiosæ Societates, ut antiquos Patres pristino candori restituant, & puritati, quæ in omnibus fere priscis editionibus temerata fuerat.

Postremo denique sæculo, quum primum magna illa rerum confusio, atque perturbatio deprehendi cœpit, remedia illico quæsita fuerunt. Doctissimi iccirco accersiti Typographi, eximii characteres fusi, nullaque omissa diligens cura, quæ ad tantum opus feliciter perficiendum conferre poterat. Pius IV. tunc tem-

 poris

poris Ecclesiæ caput manum operi admovit; atque in Vaticano præclarissimum Typographæum instituit, cui Paulum Manutium, Aldi filium, singulari eruditione, non secus a Patre suo commendatissimum præfecit. Etenim prisci Typographi & linguarum Orientalium scientia, & omnigena eruditione instructi erant. Exempla vel emendabant ipsimet, vel emendanda peritissimis duntaxat Viris committebant, qui ad publicam utilitatem ultro suam præbebant operam. Campanus in Typographia Uldarici, Johannes Andreas Episcopus Aleriæ in Typographia *Suveynheim*, ac *Pannarz* Romæ instituta, Federicus Sylburgus apud *Chrestien*, & Andream *Vvechels*; Ludovicus Saurius Lugduni apud *Frelons*; & Sigismondus Gelenius in Germania apud *Frobens*, correctorum officio fungi dedignati non sunt, quod nostra tempestate vilissimum habetur.

Neque vero illorum temporum Typographi vulgaribus de trivio hominibus accensebantur. *Daniel Bombergue*, a quo edita fuit Venetiis Polyglotta, a nonnullis *Editio Rabinica* dicta, Hebraicæ linguæ peritissimus erat, ejusque rudimenta magna cum laude tradebat. Jodocus Badius docebat Parisiis Græcum sermonem, quem Ferrariæ a Baptista *Guarini* didicerat; omnes etiam Grammaticæ partes callebat, ac optima dedit hac in re specimina, illius scientiæ cultoribus longe utilissima. Tandem, qui ex Colinæ, Moreli, Turnelii, Stephani familiis floruerunt, aliique permulti,

nedum corrigentes, edentesque optimis characteribus libros, verum etiam eos perscribentes, maximam nomini suo laudem, & existimationem compararunt.

Atque hanc ob causam olim Librarii *Clericorum* sibi nomen adsciscebant, sive, ut ait *Nicod*, Virorum omnibus disciplinis instructissimorum. Quatuor & viginti præstantiores ab Athenæi Parisiensis Rectore admittebantur, qui jurejurando coram eodem Rectore (unde & *Librarii jurati* dicti sunt) se se adstringebant ad servandas sanctiones latas de vendendis libris, commodandisque mediocri pretio, nulloque vitio affectis.

Verum splendidissimus hic nitor quam citissime obscuratus evanuit. Medio ultimo sæculo Conradus Gesnerius de Typographorum incuria, eorumque, scilicet præcellentium, paucitate conqueri cœpit. Eodem fere tempore Henricus Stephanus gravissimas fudit querelas in Satyra, quam soluta scripsit oratione, ubi tristem inducit Typographiam cum luctu, gemituque, illatæ a pravis Typograhis injuriæ, atque violentiæ pœnas a Superis petentem. *Biblior. univer.* *Art. Typogr. Querim.*

Quid porro diceret Vir iste, qui elegantiam, & gloriam artis suæ tanto studio prosequebatur, si nostri temporis Librarios videret ab antiqua nobilitate degeneres, in politioribus literis rudes omnino, & ignaros; ac negotiationi, & quæstui unice inhiantes? Atque hæc quidem depravatio musis maxime

exitialis eſt; nam Correctores mercenarii, ac pretio conducti nunquam tanto ferri poſſunt amore, quanto Typographus in ea, quæ edit opera; quum enim ipſius quodammodo fœtus ſint, proprium una cum Auctoris nomine ſervare, & vindicare tenetur.

Atque ſi Correctores nec ignari ſint, nec inconſiderati, magno eſſe poſſunt emolumento; ſi vero inepti, ſi præcipites, qui demant, lacerent, addant, transferant, omniaque invertant pro libito, tales profecto viros horrendos, execrandoſque averſantur Auctores. „Oh fas! „ oh fides! hæc fieri bonis bono ſemine „ natis.

Juſt. Lipſ. Satyr. Menip.

Non minus acriter, acerbeque Leo Allatius in *ſecunda de Græcorum Ritualibus diſſertatione*, pravos Correctores inſectatur; neque mitius eos habet Henricus Stephanus, pulcherrimam, ditiſſimamque ſuam Typographiam deſcribens, ubi veterum Auctorum deflet infortunium, qui tam barbaras in manus miſerrime incidunt.

Eam ob rem doctiſſimus Goltzius hujuſce ſcopuli metu, propriis ſumtibus Typographiam ſuis in ædibus inſtituit, ut ea, qua Pater amantiſſimus uti ſolet in filios, quos ab omni vitii labe incolumes ſervat, accuratione, & diligentia emendaret ipſemet collecta Imperatorum numiſmata ab Julio Cæſare ad Quintum Carolum uſque, quo imperante florebat.

Præter Typographæa, e quibus prodeunt Editiones Patrum, ad exemplaria quoque animus

mus convertendus est, quibuscum editiones collatæ, & emendatæ fuerunt.

Percrebuerat olim fama, indubitatæ fidei manuscriptos Codices Romæ servari. Quarto jam sæculo Divus Athanasius, & Antistites Ægyptii ad Summum Pontificem Marcum recurrerunt, ut Canonum Nicænorum, qui nullibi ea integritate servati fuerant, exemplar haberent (34). Sexto autem sæculo Divus Gregorius Papa ad Anastasium Antiochenum exemplar Ephesinæ Synodi emendatissimum misit, cujus Canones ab Hæreticis magna ex parte adulterati fuerant (35).

Si

[34] Quæ scribit Auctor de Canonum Nicænorum exemplari a Summo Pontifice Marco ad Athanasium misso, desumsit ex epistola ejus nomine inscripta *ad Athanasium, & universos Ægypti Episcopos*, quæ ab Eruditis tanquam supposititia exploditur. Tum enim Consulum nomina in ea falso notantur, tum etiam ponit Ægyptios diram ab Arianis persecutionem passos, quod ætate Marci Summi Pontificis, anno scilicet 336., imperante adhuc Constantino, profecto non contigit. His addes Athanasium eo anno jam exulem in Galliis, scribere non potuisse ab Urbe Alexandria ad Marcum Romanum Pontificem; ac demum in supposita Marci epistola 70, recenseri Canones Nicænos, quum Codex Alexandrinus a D. Cyrillo missus ad Africanos Antistites, viginti solummodo contineat.

[35] Exemplar etiam Ephesinæ Synodi missum ad Anastasium, quo fundamento affirmet, plane non video. Porro id certum est apud omnes Patriarchales Ecclesias servari consuevisse accuratissima Conciliorum Exemplaria, atque ad ea in difficillimis quæstionibus Episcopos recurrere consuevisse.

Si qua fides inscriptioni, quæ legitur in Bibliotheca Vaticana, antiquissima illic asservari manuscripta indubium est; monet enim inscriptio, libros, quibus prodigiosa isthæc Bibliotheca constat, a primis Ecclesiæ temporibus ad hodiernam usque ætatem collectos fuisse. Launojus tamen se accepisse refert ab inclyto *Holstein* Bibliothecæ Vaticanæ Præfecto, in illa amplissima librorum collectione nihil esse perantiquum „ Romæ tunc fuisse anti„ qua nulla, media dubia, nova tota: „ Quod tamen nullam meretur fidem, præsertim quum ejusmodi Bibliotheca ex optimarum Europæ Bibliothecarum reliquiis, ac immensa manuscriptorum undique collectorum copia, a longissimo jam tempore augeatur, atque amplificetur.

Joan. Laun. Elog.

Qualiacunque tamen ea sint, Hilarius Papa, teste Anastasio, ex more illustrium Ecclesiarum, quibus propriæ erant Bibliothecæ, ad servanda una cum Sanctis Bibliis Conciliorum acta, duas in Fonte Baptismali Sancti Johannis Lateranensis Bibliotheeas construxerat. „ Ecclesiarum Bibliothecis fruere „ inquit D. Hieronymus. Hinc *Sacræ* dictæ sunt istiusmodi Bibliothecæ in actis Concilii Nicæni secundi, quæ Imperator Constantinus, ejusque Mater Irene ad Adrianum Papam misere.

Postea quam Ecclesiæ Romanæ libri ex Laterano, ubi dudum mansere, in Vaticanum translati sunt, eorum numerus industria, ac munificentia Summorum Pontificum Nicolai

V.,

V., & Sixti IV., magnopere excrevit. Sequenti sæculo Sixtus V. extruxit, sacravitque amplissimæ hujus Bibliothecæ ædificium, cui præclarissimam junxit Typographiam, ut recentes, & accuratiores Scripturæ Sanctæ, & Ecclesiæ Patrum Editiones perficerentur. Verum magnificentissimus iste apparatus parum omnino profuit, quum pleræque editiones Romanæ non omnium, quæ hodie extant, pulcherrimæ sint, & emendatissimæ.

D. Le Fevre in epistola ad Frontonem Ducæum, loquens de Romana Divi Ambrosii editione, affirmat, si omnia ejus menda notare vellet, infamiam ei potius, quam laudem illatum iri. „ Quamobrem (inquit) hac in re „ stylum compressi.

Prudentem etiam Virum decet ex Editionibus Patrum eas potius deligere, quæ cum emendatissimæ, tum etiam Scholiis, atque annotationibus aptis, eruditisque illustratæ sunt; præterquam quod enim ejusmodi annotationes lucem præbent extricandis compluribus nodis, quibus insueti, ac parum exercitati Lectores diutius detineri possent, amplissimam præterea omnigenæ eruditionis messem nullo colligendam labore exhibent, qua suaviter ad hæc studia, difficillima cæteroquin, spinosaque alliciunt, & summa cum voluptate perducunt. Caute tamen, consulteque deligendi sunt annotationum Scriptores; tam enim acutis, tamque fastidiosis sunt naribus hoc in

capite

capite hodierni literarum Cultores, ut nec illos quidem, qui ingenio, & eruditione plurimum possunt, ad solvenda dubia idoneos existiment, quod statutos prudenti judicio limites plerunque excedant.

Nihil tamen metuendum iis, qui generatim probatæ apud omnes virtutis Scriptoribus fidunt. Hujus generis sunt *Billy*, Sirmundus, Petavius, Garnerius, Menardus, Dacherius, Mabillonius, Baluzius, *Gussanville*, &c., qui illustrandis Ecclesiæ Patribus naviter, feliciterque adlaborarunt.

Novatores quoque optimis annotationibus (si errores excipias, ac prævias opiniones) Græcos, Latinosque Patres locupletarunt: iis prudentes Viri, & pii ad veritatis investigationem uti possunt; veritas quippe non a suis duntaxat defensoribus, verum etiam ab infensissimis hostibus splendorem accipit, Deo sic jubente, ut quod hinc afferunt detrimentum, inde quodammodo sarciant, ac demum veritas parta victoria triumphum agat.

Sanum hisce de rebus judicium docebunt tempus, & usus; in utriusque autem locum sufficere possumus historiæ literariæ lectionem, selectissimarum etiam Bibliothecarum, atque doctissimorum Hominum iis præfectorum consuetudinem, qui illarum veluti spiritus, parati semper esse debent, ut exposcentibus rationem reddant. Neque iis satis est Fruditorum linguas scire, omnigenam eruditionem callere,

suisque

suisque vigiliis innumeros nosse Auctores, & libros; verum etiam in alios eruditionem, quam ex Antiquis tenent, velut publici fontes munifice effundant oportet.

Codex Theodosianus, qui Præfectorum Bibliothecæ munia aptissime exhibet, principio ponit, ut cum Viris eruditis consuetudinem habeant, iisque consilia sua, & peculiaria inventa communicent. *D. Dupuy*, qui Regiam tractabat Bibliothecam, ætatis suæ nemini secundus, hac laude præcipue donatus fuit, ipsius domum cunctis literarum studiosis patuisse, iis solummodo exceptis, quorum puerile ingenium, corruptique mores scientiæ dignitati non respondebant. Etenim illud in primis cavendum, ut musas religio, bonique mores comitentur.

Lex. 2. de stud. liberal. Urb. Rom.

Henr. Vales. Elog. Petr. Put.

Apud cultiores Nationes Bibliothecæ Præfectura piissimis, præstantissimisque Viris quavis ætate commissa fuit. Apud Hebræos hoc officio fungebantur Sacerdotes. Idem munus obivit Alexandriæ inclytissimus Demetrius Phalereus LXX. Græcorum temporibus. Romæ, antequam publicæ haberentur Bibliothecæ, Ædiles archivia curabant: ac Julius Cæsar Varroni Romanorum sapientissimo, piissimoque mandavit, ut Codices manuscriptos colligeret, qui multarum Imperii Bibliothecarum prima fuerunt initia.

Dan. Georg. Morhof. Polyhist.

Qui Vaticanæ Bibliothecæ præerat, Cancellarii nomine olim insigniebatur. In celebrioribus

Hemer. de Acad. Parif. Cap. 6.

ribus Ecclesiis hoc officium primis Capitulorum gradibus commendari solebat. In Parisiensi autem Ecclesia Cancellarius Scholarum, atque librorum Præfectus erat; quum enim hæc duo arctissime sibi cohæreant, consentaneum videbatur, ut eodem in loco, atque sub unius Viri regimine collocarentur.

Nam si primam Scholarum, atque Academiarum originem indagare velimus, ex Bibliothecis repetendam esse comperiemus; quum in eas nempe convenirent studii causa literarum cultores, de iis, quæ occurrebant difficultatibus, inter se colloqui cœperunt. Qui autem cæteris doctrina præstabant, audientiam sibi facientes, aliis quam citissime prælectiones tradiderunt, & normam. Quum vero temporis successu Auditorum numerus augeretur, Gymnasia ad Bibliothecarum levamen constructa fuere. Ægyptiorum Reges Bibliothecis suis junxerunt Academias, in quibus sapientes Viros alerent, qui tanquam juvenum parentes haberentur, atque Imperii luminaria.

Utinam quot sunt hodierna ætate ad scientias omnes, atque artes liberales perdiscendas Academiæ, tot essent in Galliis ad cujuslibet facultatis commodum Bibliothecæ. Nam cuncta scientiarum volumina in unum locum cogere amplum nimis est, arduum, ac perdifficile: atque incepta ejusmodi nunquam fere perficiuntur; libri etiam diu permixti, confusique

fusique jacent, propterea quod Bibliorum Præfecti omnes Auctores satis perspectos habere nequeant, ut in eum ordinem adducant, quo studiosos Lectores allicere, atque juvare possint.

FINIS
SECUNDÆ PARTIS.



DE

DE OPTIMA LEGENDORUM ECCLESIÆ PATRUM METHODO.

PARS TERTIA

De ordine, ac methodo, qua Patres Ecclesiæ magno cum fructu legi possunt.

CAPUT I.

De ordine in lectione Patrum servando.



Aximam, eamque fere communem tam modici in lectione Patrum progressus causam esse crediderim legentium incuriam, qui eorum opera, ut in manus veniunt, nullo rerum ordine servato, nulloque habito delectu pervolvunt. Num enim Pater Theologum agat, an Philosophum; disciplinæ, an scripturæ caput exponat; auditor ne sit, an magister; num accuset, an defendat; Cathecumenos ne instruat, an Hæreticos urgeat; hoc floruerit,

fuerit, an illo sæculo, parvi omnino pendunt: Ecclesiæ Pater dixit, satis esse creditur.

Quantum reprehensione digna hæc incuria sit, nemo non videt; veruntamen ad eam plerique inconsulto labuntur, adeo ut omne vitæ curriculum conficiant progressionis suæ originem, ac terminum, quove impetu ferantur, omnino ignorantes. Equidem colligere se se, atque in viam redire potest, qui diu, multumque erravit; verum perraro illud contingit, præsertim quum ea ætate fieri deberet, quæ mutationes hujusmodi ægre admodum patitur, sive quod prava consuetudo altas egerit radices, sive quod fallacissima eruditionis opinio plerunque senum judicia corrumpat, omnemque resipiscendi aditum intercludat.

Hinc liquido patet, quanto ad id studio incumbendum sit, ut mature subeamus necessario huic oneri certum in studiis ordinem tenendi, quo facilior ad scientiarum assecutionem, & planior via reddatur. „ Illud a me accipiatis volo (inquit Augustinus) si quis „ temere, ac sine ordine disciplinarum, in „ rerum cognitionem audet irruere, pro stu„ dioso illum curiosum, pro docto credulum, „ pro cauto incredulum fieri.

De Ord. lib. 2. Cap. 1.

Qui uberem variarum cognitionum copiam, nullo digestam ordine comparavit, ubi primum eas proferendi se præbeat occasio, quum illæ certatim erumpere nitantur, aliæ alias comprimunt,

primunt, detinentque; vel aperto perinde ac torrentes itinere, loquentem per omnium ora traducunt, eo turpius, quo evidentius ostendunt in ejus potestate non esse, quæ memoriæ mandavit.

Præstat longe perpauca scire, eaque optimo delectu, & ordine, quæ nobis in promtu sint, quam plura incomposita, quæ popularis instar turbæ seditiosæ, ac tumultuantis sine capite, omnique jugo solutæ, menti nostræ insideant. „ Omnia (inquit Augustinus) quanto magis „ moderata, & speciosa ordinata sunt, tanto „ magis utique bona sunt „. Neque enim in rerum multitudine, sed in ordine, & methodo, qua positæ sunt, earum præstantiam collocat Augustinus.

Plerique Ecclesiæ Patres, qui in edenda doctrina nullum fere ordinem servant, res ut eis in mentem veniunt, literis tradunt. Atque etiamnum Græci veterum consuetudinum præ cæteris tenacissimi in rebus Theologicis valde confusi videntur, & obscuri, quia verborum delectui, accuratæque ratiocinationi, ut in Scholis fieri solet, nequaquam adhibent operam.

Nullum in libris *Stromatum* modum tenet Divus Clemens Alexandrinus. Origenes quidem in *Periarchon* Theologiam ad suprema quædam capita revocare conatur, atque Tertulliani liber *de Præscriptionibus* proprio non caret ordine; plerunque tamen Ecclesiæ Patres, fluviorum adinstar, quibus certus non est

est alveus, proclivia quælibet loca inundant, alluuntque.

Divus Augustinus, quum præ cæteris quandam adhibuerit methodum, non lento tamen, & æquo gradu ubique incedit; quam ob caussam, inquit celeberrimus quidam Scriptor,, ab ,, illo cordis potius, sive charitatis, quam men- ,, tis ordinem servatum; quippe non tam insti- ,, tuendis, quam inflammandis auditoribus stu- ,, debat; qui rerum ordo in eo præcipue versa- ,, tur, ut ad ea omnia sermonem convertat, ,, quæ ad finem referri possunt, ut eundem per- ,, petuo indicet, atque commonstret. *Pens. Pasc.*

Præterea Patrum opera tot numero sunt, ut sine gravi, diuturnaque lectione progressus in illis fieri omnino nequeat. Quare quendam necessario adhibendum esse ordinem, magis, magisque monstratur; quippe qui unanimi prudentum, sapientumque Virorum judicio legendis libris via est omnium brevissima. ,, Omnia enim breviora reddit ordo, & ra- ,, tio, & modus ,, ait in suis *Institutionibus* Quintilianus.

Duplex distinguendus est ordo: universalis unus, singularis alter. Prior in legendis Auctoribus ætatem, vel dignitatem; posterior, pro variis argumentis, varios Auctoris Tractatus persequitur; sæpe in uno, eodemque Patre majorem fortasse, quam in pluribus diversitatem comperies, nec sane quinque, aut sex spissa volumina sine intermissione versari debent, propterea quod unius sint, ejusdemque Aucto-

ris opus, si de multis rebus omnino diffitis verba faciat.

Eandem ubique vim, & efficaciam habet Augustinus; quia tamen pro variis, quicum agebat, hominum conditionibus, tot formas commutare coactus fuit, atque nunc Theologum egit, nunc Philosophum; modo Oratorem, modo Grammaticum; hic Interpretem, illic elementorum Fidei, vel controversiarum Doctorem; eam ob rem, qui nulla adhibita distinctione (uti mos erat, anteaquam Monachi Benedictini opera Divi Augustini vulgarent) illius monumenta legere vellet, operam profecto perdere censeretur. Eruditissimi illi Monachi, quum animadverterent id moris invaluisse, ut nullo habito delectu Patrum opera ab initio ad finem usque legerentur, in suis Divi Augustini Editionibus viam hanc explanarunt, quæ aspera, & difficillima erat, multisque, ut ita dicam, transversis divisa.

Bibliot. lib. 4. Qua in re hujusce Patris mentem unice secuti sunt. Vult enim ille, teste Sixto Senensi, ut in suorum operum lectione argumentorum varietatis, ac ordinis temporum, quibus scripta fuere, ratio servetur: „ Neque „ illud (inquit Senensis) hoc loco prætermittendum arbitror, quod ipse Augustinus in „ lectione Opusculorum suorum voluit a lectoribus observari, nempe varietatem, & ordinem quadruplicem temporum, quibus ea „ scribi contigit.

Utinam

Utinam illustriores Scriptores opera sua legendi methodum tradidissent ipsimet, vel sapientissimi saltem Critici eam suppeditassent; quo fere modo Galenus suos disposuit libros, vel Jurisconsulti Codicem, & Digesta, ope Paragraphorum, quibus & lectionem juvant, & ordinem, ac rerum connexionem altius menti infigunt. *Galen. de libr. propr. liber. Id. de ordine libror. suor. ad Eugenianum.*

Consueverant etiam Antiqui vel initio, vel ad calcem operum suorum notas apponere, ac qualia essent, & quot numero indicare; quæ res Lectorem ordinis amantem summopere delectat: „ est enim hæc quoque studiosis non injucunda cognitio „ inquit Plinius junior in Epistola, in qua petenti Amico de Plinii senioris Avunculi sui operibus rationem reddit. *David Hoesch. ad hist. Bizant.*

Constantinus Porphyrogenetes, qui immensam librorum copiam coegerat, cavit in primis, ut Auctores in classes tribueret, quo lector præclarissima illa ordinatione, rerum intelligentiam maturius acquirere posset.



CAPUT II.

Variæ legendorum Ecclesiæ Patrum methodi proponuntur.

Pet. de fur. Poet. QUædam reperire est lectissima, præstantissimaque ingenia, quæ rebus inventis facile non egeant, ut vel scientiarum lumine mentem illustrent, vel eam longa exercitatione confirment. Ejusmodi ingenia Plato vi quadam divina concitata vocat, quæ res portentosas sine arte, ac sine meditatione concipiunt, producuntque. Videntur id genus homines in lucem prodiisse omnibus perfecte rebus, nemine docente, instructi, quum oraculis, sive magistris opus non habeant, ut sapientes evadant.

Galenus vir sane dignus, qui in eorum censum referatur, se solo omnia inventa sua excogitasse testatur: quod quidem incredibile non est, si a vero non abludit quorundam Philosophorum opinio, qui omnes cognitiones nostras nonnisi reminiscentias esse putant, atque scientias, & artes nihil aliud censent, quam rerum a spiritibus memoriæ inditarum species, & imagines, quibus eædem res ab hominibus perdiscendæ vivide exhibentur, ac sedula meditatione reapse discuntur.

Hac de re non convenit Aristoteles, e contrario scientias non cum hominibus natas, sed

uno

uno ſtudio comparatas exiſtimans. Conſuetam ſaltem hanc eſſe viam negari nequit; non enim omnibus ſufficit ad conſequendam veritatem, coercitis cupiditatibus, univerſalem rationem conſulere, quam cuncta ſequuntur ingenia, & a qua rationis uſum accipiunt.

Theologum ſola non facit meditatio, etiamſi plurimum juvet, atque præſtanti, ſublimique opus ſit ingenio, ut ad Divinitatis contemplationem ſe ſe erigere valeat. Hanc ob cauſam, ait Plato, ad divinas multo majora, quam ad cæteras ſcientias ingenia poſtulari, quod in illis ſe ipſe homo ſuperare debeat.

In Theologia Chriſtiana meditationi Verbi Dei neceſſario jungenda eſt lectio Patrum Eccleſiæ. Quum enim magiſtri ſint, vel, ut ait Auguſtinus, fidiſſimi *Æternæ Sapientiæ monitores*, Religionis capita illuſtrarunt, eorumque conſectaria pro naſcentium difficultatum, vel graſſantium Hæreſeon occaſione planiſſime explicuerunt.

Aſt, ut verum fatear, veterum horumce Doctorum lumina parum omnino proderunt, niſi illorum doctrina in ordinem menti accommodum adducatur; præcipue quum res ſingillatim, accurateque expendendæ ſunt. Quamobrem dubitare non licet, an aliquis in lectione Patrum, ſed quis ſervandus ſit ordo, ac in quo ſiſtat.

Nonnulli ſæculorum, ac temporum, quibus floruerunt, ordinem præferunt, quod methodum hanc ad colligendas accurate, & pro tem-

porum serie Traditiones Ecclesiæ, aptissimam existiment.

Alii censent, nulla temporum habita ratione, primum Græcos Patres legendos, dein Latinos, quia illorum sermonis veneres, ac eloquentia ad istorum lectionem, qui magis quidem docte, sed minus ornate scribunt, sensim sine sensu præparant. Alii contra petendum a Latinis Patribus initium ducunt, ac ponendum in Græcis finem; quod experientia teste, qui Græco lepori assueverant, ad Latinorum Patrum, a quibus tamen multo plura discere potuissent, simplicitatem reverti nunquam potuere.

Quamobrem nonnullis magis probatur diurni temporis partitio Latinos inter, & Græcos; quo utrorumque amor servetur, atque in ambabus linguis utilissima fiat exercitatio.

Qui versantur in hac sententia, haudquaquam necessum affirmant, ut omnes Græci, Latinique Patres volvantur, sed satis esse, ut præstantiores ex iis deligantur; ita tamen, ut ad alios, ubi se præbeat occasio, recurratur. Quum hæc via omnibus sit fere frequentior, recta ratio postulat, ut antequam amplior alia proponatur, aptiorem, qui in ea teneri potest, procedendi modum in medium afferamus.

Principio ponendum, eandem fere esse librorum, quam amicorum rationem, maximam scilicet in illorum delectu adhibendam diligentiam, ne ullus deinceps pœnitentiæ locus

subsit.

subsit. Qui enim cæco quodam impetu fertur, ubi vel levissima se offerat difficultas, pergravi hærebit fastidio, vel maxime quod in suis conjecturis errasse pudebit. Quod sane multorum exemplo docemur, qui, quum ad legendos Patres ardenti studio, inconsideratoque se se contulissent, eadem paullo post, qua cœperant, levitate ab opere cessarunt, atque ad contemtissimos quosdam Scriptores se converterunt, e quibus ad explendam errantis ingenii libidinem inania peterent argumenta.

Deinde quemadmodum a lectione librorum, qui vires nostras superant, abstinere debemus, ne pœnitendi causam postmodum habeamus; ita cavendum a magnificis, ut ita dicam, seu potius fucatis lectionibus, quæ ingenii nostri facultati, atque amplitudini non satisfaciunt. Methodum hanc acerbe carpit Augustinus; ,, non valde curo (inquit) superborum, im- ,, peritorumque judicia, qui similiter in le- ,, gendos libros, atque in salutandos homines ,, irruunt: non enim cogitant quales ipsi, sed ,, qualibus induti vestibus sint, & quanta ,, pompa rerum, fortunæque præfulgeant.

Eam ob rem in delectu Patrum accurate secernentur, qui operum suorum amplitudine, magnitudineque altissima studia juvare possunt, ab iis, qui, quum ejusdem conditionis non sint, parem afferre nequeunt utilitatem. Pluris faciendi sunt Patres primæ ætatis; nemo tamen unus est inter eos Scriptor tam longo

annorum decursu, qui Virum paullo laboriosum totum detinere queat; nam neque Divus Clemens, nec Divus Ignatius, nec Polycarpus, nec Divus Justinus, nec Sanctus Irenæus, nec Sanctus Clemens Alexandrinus, nec Origenes, ut est hodiernis temporibus (1), nec Tertullianus, nec Divus Cyprianus sese quisque solo sufficit, ut amplum diuturnæ, validæque meditationi præbeat argumentum. Legi possunt, si lubet, vel, ut melius dicam, legi debent omnes, sed reapse hi Patres aliis majoris subsellii, licet posterioribus, comites adhibendi potius sunt in via, quam duces, & capita.

Multi Tertulliano, ac Divo Cypriano se totos addicunt, neque eos e manibus sibi eripi paterentur. Consulant ipsi sibi, parvi refert. Procul tamen dubio quisquis tam arctis limitibus se se circumscribit, in doctrina Patrum Ecclesiæ amplissima parum omnino proficiet. Non deest Tertulliano doctrina, immo etiam, Morum, ac Jurisprudentiæ, quibus Periti commode uti possunt, præceptis abundat. Cyprianus eleganter, atque etiam ingeniose, acuteque scribit: at quum in disciplinam magis Ecclesiasticam hi Doctores, quam in altiorem

incu-

[1] Post Scriptoris nostri ætatem, aliam omnino induit formam Origenes, opera, & studio Benedictinorum, qui eum nuperrime ediderunt. Nihilo tamen minus ob crebros Origenis errores, nimiumque frequentes allegorias, res aleæ plena foret præcipuum illius lectioni locum præbere.

incubuerint Theologiam, de illis tantum, non vero de aliis rebus, non secus ac cæteri ejusdem primæ ætatis Scriptores consulendi sunt.

Enimvero quarto duntaxat Ecclesiæ sæculo aperiri cœperunt uberrimi Theologiæ fontes, e quibus quidquid luminis habent, & eruditionis, hauiere posteriorum temporum Doctores.

Divus Athanasius omnium facile princeps, de altissima Theologia apposite, eruditissimeque differens, exemplum cæteris dedit, qui post eum ineffabilis Trinitatis mysterium pro viribus explicare studuerunt.

Eodem sæculo Sancti Basilius, Gregorius Nyssenus, Gregorius Nazianzenus cæteris omnibus præstitere. Basilii doctrina recondita est, ac prorsus divina. Gregorius Nyssenus una simul Oratoris, Philosophi, atque Theologi munere fungitur. Gregorius Nazianzenus, quum summo polleat, præstantissimoque ingenio in exponendis Fidei mysteriis, dicendi veneres, atque lepores unacum argumenti firmitate, & excellentia aptissime conjungit.

Eodem labente sæculo in Morum disciplina excelluit Divus Chrysostomus, ac licet altiores Theologiæ quæstiones pertractare aggressus non sit, ubi tamen se præbet occasio, eruditorum more difficultatem expedit, acuteque potius præterit, quam persequatur molestius. Eodem ævo Cyrillus Alexandrinus Metaphysicam scientiam adprime doctus, cum iis, qui subtilitatem amant, subtilius disputat. Theodoretus

doretus multa scripsit utilius; cum enim locupletiori instructus erat eruditione, tum etiam majori in scribendo perspicuitate, aptiorique ordine, & methodo utebatur.

Quod ad Patres Latinos attinet, si uberiores sulummodo fontes recensere velimus, præstat in omnibus Divus Hieronymus, sive Traditionem Ecclesiæ quæras, sive Scripturæ Sanctæ explanationem, quæ duo habentur maxima totius Christianæ Religionis fundamenta.

Ejusdem sæculi Doctor Ambrosius pressis, acutisque sententiis redundat. Prophetarum more subobscure disserit, ac fere omnia summa rerum Capita stabilit, quæ ab Augustino fuse tractata reperies.

Divus Augustinus Ambrosium proxime consecutus, amplissimo est, ac mirum in modum acuto ingenio. Ejus feracitas finem non habet; rationibus, & argumentis plurimum valet, in disputando accerrimus, in Christianæ Religionis dogmatis versatissimus, ac mirabili in omnibus, quæ tractat, gratia ornatissimus: uno verbo, Augustinus Theologorum in Occidente parens est, atque magister, cunctorumque, qui eum sequuntur, columen, decus, & ornamentum.

Sexto se prodit sæculo Divus Gregorius Papa, sapientis instar Pastoris, qui doctrinam Decessorum, ex qua optimos fructus percepit, ovibus suis probe digestam apponit. Ejus scientia summam pietatem continet, absque nimia sublimitate; atque, quod ad mores spectat,

ſpectat, dignus profecto cenſeri debet, qui cæteris pleriſque Eccleſiæ Doctoribus anteponatur.

Ubi maximos hoſce Theologos inſpexeris, expenderiſque, quænam tibi cum præſtantiſſimis illis Viris eſſe poſſit comparatio in eruditionis, ac ingenii facultate, unius, duorum, vel plurium, pro modulo tuæ ad ſtudium, atque laborem propenſionis, delectum facere poteris.

Neminem latet, eos, qui Eccleſiæ utiliter inſervire conati ſunt, Chryſoſtomum inter Græcos, Auguſtinum inter Latinos unice delegiſſe. Habent enim inter ſe maximam, ſi non in omnibus doctrinæ capitibus, in vulgi ſaltem exiſtimatione ſimilitudinem, quum Chryſoſtomus Græcorum Auguſtinus, & Auguſtinus Latinorum Chryſoſtomus ſemper habitus fuerit.

„ Deus Optimus Maximus (ut recens ait *Herm. vie de S. Chryſoſt.*
„ Hiſtoricus) duo maxima luminaria, quæ
„ ab Apoſtolorum temporibus Occidentem,
„ atque Orientem illuſtrarunt, Chryſoſtomum,
„ & Auguſtinum eodem fere tempore excitavit.
„ vit. Illuxerant jam in Oriente Athanaſius,
„ Baſilius, Gregorius Nazianzenus; in Occi-
„ dente autem Cyprianus, Hilarius, & Am-
„ broſius, ſed arctioribus terminis, ſive no-
„ minis ſui fama, ſive librorum copia, ſive
„ ſectatorum numero circumſcripti erant. Con-
„ tra vero voluiſſe videtur totum Theologiæ
„ Theſaurum, atque clariorem, perfectiorem-
„ que Sacrarum Scripturarum intelligentiam

unacum

„ unacum moralibus cohortationibus, iisque
„ disertissimis, vehementibus, aptissimisque
„ ad perstringendos animos ad puritatem di-
„ sciplinæ, ac morum reformationem in am-
„ plissimis Divi Chrysostomi voluminibus:
„ Latinæ vero, Apostolicæque Theologiæ di-
„ vitias omnes, unaque Romanam, & Eccle-
„ siasticam eloquentiam in multis, sublimi-
„ busque Divi Augustini operibus contineri,
„ mirumque prorsus in modum exponi. Atque,
„ ut manifestum fieret, divino magis consilio,
„ altioribusque multo de causis, quam ob il-
„ lorum operum multitudinem, atque præstan-
„ tiam hæc contigisse, tantam duobus hisce
„ præstantissimis Ecclesiæ Doctoribus existi-
„ mationem comparavit, ut inter Græcos,
„ qui post Chrysostomum floruerunt, Isidorus
„ Pelusiota, Divus Nilus, Theodoretus, Jo-
„ hannes Damascenus illius discipuli fuerint,
„ & sectatores; quemadmodum inter Lati-
„ nos, Patres omnes, Maximique Romani
„ Pontifices summæ semper laudi duxerunt
„ Augustinum ducem habere, atque ma-
„ gistrum.

Fatendum tamen cum istius comparationis Auctore plura esse apud Augustinum principia, magisque connexa argumenta, quam apud Divum Chrysostomum; Divum autem Chrysostomum in exponenda Morum doctrina, atque Christianis veritatibus Augustino præstare.

Si duobus hisce Græcæ, & Latinæ Ecclesiæ Patribus addatur Hieronymus, satis erit fortasse, quo ex Veterum mente idoneus informetur Theologus.

CAPUT III.

Omnes Patrum Tractatus ad quatuor suprema Capita referri possunt, nempe Scripturam Sacram, Dogmata Fidei, Christianam Morum Doctrinam, atque Disciplinam Ecclesiæ.

LAudatur summopere illorum sobrietas, qui paucis Ecclesiæ Patribus se se addicunt; non enim fastidio quodam, sed recta ratione sobrii esse putantur, atque, ut ingenio eo plus valeant, quo arctioribus, suæque mentis facultati magis accommodatis limitibus concluduntur.

Unius, ut ajunt, *libri Vir* magnam semper habuit existimationem, auctoritatemque. Et sane, quum humanum ingenium non valde late pateat, multo aptius erit ad inspiciendas res, easque comprehendendas, si certos intra fines contineatur, quam si per immensa spatia licenter vagetur. Utcunque vero juvet uni hærere Auctori, nunquam tamen, si ea ratione scripserit, qua e. g. Augustinus, omni sui

parte

parte probe intelligi poterit, nisi absolutam Sanctorum Patrum, qui præcessere, & consecuti sunt, notitiam habeamus; sola quippe Augustini collatione cum aliorum doctrina per maxima Theologiæ Capita, singularis ejus facultas in altissimis argumentis funditus pertractandis dignoscetur.

Quæ de Augustino, eadem potiori jure de tota generatim Ecclesiastica scientia intelligenda veniunt; quum enim in plurimos Scriptores ramos diffundat, plerique saltem consulantur oportet; paucissima quippe ab uno dicta sunt, quæ non alii dixerint, alio saltem modo, quæve illustrandis aliorum operibus non prosint.

Immo vero quorundam Patrum intelligentia ab iis, qui præcesserunt, quodammodo pendet. Tertullianum antea legerit oportet, qui Cypriani sensa perquirit; hic enim Tertullianus emendatus quodammodo dici potest; eademque tenenda methodus ad illos, quos Decessorum suorum doctrina usos fuisse compertum est.

Divus Chrysostomus, & Divus Hieronymus Origeni perinde, ac Sanctus Isidorus, Sanctus Nilus, & Theodoretus Divo Chrysostomo plurimum debent. Augustinus a Tertulliano, a Sanctis Cypriano, Hieronymo, Ambrosio; quemadmodum Sancti Gregorius Papa, Prosper, Fulgentius, Anselmus, atque Bernardus a Divo Augustino plurima acceperunt.

Verum

Verum ne ulla in tanta Patrum multitudine, qui tam variis modis scripserunt, oriatur confusio, illorum opera ad quandam unitatis speciem referenda sunt, cunctaque simul æque habenda, ac si unum corpus varias in partes tributum componerent : vel potius æque ac unum opus, cujus diversi tractatus ad quatuor Capita reduci possunt, nempe Interpretationem Scripturarum, Dogmata Fidei, Christianam Morum Doctrinam, ac Disciplinam Ecclesiæ.

Eo cæteris præstat ordo istiusmodi, quod non in unius tantum Patris, verum etiam in multorum lectione servari potest: quum nullus ferme sit, saltem inter præstantiores, qui de omnibus fere numeratis Capitibus non differuerit.

Difficillimum fortasse quispiam crediderit res, quæ apud Patres tantopere confusæ videntur, ex ordine collocare. Verum non illud proponimus, ut singula scrupulosissime examinentur, minimaque etiam Patrum de quaque re testimonia expendantur; sed solum, ut ad insigniores de rebus majoris momenti tractatus ex ordine recurratur, ita ut lectori incumbat cura notandi ea, quæ animadversione digna deprehendit, dum præcipuos studiorum suorum Auctores pervolvit. Sic enim quotidie usu venit, ut, qui libros Physiologiæ, Morum, & Historiæ legit, aliarum sæpe disciplinarum quæstiones ex industria non quæsitas offendat, quibus obiter uti potest ; qua fere ratione studiosus viator in perficiendo itinere, quæ

hinc-

hinc inde in campis notatu digna sunt, observat, quin a recto unquam tramite deflectat.

Parum accommoda fortasse videbitur hæc methodus, quod certo non figat unum ex quatuor hisce Capitibus, unde Patrum lectio inchoari debeat. Verum hac in re videat quisque quanta sit ingenii sui vis, & cujus rei opus habeat; ac demum inutile non erit, eundem, quem hic tenemus, ordinem sequi, quin tamen illo, tanquam communi lege quispiam adstrictus censeatur.

Rectæ rationi consentaneum est ab interpretatione Scripturæ ordiri; in ea quippe versantur studia Ecclesiastica: inde ad Dogmata progredi, quæ Scripturæ, ac Traditionibus Patrum auctoritate firmatis nituntur. Ad doctrinam Morum quod attinet, certo collocari ordine nequit, nullo enim non tempore ad eam incumbendum. Non abs re tamen fuerit, si Dogmatum studia consequatur, quorum pars quædam merito, & jure dici potest. Disciplinæ autem Ecclesiasticæ studium cæteris omnibus postponendum est; quum nempe eam intelligentiam jam sibi Lector paraverit, qua se solo innumeras difficultates, quibus istud eruditionis genus plusquam satis abundat, superare valeat.

CAPUT IV.

De lectione Patrum Ecclesiæ in Sacram Scripturam.

UNanimis Patrum ſententia eſt, errorem ab eo vitari non poſſe, qui propriam rationem ducem ſequitur, in Sacræ prætertim Scripturæ interpretatione. „ Memini (inquit „ Abbas Joſephus apud Caſſianum) quum me „ adhuc adhærere conſortio fratrum ætas ju- „ nior hortaretur, hujuſmodi nobis intelli- „ gentiam vel in moralibus diſciplinis, vel „ in Scripturis Sacris frequenter inſertam, ut „ nihil ea verius, nihilque rationabilius cre- „ deremus. Sed quum in unum convenientes „ ſententias noſtras promere cœpiſſemus, quæ- „ dam communi examinatione diſcuſſa, pri- „ mum ab altero falſa, ac noxia notabantur, „ mox deinde ut perniciosa communi pronun- „ ciata judicio damnabantur.

Quamobrem nefas eſt ita ſibi fidere, ut aliorum deſeratur, vel negligatur conſilium. Ecquis enimvero hanc ſibi licentiam impune uſurpare queat, quum Divus Paulus, qui & vas electionis, & magnus ille Apoſtolus, in quo Servator ipſemet loquebatur, Jeruſalem ſe veniſſe fateatur hac ſolum mente, ut cum aliis ſeorſim Apoſtolis conferret Evangelium, quod prædicabat in gentibus, quodque a Deo

P ipſo

ipso per revelationem Jesu Christi acceperat?

Divus Clemens Romanus Pontifex in exponendis Scripturis, Patrum mentem sequendam esse docet. Divus Irenæus inquit, Sacras Literas ab Episcopis, atque Presbyteris, quos erudierunt Apostoli, perdiscendas. Tertullianus in *Scorpiaco* aperte pronuntiat,in Ecclesia solùm Christi, atque ab illius Discipulis genuinum Scripturæ Sacræ sensum hauriri posse. Denique Augustinus eadem ratione, qua ab Ecclesiæ Patribus, explanandas a nobis Scripturas Sanctas affirmat.

Serm. de Verb. Dom.

Basilius, & Gregorius Nazianzenus, teste Ruffino, Sanctarum Scripturarum intelligentiam non ex propriæ mentis penu, sed ex Veterum Traditione promebant. Damasus Papa, quum nodis quibusdam in explanandis Scripturis detineretur, Divum Hieronymum consulere non erubescebat; Divus autem Hieronymus, quum nec ipse sibi fideret, eum sæpe mittebat ad veterum Doctorum Commentaria. Neminem latet, Divum Paulinum ad S. Augustinum confugere solitum, ac Divum Bernardum Scripturæ textui addictum, Patres tamen Ecclesiæ consulere nunquam destitisse.

Manifestum hac in re turpissimæ hallucinationis exemplum dederunt Hæretici, se ipsos prædicantes Verbi Dei Interpretes contra probatum, & constantem totius Ecclesiæ sensum: quum Patribus omni ætate spectatissimis mulierculas sufficiant, infantes, ac homines de trivio, & compitis, quorum facultas, & intelli-

telligentia in vaticino quodam furore, & pertinaci deliramento tota sistit. Utut enim effutiant, Scripturam se sola exponi, atque quod isthic obscurum est, alibi illustrari; clarum tamen ab obscuro secernere vulgus non valet. Itaque sibi ipsi relictus incertus, & dubius fluctuabit in omnibus: ubi enim nullum præsidium, neque consilium, ibi nulla firmitas, ac certitudo haberi potest.

Atque propterea, nec inter ipsos convenit sectarios de modo exponendi Scripturam. Alii ab Hebraicis, Græcisve fontibus repetendam censent; alii vero oculis, sensuque communi contenti sunt; nonnullis placet, sumenda solum in Scripturis perspicua, atque clariora, aliis e contrario frequentes hujus Libri difficultates ad Philosophiam, atque rationem revocantibus. Sunt etiam, qui non aliam ad Sacrarum Literarum expositionem, quam ad rerum naturæ explicationem, methodum probant; alii vero humanum Spiritum unum esse putant Judicem, qui verax sit verbum Dei interius, & spiritale; non autem Scripturam, *Literam*, ut ajunt, *mortuam*, infantibus, non vero adultis conscriptam.

Catholici autem Romani studiosissimi veritatis cultores, aliam prorsus ab elatis hujusmodi, & ad superbiam accommodatis hominum inventis ineunt viam in explanandis Scripturis, nimirum traditionem adeunt, atque unanimem Ecclesiæ consensum. Hac ratione ea solum amplectentes, vel respuentes, quæ

amplectitur, vel respuit Ecclesia, ab omni erroris periculo longissime absunt: nisi dicere quispiam malit, nullum esse Fidei in religione Christiana certum principium, nullamque agendi normam, quod omni veri specie caret.

Quum de Patrum consensu agitur, unanimis, & constans illorum sententia intelligitur, qua sublata erroris immunes dici non debent. Quum omnes, vel plerique saltem uno ore, unaque voce loquuntur, tunc illis refragari summum nefas esset. (2) Quum vero, ut privati Doctores ex penu suo depromtas opiniones proferunt, iis acquiescere nemo tenetur; immo etiam illos sequi aliquando non licet, sive humana erraverint imbecillitate, sive illorum opera Hæreticorum protervia corrupta fuerint, ut conqueruntur Pamphilus Martyr, Didymus, & Ruffinus de Origenis, ac Sancti Clementis Alexandrini operibus.

Eam ob causam antequam Patres Ecclesiæ legantur, consuli debet Auctor aliquis, qui hac de re scripserit, ut liber quintus, & sextus

Bi-

(2) Intellige nimirum, quum Sancti Patres exponunt Scripturas „ in rebus Fidei, & morum ad ædificationem Doctrinæ pertinentium „ ut loquuntur Patres Tridentini sess. 4. Quod enim ad rem criticam attinet, ac eruditionem, nefas profecto non esset recentiores Scripturæ Interpretes illis quandoque præponere; quippe quum potiorem præ antiquis in hac scientia operam, & studium collocarint. Vide caput V.

Bibliotheca Sixti Senensis, ubi scite, prudenterque notantur complures, falsæ, vel perperam intellectæ Scripturarum Interpretationes in Patrum Scholiis, & Commentariis. Quod tamen doctissimus iste Criticus non eo animo fecit, ut antiquis Interpretibus notam, vel suspicionem inureret; sed ut auxiliarem manum studiosis præberet, qui quum ingenio, & intelligentia satis non valeant, in hisce rebus legendis vel errare possent ipsimet, vel aliis occasionem erroris præbere, ea, quæ legerunt, bona fide, & inconsiderate proferentes.

CAPUT V.

De Methodo, quam tenuere Patres in Sacrarum Scripturarum Interpretatione.

DUplicem tenuere modum Ecclesiæ Patres in exponendis Scripturis, Historicum unum, Mysticum alterum. Primo modo literalem, altero spiritalem explicant sensum. Spiritalis autem sensus pro varietate temporum, præteriti videlicet, præsentis, & futuri, in Allegoricum tribuitur, Tropologicum, & Anagogicum. Allegoricus enim figuras, & prædictiones spectat veteris Testamenti; Tropologicus Historiam, ac Scripturæ verba præsenti morum institutioni accommodat; Anagogicus

 ad

ad cœlestem, æternamque Beatitudinem, quæ post hanc vitam nos manet, mentem extollit.

Stylum allegoricum magni semper fecerunt, & faciunt etiamnum Orientales. LXX. Græcorum ætate, & sæculis consequentibus Judæi ad rituum Legis, Traditionum, atque allegoriarum investigationem omnem operam suam conferebant. Philo Judæus Interpres mere allegoricus, Hessenos omnium primos fuisse existimat, qui allegoriis ad Sacrarum Scripturarum explanationem usi fuerint. Porphyrius auctorem facit Origenem: Christiani vero a Christo Servatore, & a Divo Paulo illarum usum repetunt.

Plura adducuntur exempla ex Novo Testamento petita, præsertim vero ubi Christus Dominus disserens de Johanne Baptista, ut in eo Præcursoris Sanctissimi officium indicet, ait, Eliam venturum esse, immo jam advenisse. Illud etiam afferri solet Divi Pauli; qui in *Epistola ad Galatas* ea, quæ in Libro *Genesis* de duobus Abrahæ Filiis dicta sunt, duobus Testamentis Veteri, & Novo accommodat.

Tropologicum etiam a Servatore adhibitum fuisse asseverant, quum Ninivitarum Historiam, ac exemplum Reginæ Saba adduxit; quo Judæorum mores castigaret, eorumque incredulitatem redargueret; quemadmodum Divus Paulus ad emendandos Corinthiorum mo-

mores exemplo utitur Hebræorum, qui perierunt in Deserto.

Denique sensum Anagogicum eorumdem exemplo innixum ostendunt, Christi Domini in pluribus Evangelii locis, Divi autem Pauli, quum in *Epistola ad Hebræos*, quæ dicta sunt de Terra promissionis, cum futura, & cœlesti Patria confert, quam Sanctissimi Patriarchæ vehementer expetere nunquam cessarunt, & solicite expectabant, ut veram sui mansionem, æternæque tranquillitatis, & requietis sedem.

Cæterum nullus est Scripturæ locus, qui vel literali, vel alterutro ex mysticis sensu explanari non possit: neque desunt, quæ duobus, vel tribus, immo quandoque omnibus pateant sensibus. Exemplo sunt aquæ de quibus in Genesi: in primis enim ad literam, *Genes. 1.*
ut notat Eucherius, earum nomine aquæ naturales intelligi possunt; deinde tropologice aquæ afflictionum, & ærumnarum; tertio al- *Ezech. 36.*
legorice aquæ Baptismatis; demum anagogice *Jerem. 2.*
Angeli, sive cœlestis Beatitudo. *Psal. 48.*

Non convenit omnino hac de re Augustinum inter, & Eucherium; ab utroque etiam dissentire videtur Hieronymus. Verum reapse una est horum Doctorum mens, neque discrepant nisi in numerandis methodi partibus, quam tamen omnes perinde servant, quum D. Eucherius in quatuor, Divus autem Hieronymus in tria partiatur membra, quæ Divus Augustinus ad duo solum revocavit.

Divus Hieronymus Historici solum, Allegorici, & Anagogici meminit; Divus Augustinus Historici duntaxat, & Allegorici, quem rursus tribuit in Allegoricum proprium, in Tropologicum, & Anagogicum, quod ad eandem cum Hieronymo, & Eucherio licet alio modo expressam Sententiam conducit.

Quamvis Ecclesiæ Patres Sacræ Scripturæ Literam non neglexerint, spiritum tamen sæpius secuti sunt: tum enim excitandis Auditorum animis præcipue studebant, tum etiam consentaneum non erat iis temporibus Populos Critices, atque Grammatices quæstionibus detinere, quibus nec meliores, nec sapientiores fieri potuissent, quum plerique huic eruditionis generi parum apti viderentur.

In Scholis duntaxat, atque disputationibus hæc studia adhibebant, vel quum ostendendum foret, literam Allegorici sensus basim esse, ac fundamentum.

Hinc tria nobis operum genera in Sacram Scripturam reliquere Sancti Patres, scilicet Scholia, sive notas Sapientibus perutiles; Commentaria in eorum gratiam, qui rebus cœlestibus, ac divinis magis addicti erant; ac demum Homilias, vel Sermones inconditis Populi auribus accommodatos.

Homiliæ dicebantur plerunque post Sacri Codicis lectionem, quem Episcopus, vel ejus jussu Presbyter per singulos versiculos explanabat, ut videre est apud Augustinum *in Evangelium Sancti Johannis*, & apud Divum Chry-

Chrysostomum *in Evangelium Sancti Matthæi*, & *Epistolas Divi Pauli*.

Hisce vero Sermonibus aderant non modo Cathecumeni, Fideles, ac Pœnitentes; verum etiam Pagani, Judæi, & Hæretici, quos libenter excipiebant Pastores: experientia quippe norant, complures eorum Concionibus motos ad veram fidem se se recepisse.

Atque hanc præcipue ob causam tanta deprehenditur in Homiliis Patrum diversitas: in omne enim latus circumagebant se se, ut variis Auditorum ingeniis, & conditionibus se accommodarent. Nunc altissimam petebant Theologiam, ac reconditissima Mysteria explicabant; modo præteribant silentio, vel subobscure tantum perstringebant; plerunque tamen de morum doctrina, utpote communi cibo, atque necessario longius differebant.

Et sane præcipua Religionis Capita antiqui Patres non nisi in explanationibus Scripturarum exponunt, ut ejusmodi operibus pacato, & vacuo animo lucubratis eos aptius erudirent, qui Christianam veritatem perfecte consequi cupiebant.

Ad ætatem usque Diodori Tharsensis Episcopi, ejusque Auditoris Divi Chrysostomi, qui primum literali solum sensui incubuisse videntur, Patres Ecclesiæ, vel Christi Domini, & Apostolorum exemplo ducti, vel ingenii sui vi, suæque ætati morem gerentes, nihil fere proferebant, quod mysticis coloribus, atque significationibus non exornarent.

Quum

Quum enim alloquerentur Ethnicos, qui mysticis Poetarum fabellis assueverant, Hellenistas Platonicorum ideis imbutos, Christianos in Fide parum adhuc exercitatos, atque nutantes, ne vilesceret illorum oculis Christiana Religio, spiritali sensu Scripturam exponere cogebantur. Quippe litera durior est se sola, atque spinosior, quam ut ejus ope in illorum animos se se insinuarent, atque apud eos Fidem nostram in existimationem adducerent.

Suam obtinet unaquæque consuetudo ætatem, & Imperium: ac quemadmodum iniquus foret, qui Recentioribus exprobraret, eos allegoricum stylum veteribus sacrum deseruisse; sic injuria, & immerito reprehenderentur Veteres, quod Religionem allegorice exposuerint, ut iis temporibus mos erat communi auctoritate firmatus.

Quoniam vero, ut æquum de antiquitate ex ejusdem antiquitatis monumentis judicium fiat, plus ei tribuendum non est, quam res, & veritas ipsa concedat, inficiari non possumus, in exponenda funditus Scripturæ Litera nonnihil necessariæ eruditionis antiquis Patribus desiderari. Ut enim Augustini exemplo utamur, indubitatum est, quantacunque polleret ingenii vi, plura ad tantum opus ei defuisse; indeque literalem Geneseos Interpretationem aggressus, propria se imperitia contrahi sensit. Quamobrem Divus Hieronymus hac in re æstimator æquissimus ajebat, Mysticam præ li-

literali Divinæ Scripturæ explicationem, ludum esse puerilem.

Præter hasce varias exponendæ Scripturæ Methodos, extat alia, quæ Theologica dici potest, quod Scripturam ad Theologiæ formam, & Ecclesiæ Fidei sensum explanat. Elucet hic sensus Theologicus præsertim in Polemicis Patrum operibus, ac præ cæteris in Augustino contra Hæreticos disputante, & Fidei Ecclesiæ rationem reddente.

Iccirco ante Pelagianorum Hæresim veriti Patres, ne Populi saluti indiligenter consulerent, nisi satis aptas vires in humana libertate tuerentur; ea præsertim ætate Gentilibus proxima, ac recenter fœdata Gnosticorum, & Manetis erroribus, qui fato cuncta tribuebant; eam, inquam, ob causam Scripturam, quotiescunque duplicem sensum habere posset, eo exponebant, qui ad firmandam contra ejusmodi errores libertatem magis conduceret.

E contrario post exortam Pelagii Hæresim, quæ liberi arbitrii vires plus æquo augebat, easdem Scripturas, quibus ad refellendos Gnosticos, atque Manichæos aptiori sensu usi fuerant, alio sensu perinde legitimo exposuerunt, qui liberum hominis arbitrium justis limitibus concludens, aggerem, ut ita dicam, de medio tollebat, aperiebatque spatiosum fluenti Servatoris Gratiæ cursum, ut illius ævi postulabat occasio, quo Gratiæ Salvatoris triumphus inprimis necessarius erat, ut Pelagianorum superbia deprimeretur.

Bi-

Bina hæc ratio, quæ prima facie improbanda videtur, absurda non est, si animadvertamus, Ecclesiæ Patres rem habentes cum infirmis, atque imbecillibus viris, eorum conditionibus, quæ pro varietate temporum variæ fuerunt, obsecundare debuisse; neque enim nefas est in arduis eventis tandiu lancem in hanc, vel alteram partem, quum id postulat æquitas, deprimere, donec paribus libretur ponderibus, quo cuncta demum vota contendunt.

Turpiter itaque aberrant, qui duplex in Theologia Patrum Traditionis genus agnoscunt: alterum Ecclesiæ Græcæ, quod faveat Pelagio, ut ipse effutiebat; alterum Latinæ, quod Græcis Patribus adversetur; nec sine maxima injuria affirmari potest, modo sublatam a Patribus Gratiam, ut liberum extollerent arbitrium; modo eversam libertatem, ut Gratiæ necessitatem commendarent. Nunquam enim eorum mens fuit hinc Fidem pessundare, ut eam inde tuerentur, atque firmarent. Fatendum potius, pervigiles istos Pastores eo se majori studio contulisse, quo periculi gravioris occasio suberat, interea ad id semper paratos, quod minus eo tempore periculosum, & lubricum videbatur.

Alia est quibusdam in locis Græcorum a Latinis Patribus loquendi ratio; eadem tamen quovis tempore fuit Fides, atque Doctrina: adeout certo credendum sit, Græcos, Latinosve Patres, si in unum tandem omnes

Con-

Concilium convenissent ; unam , eandemque accepturos fuisse in rebus Fidei Sententiam , atque in intricatioribus quæstionibus consensuros certa quadam via , modoque , qui licet propter hominum fortasse proterviam etiamnum lateat , optari tamen , & expectari debet ex summa Dei clementia , qui hominum mentes , & corda pro lubito flectit , & movet . (3)

In eorum tamen laudem affirmari debet , si omnes una sumantur , præstantissimum nobis in Scripturas Sacras Commentarium exhibere ; quum unusquisque quidquid habebat ingenii , & virium ad tantum opus contulerit . Neque vero inficiandum, recentiores prospero successu ad Scripturæ Literam incubuisse , ac Deo opitulante in posteriorum temporum sterilitate , & inopia novis eam inventis illustrasse . Verum omnibus rite perpensis nihil forte fortuna invenietur, quod non ab antiquis fontibus vel palam , vel secreto manarit . Immo veri admodum simile est , si innumera pene Veterum Patrum Commentaria, Scholia , atque Annotationes superessent, quæ temporum injuria periere, nullum fore invidis quibusdam homi-

[3] Typis impressum fuit anno 1739. Opus , cui titulus : *Concordance des SS. Peres de l'Eglise , Grecs , & Latins* , auctore D. Bernardo *Marechal* Monacho Benedictino ; quod, quum opiniones Sanctorum Patrum specie tenus diversas conciliet, liquido commonstrat, unam esse, eandemque Sanctorum Patrum Doctrinam de *Fide*, & *Moribus* : quidquid effutiant Sectarii immo etiam nonnulli Catholici.

minibus locum recentiores Interpretes anteponendi priscis illis Doctoribus, qui rerum semina posteritati mandarunt, quarum fructus nonnulli hac tempestate intolerabili superbia, ac parum omnino grato animo sibi arrogant.

CAPUT VI.

De iis, quæ necessaria sunt ad Ecclesiæ Patres in Sacram Scripturam cum fructu legendos.

SIxtus Senensis, Possevinus, Bellarminus, & Crovæus Anglus Cathalogos ediderunt Auctorum, qui in Sacra Biblia scripserunt, quorum tam ingens est multitudo, ut nunquam omnes legi posse videantur; cum enim labor incredibilis foret, tum etiam inutilis, præsertim in pluribus, qui omnem operam suam in aliis vel exscribendis, vel colligendis collocarunt. Immo quidam inter eos nullum omnino locum merentur, nullamque commendationem, nisi forte peculiaris aliqua illorum expositio obiter, & raptim quæratur. (4) In-

[4] P. Le Long. Oratorii Presb. hujus generis Cathalogum edidit sub nomine *Bibliothecæ Sacræ*, qui, quum sit numeris omnibus absolutus, cæteris prætermissis, consuli, & evolvi potest.

Inter vetustos itaque Interpretes iis duntaxat immorandum est, qui vel in Sacra generatim Biblia, vel in aliquam singillatim illorum partem accuratius præ cæteris scripsisse existimantur.

Antea vero nonnihil incumbendum criticis Patrum operibus, quæ ad Sacrarum Literarum intelligentiam viam sternunt. Magnum profecto adferret subsidium, qui omnia fragmenta huc, illucque apud antiquos Interpretes dispersa colligeret, atque in unum Volumen redacta præberet; quæ res quum desideretur, potest quisque se solo tam varias partes, non inani studio ad quandam ordinis formam revocare, pro ut ad propositum librum, caput, vel versiculum Scripturæ referri possunt.

Quatuor inveniuntur apud Patres Critices genera. Primum ad generalem totius Bibliæ lectionem præparat; alterum in unumquenque singillatim librum quasdam veluti præfationes exhibet; tertium difficiliora Sacri Codicis vocabula exponit; postremum varias Theologiæ, Philosophiæ, & Chronologiæ, quas nosse oportet, quæstiones dilucidat.

Prima in classe recensentur *Philocalia* Origenis, in qua viginti septem capitibus de auctoritate, stylo, ac interpretatione Scripturæ disseritur, & quatuor libri *de Doctrina Christiana* editi ab Augustino, præcipue secundus, & tertius, qui maximo esse possunt emolumento.

In Libro primo Divus Augustinus Theolo-

logo, quem instituit, linguarum Orientalium studia commendat; eum summopere hortatur, ut diversas Bibliæ Interpretationes consulat; res naturales, quæ comparationibus, atque figuris Sacri Codicis materiem præbuerunt, solerter indagare studeat, & scientias, atque artes calleat, quæ ad Scripturæ Sacræ cognitionem conducunt.

In altero dubia quædam enodat ex punctis, ac virgulis nascentia, quorum varia positio totum Scripturæ sensum nonnunquam invertit. Ubi hæc dubitatio occurrat, ad Fidei regulam recurrendum censet, atque ex duobus, qui eidem loco subesse possunt sensibus, eum, qui evidenter falsus est, atque Hæreticus, rejiciendum; quod si uterque sensus sit Orthodoxus, illum anteponendum docet, qui cum textu magis cohæret; si demum uterque cohæreat, perinde Lectori, quem maluerit, eligendum relinquit.

Regulas etiam exhibet, ut figuratus a proprio, vel etiam a figurato secernatur: quippe nonnunquam eadem figurata locutio duas diversas res, immo & contrarias significat.

Modum quoque tradit, quo loca obscura clarioribus explanentur, quæve ad nonnullas difficultates enucleandas institui debeat ratiocinatio.

Hisce positis legi poterit *Synopsis* Divi Athanasii, quæ totius veluti Scripturæ summarium continet, in qua de nomine, & titulo cujusque Scripturæ Libri rationem reddit,

dit, atque diversos Sacrocrum Scriptorum characteres designat.

Veteris Testamenti Libros secundum Hebræorum Canonem enumerat, meminit etiam libri *de Doctrina Apostolorum*, libri *Pastoris*, aliorumque, qui quum Canonici non sint, legebantur nihilominus Catechumenis, quod iis non mediocriter prodesse possent.

Quæ scribit ille de græcis Veteris Testamenti interpretationibus, Lectoris attentionem merentur; atque abs re non erit in ejusdem Cathalogum Scripturæ Sanctæ Librorum, qui perierunt, oculos injicere.

Dubitant quidam eruditi, num postrema hujusce *Synopsis* pars alium habeat ab Athanasio Auctorem: multa quippe in eo sunt adnotatione digna. Præ cæteris loquitur Auctor de Historia Mulieris adulteræ, quam plerique Græci Patres silentio prætermiserunt: atque Canticum Salomonis appellari affirmat *Canticum Canticorum*, quod ex aliis compluribus ejusdem Auctoris Canticis delectum sit, ut vel ipse titulus indicare videtur. (5)

Vide Biblioth. Cæsar. T. 3.

Synopsi hujusce Doctoris addendus Gelasii

Q Papæ

[5] *Dubitant quidam eruditi*, nec solum dubitant, verum etiam negant, & iure quidem, meritoque hanc *Synopsim* ab Athanasio conscriptam. Tum enim eam non profert Hieronymus Athanasii opera recensens, tum etiam contraria continet Paschali ejusdem Athanasii Epistolæ in recensendis Sacris, vel dubiis Scripturis.

Papæ *Tractatus* [6], una cum ejus Decreto de Libris Canonicis, & Apocryphis, ne quidquam in tanto negotio desiderandum supersit.

Quod ad criticen secundæ classis spectat, quæ in Divinas Scripturas quasdam veluti præfationes exhibet, in promtu est primo loco præstantissima Divi Hieronymi *ad Paulinum Epistola*, in qua Libros Sacros dinumerat, atque quam difficile sit illorum spiritum, ac sensum genuinum deprehendere, paucis ostendit; de omnibus speciatim Libris fuse disserit, eorumque Auctores graphice, atque ad vivum omnino depingit.

Scripsit etiam Epistolam instar præfationis ad Pentateuchi interpretationem, quam suscеperat, ut græcam LXX., quæ valde vitiosa ei videbatur, quodammodo emendaret; habentur præterea undeviginti in tertio hujus Doctoris volumine Epistolæ, quæ totidem sunt, veluti præfationes in Libros *Josue*, *Regum*, *Paralypomenon*, *Esdræ*, *Nehemiæ*, *Tobiæ*, *Judithæ*, *Estheris*, *Jobi*, *Proverbiorum*, *Ecclesiastis*, *Cantici Canticorum*, *Isaiæ*, *Hieremiæ*, *Ezechielis*, *Danielis*, duodecim Prophetarum minorum, ac quatuor Evangelistarum.

Epist. ad Desider.

Ex-

[6] Non video sane quid intelligat Auctor operis nomine *Tractatus* Gelasii Papæ; nullus enim extat hac de re Gelasii Tractatus, sed Index solummodo, & Decretum, ab eo, ut vulgo creditur, latum in Concilio Romano, cui aderant 70. Episcopi anno 494.

Extant pariter Præfationes Theodoreti in universam Scripturam, Tractatus Divi Gregorii Nysseni, atque *Epistola* Divi Athanasii *ad Marcellinum* de inscriptionibus Psalmorum. Ostendit eo loci Athanasius, quæ comparatio Psalmorum Davidis cum prisci fœderis Historia, quove pacto omnia, quæ Christum Jesum spectant vaticinia contineant. Quilibet Psalmus sub proprio sibi titulo dispositus est sive ad Historiam, ac Prophetiam; sive ad informationem morum, pietatem, atque orationem referatur.

De Novo autem Testamento Eusebius Cæsareensis Literam scripsit *ad Carpianum*, una cum Canonibus, qui decem columnis quatuor Evangelistarum concordiam exhibent. Huic vulgandæ occasionem dedit Concordia Ammonii, cujus tamen ordini, ut testatur Theodoretus ibidem, se noluit addicere.

Præ cæteris vero legenda *Evangelistarum Concordia* Auctore Divo Augustino: mirum enim quantum adferat subsidii ad plures, easque gravissimas difficultates solvendas, quibus percellitur, ac perturbatur quisquis eo ingenio, & eruditione præditus non est, ut tot, ac tantas specie tenus Antilogias conciliet; quum Evangelistæ ad suum quisque modum verba, & gesta Christi Jesu descripserint.

Hisce addes Tractatum *de Catechizandis Rudibus*, quo perfecte docemur, qua ratione ad intelligentiam Novi Testamenti Vetus adhiberi possit. Tractatum etiam *de Religione*, & *de*

Moribus Ecclesiæ, nec non *de Sermone Domini*, ubi Augustinus quamplurima notat de difficultatibus, quæ ex Sacri Codicis obscuritate nascuntur.

Ad tertiam quod attinet classem, quæ in exponendis difficilioribus verbis versatur, legenda inprimis, quæ ea de re scripsit Hieronymus: scilicet *Epistola* 130. *ad Marcellam*, in qua exponit quid sint *Ephod*, & *Theraphim*; Epistola 137. de notione vocum *Alleluja*, & *Amen*; 138. de voce Hebraica *Sela*, a Græcis reddita *Diapsalmos*, & 142., 143., & 145. ubi Oziæ Historiam explanat, agitque de vocabulis *Sanctus*, & *Osanna*. Hisce accedent Tractatus ejusdem Doctoris, in quibus Alphabetum Hebraicum explicat: nomina etiam propria Virorum, Provinciarum, ac Urbium, quas memorat Scriptura: neque omittenda Hebraicarum Traditionum collectio, vel quæ discrepantias Hebraicum inter Codicem, & Græcum LXX. recenset.

In eandem classem referri debent, quæ scripsit Epiphanius de *Nummis*, *Ponderibus*, *Mensuris*, & *Notis*, quas adhibebant suæ ætatis grammatici in Græcorum Bibliorum Editionibus.

Etiamsi non adeo feliciter successerit Epiphanio *Physiologiæ* Tractatus, ubi animalium, quæ commemorat Scriptura, proprietates recenset, ejusque Tractatus *de Duodecim Lapidibus Pretiosis Pectoralis Summi Pontificis* non omnibus numeris absolutus sit, prudentibus tamen Viris,

Viris, qui veterum hac in re cognitiones ab eruditione recentiorum secernere norunt, ejusmodi operum lectio nunquam obesse poterit.

Huc etiam advocanda, quæ Divus Augustinus de modo loquendi in septem prioribus Scripturæ libris, totidem libris perscripsit. Addi possent *Formulæ Spiritales* Divi Eucherii *ad Veranum*, sed minoris ponderis videntur, præcipue in ejus mysticis considerationibus in varias Sacri Codicis loquendi rationes.

Idem ferme judicium sit de illius *Institutionibus*, quæ plurimum etiam juvare possent, si quædam Populorum nomina, Urbium, Fluviorumque, quorum involuta ad nos pervenit notitia: item quæ de Festis, de Idolis, de Vestibus Judæorum, de Ponderibus, eorumve Mensuris cum iis Græcorum, Latinorumve comparatis paullo accuratius dixisset.

Inter postremæ classis Criticos, qui scripturæ quæstiones dilucidant, eminet etiam Divus Hieronymus, qui bene multas perspicue, & erudite definivit. Optima hoc in genere sunt ejus responsa ad quæstiones Damasi Papæ de quinque difficultatibus in Genesim: item *ad Evagrium*, ubi quærit quis esset Melchisedech: aliud etiam responsum, in quo de annis Salomonis, ac Regis Achazi: necnon quinque, vel sex ipsius Epistolæ, præsertim vero duæ, quas *ad Hedibiam* scripsit, & *Algasiam*, ubi plures Antiqui Testamenti nodos resolvit.

Alia extant nonnulla apud antiquos Patres

critices opera, quibus Lector in tam praeclaro studio tanquam ducibus, uti potest, una cum singulis Scripturae Libris Patrum opera jungens, quae ad eos referri queunt. Ita Prophetarum lectionem antecedent duo Sancti Johannis Chrysostomi Sermones, in quibus de obscurioribus Scripturae vaticiniis rationem reddit, & qui Acta Apostolica legere cupit, eundem Doctorem consulet, qui ad hujus Libri undique divini intelligentiam maximam lucem praebet, & sic de caeteris.

CAPUT VII.

De Patrum Ecclesiae delectu, qui Scripturam Sacram exposuere.

Quum partem aliquam temporis in studio critices Patrum, qui Scripturas Sanctas explanarunt, contriverit Lector, convertet se ad ea, quae superant Scholia, & Commentaria piissimorum, sapientissimorumque Interpretum.

Ut autem recto procedatur ordine, ex cordatiorum hominum mente Novi Testamenti intelligentiam persequetur, antequam Veteris, cujus finis Christus est. Verum ad Vetus gradum reducens non praetermittet Novum, maxime vero in lectione Prophetarum, quibus historici libri conjungi debent, quum sacrorum Vatum intelligentia ex cognitione Histo-

riae,

riæ, cujus maxima pars sunt, multoties pendeat.

Hisce principio positis inquiret sedulo, quinam inter Patres præstiterit cæteris in exponendo tum literali, tum mystico, sive spirituali Scripturæ Sacræ sensu.

Unicuique copia fit, quem libuerit magis deligendi: verum ad scientiam literæ quod attinet, plurimi faciundus Hieronymus, qui eam perspicue, eruditeque exponit; sensus vero mysticus, & spiritalis ab Origene repetendus. Quamvis enim Origenes in allegoriis modum paullisper excesserit, dignus tamen est, qui ab initio ad finem usque legatur: uberrimos quippe continet fontes, unde Ambrosius, ac posteriores Interpretes hauserunt ea mentis inventa, quibus priorum Ecclesiæ sæculorum auctores tantopere delectabantur.

Origeni adde, si placet, doctissimum Philonem, qui licet Judæus genere, exemplum tamen iis omnibus dedit, qui prisca ætate per allegorias scripserunt. Omnium vetustissimus hic Scripturæ Interpres gravibus cogitationibus affluit, atque eloquentia, & doctrina ad Platonem magnopere accedit, qua in re (ut putat Photius) cum Judæis non semper convenit.

De Tropologico sensu, seu morali adeat Lector Chrysostomum, Augustinum, & Gregorium Papam, qui omnes illius copias, omnesque divitias uberrime continent.

Jam vero Latinis ne Græci, an Græcis Latini in hoc delectu anteponendi sint, differere non immoramur. Præterire tamen non possumus eruditorum aliquot Criticorum sententiam, qui de libris Novi Testamenti græce primitus exaratis consulendos putant Græcos præ Latinis, in eorum sermone leviter admodum exercitatis: verum reponi potest, Divum Hieronymum, qui ut Latinus græce tamen perinde sciebat, ac Græci indigenæ, quos pene exscripsit, Latinorum partes implevisse, qui ad Evangelicæ literæ expositionem minus quam Græci incubuerunt.

Quin ergo diutius hoc Latinorum, Græcorumve Patrum discrimine detineamur, ubicunque uberior se se offeret seges, messem colligemus.

Novum inprimis Testamentum excurramus, cujus initium facit D. Matthæus. De Literali hujus sensu locupletissimas habemus Homilias Chrysostomi: de Morali vero, atque Genealogia Hilarium Pictaviensem: de grammatica demum eruditione Hieronymi annotationes.

In Divum Lucam Commentaria scripsit Ambrosius: in Divum Johannem ad sensum Mysticum, & Spiritalem adhiberi possunt Homiliæ Origenis: ad Moralem Chrysostomus: ad Doctrinam autem Hilarius, & Augustinus.

Quod attinet ad D. Marcum, quem Patres molli admodum brachio, leviterque tractarunt, Græcorum Catenas nimirum sumere fas erit, vel Theophilum Antiochenum, at-

que

que Theophilactum, Chrysostomi Eclogarium, eo fere modo, quo D. Marcus S. Matthæum in epitomen coegit.

In Acta Apostolorum præsto sunt Homiliæ Chrysostomi: in Epistolas Divi Pauli informandis moribus apta scripsit idem Chrysostomus. Addi potest Theophilactus, in quem totius Ecclesiæ Græcæ vox convenit, quum Doctoris gentium sensa explicanda sunt, atque proferenda. Literam exploravit Theodoretus; Doctrinam autem expressit Augustinus Commentariis *in Epistolam ad Romanos*, & *ad Galatas*, Sermonibus *de Verbis Apostoli*, pluribusque contra Pelagianos libris, quos nonnulli eruditi totidem fere de Gratia Commentarios existimant.

Ad Epistolas Canonicas quod spectat, quibus antiqui Patres exiguam, vel fere nullam operam dederunt, uti poterit lector Commentariis Didymi, Homiliis Augustini *in primam S. Johannis*, necnon compilationibus Œcumenii, & Venerabilis Bedæ.

In Apocalypsim reliqua sunt Commentaria Victorini, Andreæ Cæsareensis, Primasii, atque illud, quod vulgo adscribitur Augustino, & Donatistæ Tyconio, quod aliud revera non est, quam Primasii, Victorini, & Venerabilis Bedæ collectio, Homiliarum stylo donata.

Ad Vetus secundo loco Testamentum quod spectat, in Mysticum, & Spiritalem Pentateuchi sensum legi potest Origenes una cum Glaphyris

phyris Cyrilli Alexandrini, in Moralem vero Chrysostomus omnium hoc in capite Princeps.

In Hexaemeron singillatim Ambrosius, vel Basilius; sufficit autem alteruter, quippe Ambrosius Divum Basilium, quem velut Magistrum colebat, exscripsit.

De Libris *Josue*, & *Judicum* consulendæ *Quæstiones* Augustini, atque nonnullæ, quæ supersunt Origenis Homiliæ.

In Libros *Regum* scripsit Gregorius Papa, vel potius ejus collector, forte fortuna Eucherius Lugdunensis Episcopus.

Ejusdem Gregorii *Moralia in Job* fere sufficiunt, nisi quis forte Græcorum Catenas ea de re perscriptas malit adire.

In Psalmos Davidicos eruditionem secutus est Hilarius, morum doctrinam Augustinus, utramque Theodoretus, vel Cassiodorus, qui Augustinum, aliosque Patres in summam redegit; nec prætermittendæ duæ, & viginti Basilii in totidem electos Psalmos Homiliæ.

Ecclesiastis sensa moralia exposuit suis in Paraphrasibus Gregorius Thaumaturgus. Accedunt octo Gregorii Nysseni Homiliæ, in quibus summa pietas una cum amplissima eruditione conjuncta est.

Plures quoque laudatus Doctor omnino allegoricas in *Canticum Canticorum* Homilias elaboravit: exposuit etiam divinum hoc opus Divus Gregorius Papa, & Apponius, qui legi poterunt, una cum Divi Bernardi in tria priora capita Sermonibus.

Isaiam

Isaiam Basilius, ac Cyrillus Alexandrinus, Hieremiam Origenes, Ezechielem Gregorius Papa, omnes demum majores, & præcipue minores Prophetas summa cum laude Hieronymus, explanarunt.

Ubi vero alicujus Scripturæ voluminis Commentaria desint, evolvendæ Quæstiones Theodoreti, Hieronymi, & Augustini, Epistolæ Isidori Pelusiotæ, necnon Collectiones Venerabilis Bedæ, & Rabbani Mauri, qui ex veterum animadversionibus plurimum fructus perceperunt.

Quanquam alia multa sunt Patrum opera in Scripturam, ea, quæ hactenus laudavimus, plusquam satis esse possunt; ita tamen ut in rebus dubiis, quæ ab iis vel silentio præteritæ, vel satis explanatæ non fuere, consulantur cæteri: immo nec omnes, quos laudavimus, legere necesse fuerit, unus, vel alter in singulos Scripturæ Libros cujuslibet studio satisfacere poterit, prout hujuscemodi lectione magis, minusve delectabitur.

Verum nulla iis lex statui potest, qui supra vulgus se attollentes Sacrarum Literarum studio se totos addicunt: cuncta ab iis evolvenda sunt Commentaria, Homiliæ, Scholia, Annotationes, Epistolæ, Præfationes, atque assiduo, & nunquam intermisso labore conferendi Auctores Auctoribus, vocibus voces, res denique rebus, ne quid eorum diligentiam effugiat.

CA-

CAPUT VIII.

De Lectione Patrum Ecclesiæ, qui Dogmata Fidei exponunt.

SEctarii, quorum mos est nobis continuo illudere, Theologiam Patrum, qua tantopere gloriamur, nihil præter ætatem, rugasque seniles singularis habere, eosque ludicrum aliquid facere dicunt (ipsismet Patribus asseverantibus) qui in rebus Fidei aliud docere conantur, quam quod Deus in Scripturis Sanctis Ecclesiæ suæ revelavit.

Verum facile est respondere, Basilium, atque Dyonisium Areopagitam similia scribentes id unum docere voluisse, in rebus Fidei nihil proprio marte cudendum; quemadmodum Sectarii consuevere, qui Dogmata pro libito fingunt, nequaquam explorato germano Scripturæ sensu, a Patribus secundum antiquissimas, atque in universa Ecclesia probatissimas Traditiones exposito; noster enim antiquitatis amor optimam esse, quam tuemur, doctrinam invictissime demonstrat, vel ob id solum, quod eadem quovis tempore fuerit. Et sane, ut olim ajebat Epiphanius Eunomianis, qui Catholicos irrisionis causa appellabant *Antiquarios*: eo major est Fidei nostræ certitudo, quo altior ipsius antiquitas: una semper, eademque fuit, & erit quacunque ætate Fides nostra: neque enim

enim a tempore pendet, sed mediis Sanctorum operibus, quorum alii acceperunt ab aliis, veluti totidem vehiculis, ad nos usque integra, incorruptaque devenit.

Labente temporum cursu, eadem omnino ratione, qua in lucem prodierunt, interibunt, & concident hæretici. Quonam abjere veteres Sectarii recentiorum parentes, atque Magistri? Floruerunt olim, ut florent nostris temporibus illorum successores, horumque memoria non secus ac illorum evanescet, si quando maluerit Deus O. M., in scelerum mulctam, alias ab Ecclesia pœnas repetere. Quid enim aliud profecto hæresis est, nisi præteriens novitas, quæ torrentis adinstar magno fragore ruentis, pluribus hinc inde rebus eversis, devastatisque, miserrime perit?

Tertullianus cum bona, sanaque mente vigeret adhuc [neque enim certum adeo est, atque perspicuum, ut opinantur nonnulli, Librum *de Præscriptionibus* post defectionem a Fide conscriptum fuisse] (7) Tertullianus, inquam, hoc argumento tanquam omnium validissimo contra Hæreticos utebatur, opponens

[7] Immo vero gravissimæ subsunt rationes, quibus invicte demonstratur, Librum *de Præscriptionibus*, a Tertulliano exaratum, antequam deficeret a Fide. In primis enim ne minimum quidem Montani hæreseos vestigium in eo reperitur. 2. Communem in eo sibi Fidem esse affirmat cum omnibus Ecclesiis Apostolicis. 3. Demum sanissima Fidei Catholicæ principia in illo opere exponit, quibus hæresis quæcunque, vel schisma funditus convellitur.

nens scilicet eorum doctrinæ novitati, Fidei nostræ, quam ab ipso fonte Christo Servatore petit, antiquitatem.

Vincentius Lirinensis perspicue demonstrat, non aliam fuisse hæreseon originem, quam contemtum antiquitatis, cujus limites impudenter excedunt Sectarii, ut inane novitatis phantasma consectentur. At mirari profecto subit, Novatores, qui tantopere nobis succensent, priorum nihilominus, quinque, vel sex sæculorum Patres, eorumque auctoritatem admittere, immo etiam ad posteriores nonnunquam, recurrere, e quibus aliquod causæ suæ subsidium expectant.

Quid, quod errorum suorum a Catholicis Doctoribus originem inquirere, eorumque auctoritate ad cæteros Sectarios sibi adversantes refellendos, uti non erubescant? Tertulliano nititur Servetus, statuitque contra Calvinum; Calvinus vicissim huic hæretico opponit Justinum Martyrem, quanquam eum fortasse non lateret, *Expositionem Fidei*, quam profert, Justino vulgo adscriptam, genuinum illius opus non esse, sed a Recentiore Scriptore ad refutandos Arianos elucubratam.

Anglicani vulgo Episcopales repetitam toties exprobrationem natæ illorum Ecclesiæ ex schismate Henrici VIII. iniquo animo ferentes, illius semina apud Patres trium, quatuorve priorum sæculorum reperire se gloriantur.

Dissert. Cypr. Eam ob rem Dodvellus Veterum horumce Doctorum sapientiam, & ministerium tantopere

pere extollit, ut illud Spiritus Sancti donum appellet, decantetque cum Apostolica dignitate, atque miraculorum, & prophetiæ dono comparandum: quemadmodum ait Apostolus, Jesum Christum dedisse Ecclesiæ suæ Apostolos, Prophetas, Evangelistas, & Doctores. Præstantissimam hanc Doctoris dignitatem, quam ex Synagoga translatam putat in Ecclesiam, ad ætatem usque Cypriani integram, illibatamque mansisse contendit, scilicet ad tertium usque sæculum jam provectum, tum vero una cum cæteris donis periisse communi prædicatione confusam, permixtamque.

Nos quidem seposita Dodvelli opinione, qui Doctores, ac Fidei Christianæ Expositores fatetur quatuor fere sæculorum spatio divinitus afflatos, omnium ætatum Patres accipimus, quum universali Ecclesiæ Fidei consentiunt; quanquam enim omnes generatim Patres veneremur, nemini tamen singillatim tantum auctoritatis, quantum omnibus simul tribuere audemus, neque singulas illorum sententias totidem habenda esse putamus oracula, quibus necessario adhibenda sit fides.

Hisce Doctoribus pro rei veritate Traditioni, atque Ecclesiæ Fidei testimonium reddentibus refragari summa temeritas foret: proprias autem opiniones, ac singulares conjecturas exhibentibus assensum cohibere, donec rationis, vel auctoritatis pondere de Orthodoxa eorum, quæ proferunt, veritate constet, nulla fit injuria. Non enim ob id eorum sententiis

as-

assentimur, quod ipsi dixerint, sed quia cum Ecclesiæ sensu præclare cohærent, nec respui possunt, quin summa Veritas, Deus ipse nimirum optimus maximus respuatur.

Nicetas Bizantinus in Apologetico Synodi Chalcedonensis inquit, Patres quibusdam uti loquendi modis metaphoricis, ambiguis, & sæpe numero contrariis, qui eos in erroris suspicionem adducere possent, nisi nota foret Veterum indiligentia in dictionibus, atque verborum delectu.

Theodoretus in Dialogis contra Hæreticos advertit, Ecclesiæ Patres nonnunquam excessisse, suisque locutionibus accuratam Dogmatum Fidem prætergressos, sive nimio id fecerint studio, sive quod humana mens, dum in sublime fertur, satis otii sibi non sumat, ut ad diligentius examen oportet; ac qui adversarium ad incitas redigere tentat, nonnihil periculo exponit, ut plenam, absolutamque victoriam reportet.

Augustinus cum Ario disputans, parcit Sabellio; quum vero adoritur Sabellium, fœdus iniisse cum Ario videtur. Quum Pelagianos insequitur, ad Manichæos illum accedere velle diceres. Sic Theodoretus vindicans se contra Cyrillum, Nestorianorum hæresi minus diffidit, quod metueret errorem ab Eutychete paullo post invectum: contra Cyrillus fortiter obsistens Nestorio, ab imperito Lectore Apollinarii sectator fortassis habebitur.

Multa sunt exempla Patrum, qui arborem in-

inflexam in latus oppositum inclinant, quo eam recorrigant, atque rectam ad lineam reducant: quod quidem prudentissimi Pastores non ita fecere, ut in unum impegerint scopulum, quo alium vitarent, sed eo quod experientia duce nossent, id genus æquipondia adhiberi posse, ut e præcipitio homines alioquin æternum mansuri retraherentur. [8]

Deinde neminem latet, quædam fuisse tempora, quibus cuique liberum erat multis de rebus pro arbitrio sentire, quæ quum ab Ecclesia finitæ non essent, hominum judicio, ac disputationi relinquebantur. Eapropter in lectione Patrum, ut habet regula juris, videndum quot numero, & quales sint, qui loquuntur, quæ rerum, de quibus agitur, natura, quo tempore in controversiam venerint, quæ demum verba ad illas significandas adhibita sint.

Præterea prudentis Lectoris munus est ea, quæ Patres proprio Marte, ab iis secernere, quæ post alios præsertim dubiæ Fidei Aucto-

[8] Quæ scribit hoc loco Auctor Operis de immoderato Patrum æstu in defendendis quibusdam Fidei Dogmatis, parumper castiganda videntur: nihil enim aliud continent, quam querimonias ab invidis obtrectatoribus Patrum fundi solitas; quæ quidem iniquæ prorsus comperientur, si Patrum doctrina paullo intimius pervadatur, ut egregie ostendit de D. Augustino Eminentissimus *De Noris* in *Vindiciis Augustinianis*, & Bullus Anglicanus in *Defensione Patrum Antenicanorum*, quos malevoli quidam Critici Arianis favisse autumabant. Vide notam 19. primæ Partis.

ſes ſcripſerunt. Exempli loco ſit Divus Hieronymus; etſi enim affirmet contra Ruffinum, diligenter ſe in Commentariis ſecreviſſe ſuas ab opinionibus Origenis, aliorumque, qui in hæreſeos ſuſpicionem venerant, non ita tamen accurate id præſtitit, ut nihil omnino ſuperſit difficultatis, ac confuſionis.

Maximum Lectori faſtidium parit, haud certo noſſe quis loquatur, & cui præbeat aurem. Ad id ſatis ſtudii non attulerunt Antiqui, atque, fatente Hieronymo, difficultas, quæ in intelligendis Prophetis occurrit, inde paſſim oritur, quod illos fere non diſtinguat Scriptura, quos ſuis in dialogis colloquentes inducit. Humanius forſitan acceptus fuiſſet Liber Eccleſiaſtis, ſi diſtinxiſſet Salomon, quæ dicit ipſemet, ab iis, quæ in hoc opere dicentes inducit homines nequam [9]. Facilius etiam fortaſſe perciperentur Pſalmi Davidis, ſi Cantorum, qui alternis quandoque canunt, nomina recenſerentur: multoque magis delectaret *Canticum Canticorum*, ſi Actores omnes notati fuiſſent. Hinc

[9] Præcipue vero contra immortalitatem Animæ cap. 3. ℣. 19., & cap. 9. ℣. 5. quæ tamen nonniſi impiorum nomine profert; quum cap. 12. ℣. 7. eandem animæ immortalitatem ſtatuat evidentiſsime, inquiens, *& revertatur pulvis in terram ſuam unde erat, & ſpiritus redeat ad Deum, qui fecit illum.* Nihilo tamen minus propter priora loca, Librum Eccleſiaſtis Sectarii bene multi rejecerunt, & complures Rabbini perniciosum traduxerunt. Nonnulli autem ſceleſtiſsimi homines iiſdem locis impie abuſi ſunt ad immortalitatem Animæ de medio tollendam.

Hinc Psellus divinum hoc epithalamium explicare aggressus, de Actoribus primum differit, ut ejus sensus perfectior, ac facilior fiat intelligentia.

CAPUT IX.

De præcipuis Patrum operibus ad Dogmata Fidei deligendis.

QUamvis innumera Patrum opera vel injuria temporum, vel immani hostium Ecclesiæ protervia interierint, qui non hominibus modo, sed & libris bellum indixerunt; attamen quæ ab exitiosa illa pernicie evaserunt, laboriosissimis etiam Viris exercendis, altissimisque studiis promovendis abunde sufficiunt. Immo pauci omnino sunt adeo laboris amantes, ut omnia, quæ ad nos pervenerunt, de Fidei Dogmatis Patrum monumenta valeant accurate pervolvere.

Plerique sæculi sui moribus servire satis habent, eas nimirum quæstiones, quæ agitari solent ætate sua, in Patrum scriptis scrutantur; quum enim primum nova quædam in Ecclesia excitatur contentio, ubi major apparet animorum vis, & maximus perstrepit tumultus, eo quisque contendit, tantoque fertur impetu, ut cæteras quæstiones, quanquam majorem sæpe utilitatem adferant, facillima oblivione prætereat. Quicunque tamen in

Ecclesiastica scientia progredi cupit, aliam ineat viam, oportet, ac certis quibusdam Patrum operibus per singula præcipua capita se se addicat, eaque ex proposito sibi ordine in classes distribuat.

Patres, quibus merito, & jure persuasum erat, Supremi Numinis consilium primitus non fuisse, ut ejus veritas ope librorum innotesceret, & universum terrarum orbem pervaderet, de Mysteriis Fidei tunc solum scripsere, quum insolita exorti cujusdam in Ecclesia tumultus occasio postularet, eoque potissimum fine, ut populo ab eis Fidei defensionem exposcenti indulgerent.

Fleur. Hist. de l'Egl. l. 2.

„ Apostoli, eorumque Discipuli [inquit „ D. Fleury] nunquam ad scribendum manum „ admovere, nisi quum occasio subesset, ac „ summa necessitas. Arbitrantur nonnulli, ea „ solum mente conscriptum a D. Luca Evan„ gelium, ut Christianorum animos ab Evan„ geliis, quæ illius ætate supponebantur, ab„ duceret, ac Pseudo Apostolos Divo Paulo „ adversantes comprimeret. Postremis vitæ „ suæ annis Evangelium scripsit D. Johannes; „ ad illam usque ætatem viva voce docuerat, „ nec nisi a plerisque Episcopis Asiæ roga„ tus, atque a pluribus Ecclesiis huic rei ge„ rendæ præfectus ad scribendum adduci po„ tuit. Antequam vero illud ordiretur, publi„ cum jejunium, & orationem fratribus suis „ indixit; in animo quippe habebat Sectarios, „ qui Christi Domini divinitatem sustollebant, „ refellere. Quo

Quo primum tempore nova errorum monstra prodibant, Divina Providentia recentes excitavit Doctores, ad Ecclesiæ defensionem comparatos, atque non tantum impenso tuendæ veritatis amore, verum etiam ingenii acumine, summaque eruditione cæteris omnibus longe præstantes. In nostro autem studiorum curriculo illi, quos in pertractandis Theologiæ quæstionibus plurimis præsidiis instructos deprehendimus, cæteris anteponere debemus, qui ejusmodi adjumento destituti, easdem res obiter duntaxat, atque jejune attigerunt.

Præclarissimus iste ordo, sicut in Patrum delectu, ita in variis etiam ejusdem Patris operibus deligendis teneri debet. Nam ratione duce consentaneum magis est ea loca consulere, quibus Auctor dedita opera, & diligenter, quam ubi generatim, ac sine penitiori investigatione argumentum aliquod tractat: sic Augustinus in Epistolis, & Tractatibus, quibus respondet absolutiorem rerum cognitionem petentibus, accuratius differit, atque attentius, quam in Sermonibus, ubi nonnulla duntaxat profert pro arbitrio, quæque ad rem primo propositam solummodo referuntur.

Pleraque Patrum opera de Fidei Dogmatis, vel Catecheses sunt, vel Homiliæ, vel Sermones, vel Epistolæ ad modum tractatuum, vel Tractatus ad modum epistolarum, quum Patres hos indiscriminatim titulos lucubrationibus suis præfigerent.

Divus Epiphanius Tractatui *de Anchorati*

Epistolæ nomen dedit; revera enim Clero, & Magistratui Suedriæ in Pamphylia responsum ferebat, a quibus rogatus fuerat, ut Doctrinam Mysterii Trinitatis dilucide exponeret. Tractatum *de Lapsis* a D. Cypriano conscriptum, epistolam vocat Pacianus, eodemque nomine donat Augustinus ejusdem Cypriani Tractatum *de Unitate*, quem Cyprianus ipsemet librum appellat. Divus Hieronymus Sancti hujus Martyris Epistolas, unaque suas commemorans, nunc libros, nunc epistolas nominat. Syncellus autem in distributione operum Divi Cypriani, Sanctissimi hujus Africani Antistitis Epistolas a Tractatibus secernit; quod argumento est, Patres Ecclesiæ hac in re liberrime se gessisse, ut mos erat profanis Auctoribus, qui literæ, vel epistolæ nomen operibus alterius plerunque generis sine discrimine imponebant, Afranio teste, qui comœdiam sub epistolæ nomine vulgavit, perinde ac si literam scripsisset ad vulgus cum delectatione erudiendum.

Just. Lips. Epistolic. Instit. c. 1.

Fieri etiam potest, ut exterior illius ætatis Epistolarum forma, quæ multis paginis tanquam libelli constabant, occasionem dederit Librum, vel Tractatum appellandi epistolas, quæ paullo longiores viderentur: vel etiam (quod vero similius est) quum de rebus Theologicis nonnisi rogati plerunque scriberent Patres, epistolarum nomine donabant responsa, quæ copiosas cæteroquin eruditionis Ecclesiasticæ tractationes complectebantur.

Quid-

Quidquid id est, innumerabiles extant Patrum Epistolæ, qui hujusmodi scribendi genus præ cæteris secuti sunt, utpote Pastoribus convenientius, qui de constanti Ecclesiæ Fide omnibus hominibus, Clericis, Laicis, Catechumenis, Fidelibus, Infidelibus, Judæis, & Hæreticis respondere tenentur.

Omnia fere Divi Athanasii opera ad modum epistolarum scripta sunt. Divus Basilius universam pene Theologiæ suæ doctrinam literis comprehendit, ac Divi Augustini Epistolæ omnium ejus librorum, ejusque doctrinæ summam atque compendium [10]. Quidquid demum apud Patres exquisitissimum occurrit, in eorum Literis continetur, adeoque præ cæteris eorum monumentis versari debent; sed certo quodam ordine, eaque methodo, qua in nova Augustini Editione dispositæ fuerunt, ubi Fidei Dogmata ab Historia, & Morum, ac Disciplinæ Doctrina sejuncta inveniuntur.

Catecheses autem Patrum duplici sunt in classe: aliæ ad Catechumenos in Paschate bap-

[10] Multum quidem sibi vindicant laudis, plurimumque adferre possunt utilitatis Epistolæ D. Augustini, in quibus e. g. agit de Gratia, ut *Epistola ad Vitalem &c.* non est tamen, cur tantopere commendentur, adeo ut præ cæteris omnibus Augustini monumentis versari debeant. Qui enim in quæstionibus de Gratia, & de Ecclesia, inconsultis reliquis Augustini Tractatibus, solis ipsius Literis hæreat, is profecto nonnisi jejune, exiliterque tractabit difficillimas ejusmodi quæstiones.

tizandos per aliquot dies habebantur, aliæ dictæ *Mystagogicæ* ad recens baptizatos per sollemnis hujusce Festi Octavam.

In Catechesibus, quum Patres nihil augerent, immo Fidem e contrario aperte, simpliciſſimeque proponere ſtuderent, tota veteris Eccleſiæ forma perſpicuo exhibetur.

Pauciſſimæ ſuperſunt Catecheſes apud Cyrillum Jeroſolymitanum, Gregorium Nyſſenum, & Gaudentium Brixiæ Antiſtitem. Earum paucitatis præcipua cauſa eſt, quod tribus prioribus ſæculis plerique Patres ex tempore loquentes, Sermones ſuos exſcribi non ſinerent; & ſane ſequioribus ſolum temporibus conceſſere Catechumenis Baptiſma petentibus, ut quæ ex publicis eorum Sermonibus memoria tenere poterant, literis mandarent.

Duplicis etiam generis ſunt Homiliæ Patrum: aliæ ad Fideles ſolummodo, aliæ vero ad Infideles etiam habebantur. In illis Patres de Myſteriis Religionis aperte, in iſtis vero ſubobſcure, ſummaque moderatione, ac circumſpectione dicebant.

Tractatus vero Patrum vel mere ſunt Theologici, vel Polemici. In prioribus veteres iſti Doctores ludimagiſtrorum inſtar, ſemota diſputatione docentium, Religionis Dogmata explanant; in poſterioribus autem tanquam ſpiritales Athletæ, veritates Fidei tuentur acerrime contra infenſiſſimos Eccleſiæ hoſtes, qui eas pervicaciter impetunt.

Hujuſce generis Tractatus majora poſtulant in-

ingenia, ampliоremque facultatem in Ecclesiæ Doctrina, quam quæ tyronibus inesse solet: si quid enim difficile, & arduum, spinosumque apud Patres, illud profecto dici debet, quod contra hæreses scripsere. Hoc in capite Principes fuerunt Ignatius contra Simonem, Menandrum, & Ebbionem (11); Irenæus contra Valentinum, & universam Gnosticorum sobolem; Tertullianus contra Marcionem; Cyprianus, ac Pacianus Barcinonensis in Novatianos; Athanasius, Hilarius Pictaviensis, Ambrosius, & Augustinus contra Arianos; Basilius Magnus, atque Gregorius Nazianzenus in Eunomianos; Optatus, & Augustinus contra Donatistas; Theophilus Alexandrinus in Origenem; Hieronymus contra Jovinianum, Helvidium, Vigilantium, & Pelagium; Titus Bostrensis, & Augustinus contra Manichæos; idem Augustinus contra Joviniani, & Pelagii sectarios; Cyrillus Alexandrinus contra Nestorium; Leo Papa adversus eundem Nestorium, Eutychetem, & Priscillianistas; Sophronius Jerosolymitanus, & Divus Maximus contra Monothelitas; Johannes Damascenus, &

[11] Animum intendit Auctor operis ad Epistolam D. Ignatii *ad Smyrnenses*, in qua Sanctissimus Martyr veram Incarnationis Fidem stabilit. Pauca etiam hac de re scripsit in Epistolis *ad Ephesios*, & *ad Trallenses*. Quæ quidem a Sanctissimo Martyre scripta sunt contra Simonem, Menandrum, & Ebbionem, primos illius Catholici Dogmatis hostes infensissimos;

& Theodorus Studita contra Iconomachos; Divus Anselmus contra Græcos; ac Divus Bernardus contra suæ ætatis Hæreticos.

CAPUT X.

De Ordine servando in lectione Patrum de Fidei Dogmatis disserentium.

Rationi admodum consentaneum videtur, in lectione Patrum de Fidei Dogmatis initium ducere ab eorum contra Paganos operibus; a quibus ad præcipua Fidei Capita illustranda maximum peti potest subsidium. Hoc scribendi genere excelluerunt Justinus Martyr, Origenes, Tertullianus, Minutius Fœlix, Arnobius, Augustinus, & alii: apud eos mixtum est utile dulci; & quamvis (excepto Augustino) plus revera apud hosce Apologistas niteat eruditionis, & eloquentiæ, quam altioris Theologiæ, in eorum tamen scriptis non desunt luculenta veterum Traditionum testimonia, quæ colligere, atque servare plurimum refert. [12]

Hisce

[12] Rem, ut arbitror, non inutilem fecisset operis Auctor, si inter antiqua monumenta contra Judæos, & Paganos, *Præparationem*, & *Demonstrationem Evangelicam* Eusebii Cæsareensis retulisset. Immo vero illud magnopere miror, omissum ab eo hoc loco tanti ponderis monumentum, quod testibus æquissimis rerum æstimatoribus, solum pene sufficeret ad demonstrandam contra Paganos

Hisce Apologiis addi poterunt ejusdem argumenti tractatus, quos reliquere Clemens Alexandrinus, Cyprianus, Lactantius, Julius Firmicus Maternus, Athanasius, Gregorius Nazianzenus, Chrysostomus, Cyrillus Alexandrinus, & Theodoretus contra Gentiles.

Post hæc gradus fiet ad Tractatus Patrum contra Judæos; hujusmodi sunt *Dialogus* Divi Justini *contra Tryphonem*, Tractatus Tertulliani *adversus Judæos*, *Liber primus de Testimoniis* Divi Cypriani *ad Quirinum*, Sermones Divi Chrysostomi, Tractatus, & Epistolæ Divi Augustini de eodem argumento.

Hujusmodi contra Judæos, atque Paganos operum lectione eo uberior comparabitur Polemicæ Sanctorum Patrum Doctrinæ intelligentia, quo plerique Sectariorum a veteribus hisce Doctoribus refutati Semipagani sunt, vel Semijudæi, qui doctrinæ suæ dogmata, ne dicam deliramenta, ex Gentilium, ac Judæorum cœno hauserunt, indeque odiosam, ac plane ridiculam farraginem conflarunt.

His positis, inquiret Lector apud Patres præcipua Theologiæ capita ex ordine Magistri Sententiarum, Divi Thomæ, vel alterius Scholastici, nisi forte peculiarem quisque methodum sibi proponere malit. Ita-

ganos Fidei nostræ veritatem. Continet autem inprimis universam Theologiam Ethnicorum, deinde omnia Christianæ Fidei veritatis argumenta. Equidem paullo infra illius; tanquam præludii, aut præfationis lectionem commendat, sed potiorem locum mereri videtur; neque enim præparare solummodo valet, verum etiam perficere Lectorem.

Itaque ne quis ulli scrupulosius ordini se addicat, Sermones evolvere poterit D. Chrysostomi *de Incomprehensibili Natura Dei*, Tractatum *de Divinis Nominibus* adscriptum Dionysio Areopagitæ, librum de *Monomachia* auctore Justino, Tractatus Theodoreti, ac Divi Chrysostomi *de Providentia*, una cum iis, quæ supersunt Lactantii *de Creatione*, *&* *Excellentia Hominis*.

Tum ad Mysteria Fidei propius accedens, assumet Tractatus D. Athanasii *de Trinitate*, ejusdem Homilias in hæc Evangelii verba: *omnia dedit mihi Pater*; ejus *ad Serapionem*, *ad Adelphicum*, & *ad Maximum* Epistolas: pervolvet etiam Sanctorum Hilarii, & Augustini opera de eodem Mysterio, Ambrosium *de Fide* contra Arianos, *Thesaurum* Cyrilli Alexandrini, Libros Vigilii Tapsensis, Homilias, & Epistolas D. Basilii *de Ineffabili Trinitate*, atque ejusdem Patris opera *contra Eunomium*.

Omnibus hisce Tractatibus addere juvat Sermones D. Gregorii Nazianzeni, & Tractatum D. Gregorii Nysseni *de Divinitate Filii*, *&* *Spiritus Sancti*; Librum Didymi *de Spiritu Sancto*, opus Basilii *ad Amphilochium*, Sermonem D. Chrysostomi *de Consubstantialitate*, ac duas Hieronymi ad Damasum Epistolas *de Hypostasibus*.

De Mysterio Incarnationis adeat, quæ supersunt Athanasii scripta, præcipue Epistolam ad *Epictetum*, duos Gregorii Nysseni contra Apollinarem Tractatus, ejusque Sermonem *de*

Na-

Nativitate, pleraque Cyrilli Alexandrini monumenta, plurium Orientis Antistitum Epistolas in collectione Lupi, Epistolam D. Leonis *ad Flavianum*, una cum reliquis ejusdem de hoc argumento Epistolis, Augustini etiam *ad Volusianum*, ejusque Tractatum *de Dono Perseverantiæ*, ubi quæ ad Prædestinationem Christi Jesu referuntur, exponit, Epistolam D. Bernardi ad Innocentium II. contra Petrum Abaelardum *de Satisfactione Salvatoris*, *&* *Redemtione humana*, Tractatum denique Tertulliani *de Carne Christi*.

De Prædestinatione vero, Gratia, & Libero Arbitrio præsto est Augustinus tomo 7. postremæ ejus operum Editionis; Divus Prosper *in Collatorem*, ejusdem responsa ad argumenta Vincentii; Fulgentius, & Bernardus, ubi de rebus istis altissimis, intricatisque scite, eruditeque disserunt.

Abs re fortasse non erit hisce omnibus anteponere Tractatus D. Gregorii Nysseni, & Sancti Augustini *de Beatitudine*, *Immortalitate*, *&* *Quantitate Animæ*; alterum *de Natura Hominis* auctore Nemesio Episcopo, atque Paulini opera *de Lapsu Hominis*, *&* *Meritis Jesu Christi*.

De Resurrectione Mortuorum Gregorius Nyssenus, & Johannes Chrysostomus, Tertullianus etiam, & Athenagoras in suis *de Resurrectione* Tractatibus legi possunt.

Quod spectat Sacramenta Ecclesiæ, septem Augustini Libros consulat Lector *de Baptismate contra Donatistas*, cæteros etiam editos

con-

contra Parmenianum, duos Basilii *de Baptismate*, Tractatum Divi Ambrosii *de Initiandis*, Homiliam Divi Chrysostomi octogesimam tertiam *in Matthæum*, Epistolas Paciani, atque Tractatus *de Baptismate*, Sermones Divi Gaudentii, Epistolam Divi Fulgentii *ad Ferrandum* de baptismo Æthyopis morientis, Tractatum Tertulliani *de Pœnitentia*, Fulgentium *de Remissione Peccatorum*, & Catecheses Cyrilli Jerosolymitani de Eucharistia.

Ad Ecclesiam vero quod attinet, Cyprianum adeat *de Unitate Ecclesiæ*, omnes pene ejusdem Patris Epistolas, & quidquid reliquum est Augustini, Optati, aliorumque Patrum contra Donatistas, & Græcos, una cum Irenæi, Tertulliani, & Vincentii Lirinensis operibus ad defendendas Traditiones.

Præter hosce Patrum Tractatus alii plures extant adinstar præludii, & præfationis universo Theologiæ curriculo, cujus specimen quoddam hactenus exhibuimus.

Eorum in numero sunt Libri *de Præparatione*, & *Demonstratione Evangelica* auctore Eusebio Cæsareensi, quibus addendi Tractatus D. Augustini *de Vera Religione*, *de Moribus Ecclesiæ*, *de Catechizandis Rudibus*, *de Fide Rerum Invisibilium*, *de Fide*, *&* *bonis Operibus*, *de Utilitate credendi*, *Enchyridion ad Laurentium*, ac Liber D. Fulgentii *de Fide ad Petrum*, qui quatuor continet regulas permagni hac in re momenti.

Purissimi sunt hi, atque genuini Theologiæ fon-

fontes, quibus accedent veterum Symbolorum expositiones, quas Ecclesiæ Patres, ac præsertim Augustinus, & Ruffinus Aquilejensis perfecerunt.

Non inutile fuerit eodem ordine legere Africanorum Præsulum Fidei professiones, Gregorii etiam Thaumaturgi, & quotquot extant in Conciliorum Collectionibus; haberi enim debent veluti totidem amplificationes, sive expositiones Symboli ab universi orbis Ecclesiis accepti.

Ut tamen contrariis contraria lucescant, legendæ quoque sunt Confessiones Fidei veterum Hæreticorum collectæ a Doctissimo *Garnier* Societatis Scriptore in suis ad Marium Mercatorem, quas amplissima eruditione locupletavit, Annotationibus.

Hisce Fidei Confessionibus Hæreticorum accedent eorum Retractationes, præ cæteris illa, quam exhibuit Monachus Leporius, quæ extat in Sirmundi operibus. Utinam integram id genus operum collectionem haberemus; aptissima quippe sunt ad detegendam Hæreticorum indolem, eosque ex proprio ore judicandos, & malæ fidei revincendos.

Magnum quoque nobis afferrent subsidium contra pervicaces Sectarios cætera eorum scripta, si præ manibus haberentur, ad bene multas enucleandas difficultates apud Patres, quæ ut certius finiantur, omni ex parte sunt inspiciendæ. Verum a Sectariis tantopere abhorruit quavis ætate Ecclesia, ut propterea nulla

nulla fere eorum scripta reliqua sint. Ex innumeris Origenis operibus si pauca excipias, quæ Latini servarunt, nihil pene ad nos pervenit integrum, absolutumque: etenim Græci despicientes quidquid hæreseos suspicione laborabat, Codices autographos vel suppresserunt, vel neglexerunt omnino.

Quo abierunt opera Gnosticorum, Manichæorum, Arianorum, Nestorianorum, Eutychianorum, & Pelagianorum, qui sese universi orbis Doctores jactitabant? Ea omnia [exceptis aliquot Homiliis Nestorii, antiquos inter Hæreticos præcipui, quæ in Catholicorum Scriptorum monumenta irrepserunt] ea, inquam, omnia quasi evanuerunt, & a Fidelibus contemta, quod iis persuasum esset a vera Scientia deficere, quisquis a Fide deflectit, atque Hæreticorum Scripta pro rudium, stultorumque hominum lucubrationibus habendas esse. Hoc significare voluisse videtur Irenæus, quum libris suis contra Hæreses nomen dedit *Detectionis, & Eversionis falso cognominatæ Agnitionis*: indigitans hoc titulo aptiorem Pseudo Doctorum notam, quos refellendos suscipiebat.

Neque vero satis est legenti Patrem ejus adversariorum scripta evolvere; consulendi sunt præterea ad unumquenque Tractatum cæteri ejusdem Tractatus, immo aliorum etiam Patrum opera, quibus propositum Dogma, atque vocabula ad illud pertinentia explicantur. Ita si Athanasium, vel alium quemvis Græcum Patrem de ineffabili Trinitatis Mysterio

sterio legere velim, Gregorium adibo Nyssenum, qui de significatione agit, & vi verborum, quibus Græci usi sunt ad enodandam, ut fieri potest, Ecclesiæ de tanto, tamque augusto Mysterio Doctrinam.

Verum qui religionis Dogmata addiscit, a Patribus Historiam inprimis Hæreseon iis Dogmatis adversantium perquirat, oportet. Quade re fuse differunt Irenæus, Epiphanius, Theodoretus, & Augustinus. Circumspectione nonnunquam utendum erga illos, ac potissimum erga Epiphanium, qui sane non omnino est accuratus; ac demum præsto sunt Recentiores, qui res historicas perfectius distinxerunt; qui enim perfecte non cognito quæstionis statu, controversiis se se immiscet, post multos labores paucissimos faciet progressus.

CAPUT XI.

De regulis Gritices servandis in lectione Patrum, Fidei Dogmata exponentium.

QUi Ecclesiæ Patris Tractatum de aliquo Fidei Dogmate legere aggreditur, exploret inprimis oportet, num ab eo conscriptum esse certa fide constet, ne forte fortuna unum pro altero sumens Auctorem, falsam illi nullo jure doctrinam adscribat, vel etiam

Catholicam, quæ illius ætate nondum finita foret.

Hoc fere modo dignosci facile potest, Symbolum sub Damasi nomine circumferri solitum, ejus opus haudquaquam esse, quum in eo legatur, Spiritum Sanctum a Patre, Filioque procedere, quæ res licet verissima sit, attamen Damasi temporibus nondum communibus Fidei Confessionibus inseri consueverat. (13)

Eadem ratione conjiciunt eruditi, *Opus Imperfectum in D. Matthæum* Johanni Chrysostomo diu falso adscriptum fuisse, ne dicere fas sit, Chrysostomum, una cum Arianis docuisse Spiritum Sanctum Ministrum Filii Dei, atque Doctrinam de Consubstantialitate Hæreticam esse, quod veritati vehementer repugnat. (14)

Profecto nisi adhibeatur critice in lectione Patrum, plura eis opera immerito adscriben-

[13] Illud Symbolum editum fuit inter opera Divi Gregorii Nazianzeni; nonnihil etiam invenitur apud Augustinum Serm. 235., quod argumento est, illud Symbolum ex variis SS. Patrum operibus conflatum fuisse post tempora Damasi.

[14] Hanc quidem rationem adducunt Viri eruditi, ut *Opus Imperfectum in Divum Matthæum* Chrysostomo falso adscriptum ostendant. Quia tamen Sixtus Senensis, Savilius, & alii eam eludunt, reponentes id genus sententias a Sectariis intrusas fuisse, malim alias adducere rationes; puta, quod Auctor illius operis Vulgata interpretatione latina utatur; quod Libros apocryphos proferat, ut Librum *Seth*, *Ezechiæ*, *Itinerarium Clementis* &c., quæ quidem ab usu Chrysostomi quam longissime distant.

bentur, quanquam illis fortasse non indigna, vel etiam supponentur alia non sine summo eorum dedecore, atque infamia. Tractatus ex. gr. *de Spectaculis*, *de Pudicitia*, *ac de Singularitate Clericorum* vetustissima sunt, atque utilissima monumenta, quæ (si excipias stylum) Divo Cypriano sine injuria assignare possis: secus vero, si Tractatum *de Monte Sion*, *& Sina*, Tractatum *de Cæna*, aliosque nonnullos, qui nihil continent tanti Patris ingenio dignum, ipsi adscribere velis.

Neque vero satis esse putandum in lectione Patrum expendere, num hæc, vel illa opera eorum fœtus jure dicantur; observandum insuper, num singularibus quibusdam præclare gestis in Ecclesia sint commendandi. Quantumvis enim *Patris* nomine antiqui generatim Ecclesiastici Scriptores donentur, non omnes tamen æquales, & pari laude digni censendi; sed quemadmodum in Cœlis Stella differt a Stella in magnitudine, & claritate, ita præstantissimi illi Viri differunt sæpe numero inter se se.

Ubi difficilius aliquod antiquitatis caput ingenium Lectoris torqueat, æquum est, ut antiqui recentioribus testibus anteponantur, atque a sæculo ad sæculum, ab ætate ad ætatem conscendamus, usque dum rei quæsitæ fons, & origo aperiatur. Itaque si lubeat explorare, quænam fuerit quavis ætate Ecclesiæ Fides de Baptismate Hæreticorum, consistendum non erit in Cypriano, licet perantiquo,

ſed altius res repetunda ; & exquirendum præcedentibus ſæculis , num in Eccleſiis Africana antiquioribus, cujuſmodi eæ ſunt , quæ in Græcia ab Apoſtolis , vel Viris Apoſtolicis inſtitutæ fuerunt , num , inquam , Traditio , quam Cyprianus obtendit , altior non ſit , atque vetuſtior pro contraria ſententia . (15)

Præterea quum aliqua Doctrinæ quæſtio funditus inveſtigari debet , recta ratione duce Patres , qui Theologos magis , quam Oratores agunt , vel Philoſophos , præ cæteris ſunt conſulendi . Quamobrem in altioris Theologiæ concertationibus adprime cavendum , ne Arnobius , Lactantius , Clemens Alexandrinus , aliique Auguſtino præferantur , neve ejuſdem Auguſtini Sermones , in quibus leviter ſolummodo perſtringit quæſtiones , anteponantur Tractatibus Polemicis , ubi acute , ſapienterque res dubias ſolvit , & difficultates enodat .

Conſentaneum etiam fuerit illos deligere , qui toto vitæ ſuæ tempore in Eccleſiæ Fide ſtrenue , conſtanterque ſteterunt ; præ aliis , qui vel nutarunt quandoque , vel in turpiſſimos demum

mum

[15] Ad defendendam opinionem ſuam Cyprianus , non tam Traditione , quam Scripturis Sanctis , & ratione nitebatur . Optime enim norat , Traditionem Stephano magis , quam ſibi favere ; non enim altius , quam ab Agrippino ſententiæ ſuæ Traditionem repetebat Cyprianus ; quum D. Stephanus univerſam proferret antiquitatem . Quamobrem Cyprianus ad alia confugiebat præſidia , reponens interim Divo Stephano de antiqua illa Traditione : „ conſuetudo ſine veritate vetuſtas erroris eſt .

mum errores abierunt. Iccirco quamvis multa laude digni habeantur Tertullianus, & Origenes; quoniam tamen paullatim fracti turpiter defecerunt, indeque in bonis etiam, & laudabilibus rebus auctoritatem labefactarunt suam, non injuria quis Patres illis anteponet, qui licet claritate nominis minus celebres, in Fide tamen toto vitæ spatio constantes perseverarunt. (16)

Quum in controversias incidit Lector, quæstionis inprimis statum ab origine expendat, oportet, ac omnes ejus partes, & adjuncta exploret; accurate insuper inquirat, quæ fuerint disputantium momenta, quibus causis ad disputandum impulsi, quibusve præjudiciis imbuti fuerint. Denique singulis eorum vestigiis insistat, neque illos e conspectu abire sinat in conficiendo itinere, ubi maximum subest errandi periculum. Qui enim *Anathematismos* Cyrilli Alexandrini, & Responsa Theodoreti inconsiderate legeret, utranque partem commisceret facillime, præsertim quum magna utrinque subtilita-

(16) Quæ scribit hoc loco Auctor operis, non adeo certa sunt, ut nullus omnino supersit dubitandi locus. Quis enim neget, auctoritatem v. g. Tertulliani, ad ostendendam Fidem Ecclesiæ secundi sæculi, plurimum conducere? Immo vero nulla melius ratione, quam illius etiam ad Montanistas lapsi auctoritate confirmari posse videtur quorunda Fidei Dogmatum veritas; neque enim reponere possunt Sectarii, eum defendendæ opinionis suæ studio obcæcatum. Cæterum in præponenda quorundam Patrum auctoritate tot, ac tanta sunt expendenda, ut ea in re universalem regulam statuere difficillimum sit.

litate res pertractentur : tum etiam Theodoretus a præjudiciis sane non vacuus, sincere, ac bona fide, simul ac erudite, acriterque disceptaret.

Nihil fere magis de duobus controversiarum Scriptoribus judicium impedire solet, quam quum illi ad eandem veritatis assecutionem contendentes, iisdenque principiis nitentes, acriorem de abstractis quibusdam ideis, atque loquendi formulis metaphysicis disceptationem instituunt. Etenim par utrinque subtilitatum genus adhibentes, ægre admodum, difficillimeque inter se conciliari possunt. (17)

Intuendum qua ætate proposita quæstio primum excitata sit. Fuerunt enim tempora, quibus Doctores de nonnullis Religionis Mysteriis obscure prorsus, imperfecteque dixerunt, quod sane illustrioribus ævis æquo animo ferri non posset. Equidem una semper fuit, eademque Fides, sed non eadem semper vi, & claritate expressa, præsertim vero tribus primis Ecclesiæ sæculis.

Justinus Martyr, Athenagoras, Tatianus, Theophilus, Irenæus, Clemens Papa, Clemens Alexandrinus, Dionysius item Alexandrinus, Origenes, Gregorius Thaumaturgus, Methodius,

[17] Exemplo est acerrima controversia inter Occidentales, quorum Princeps Damasus Summus Pontifex, & Basilium una cum Orientalibus Episcopis, de usu vocis *Hypostheseos*; quum enim de re utrique convenirent, propter variam tamen illius vocis intelligentiam, acerrimam pugnam commisere.

dius, Lucianus, Tertullianus, atque Lactantius, etsi Trinitatis Mysterium probe crederent, de eo tamen imperfecte admodum scripsere.

Tunc temporis *Naturam* inter, & *Personam* in hujus Theologiæ expositione parum omnino discriminis in loquendi modo ponebant, adeoque non attenta proprietate verborum, utrunque promiscue usurpabant: hanc ob caussam redarguitur Clemens Alexandrinus, quasi crediderit, naturam Filii a natura Patris differre.

Hinc Facundus, quum defenderet Eustachium Antiochenum, cujus loquendi usus Nestoriano errori favere videbatur, inquit apposite, hujus Antistitis Doctrinam condemnandam non esse propter ejus verborum vitium, quod benigne potius præterire debemus; quum enim Eustachius iis temporibus scriberet, quibus Nestorii Hæresis nondum nata erat, ab illius sophismatis sibi non præcavendum existimabat.

Non modo temporum ratio haberi debet, verum etiam locorum, in quibus quæstiones agitatæ fuerunt. Altercationes olim habitæ Ægyptiacas inter, ac Orientales Ecclesias, ex diversis, quos Ægyptii, & Orientales usurpabant, loquendi modis originem duxerunt: hi enim, ut erudite notat in sua Bibliotheca Dupinus, ad stabiliendam potius duplicis in Christo naturæ distinctionem, quam intimam

earum unionem : Ægyptii vero ad unionem potius, quam distinctionem incubuere.

Denique sedulo inquirendum quibus Philosophiæ principiis uterentur ad exponenda Fidei Dogmata. Trium priorum sæculorum Patres ex Platonis Sententia, & vocabulis, de rebus divinis plerunque differebant „ unde „ nonnulli Novatores improba temeritate an„ sam arripuere dicendi, priorum sæculorum „ Ecclesiam Fidem coluisse æqualitati, distin„ ctioni, & coæternitati personarum contra„ riam; addentes impudentissime, antiquos Pa„ tres in ea Sententia versatos, qua Verbum „ Divinum ad Creationem usque Mundi perfe„ ctum non fuisse, crederent: scilicet tunc so„ lum temporis effusam in eum Sapientiam, qua „ perfecte existit, antea vero sicut in semine „ germen latuisse in sinu Patris.

„ Verum, (ut alia occasione scribit doctis„ simus quidam Theologus) hisce cavillatio„ nibus id unum ostenditur, duplex adhibuis„ se Patres Ecclesiæ loquendi genus, aliud Phi„ losophorum, aliud Theologorum; quum „ agerent Theologos, Philosophiæ parum sol„ licitos, quod in Mysterio ordinem natura „ superiorem contemplarentur; quum vero „ Philosophos, parumper supersedisse a My„ steriis, quod probe nossent, Philosophicos „ ejusmodi sermones solo naturæ ordine conti„ neri. Philosophiam, & Theologiam specta„ runt, veluti duas diversas classes, quibus „ nihil commune foret, atque adeo tanta in lo-

Defens. de la Perpet. de la Foy L. 7. C. 4.

„ loquendo circumspectione opus non esse, „ putarunt, nihil veriti, ea, quæ tanquam „ Philosophi proferebant, Theologicis opponi „ posse Mysteriis.

Equidem si solis quorundam veterum Patrum verbis de Trinitatis Mysterio stare libeat, suspicari quis posset, eos Platonicorum Sectam in Theologiam Christianam invehere voluisse, ac quæ a nobis Mysteria vocantur, aliud non esse, quam Platonicas subtilitates aliquibus Religionis Christianæ principiis innixas. Immo jure quodam dici posse videretur, Judæos Hellenistas, Platonica Philosophia imbutos ejus semina primorum Fidelium mentibus injecisse, quæ Patres deinde collegerint, excoluerintque. Verum si animo advertas, quo ex fonte Doctrinam suam utut imperfectam hauserit Plato, nimirum aliqua saltem parte ex Theologia Moysis, qua ab Ægypti Sapientibus nonnihil eruditus fuerat, etiamsi eam funditus non percepisset, non secus ac Institutores sui, deponentur facillime præconceptæ opiniones fallaci hac ratione suffultæ.

Quum itaque Patres in exponendis Mysteriis Platonis vocibus usi sunt, haudquaquam in animo habuere novam Doctrinam immittere, levi, adeoque parum firmo fundamento innixam; sed quum Philosophia Platonica apud Gentiles ad Christum conversos in usu foret, convenientissimum videbatur illius vocabula adhibere ad exponendum Neophytis Trinitatis Mysterium, cujus rudem, & informem speciem ex corrup-

tis Gentilium traditionibus efformarant Philosophi.

Revera Plato, ejusque Discipuli aliquam sibi Trinitatis Imaginem effinxerant: etenim unum Deum esse putabant, summum, spiritalem, & invisibilem, quod *Ens* appellabant; post illud inferius *Ens* statuebant, dictum *Rationem*, præsentium, ac futurorum ducem, & universi Creatorem; tertium denique, quod *Spiritum*, seu Animam Mundi vocabant.

Etsi quædam veritatis umbra doctrinam hanc sequi videatur, ita tamen a vera luce distat, ut aptiori nomine appellari non mereatur, quam omnium, quæ contra Sanctissimæ Trinitatis Mysterium exortæ sunt, Hæreseon fontis, & originis.

Non itaque de veterum Patrum Doctrina judicium dare oportet ex nonnullis vocibus a Platonicorum Philosophia depromtis, verum ex Traditione Ecclesiæ definiente verborum sensum, quæ licentiores homines in pravum contorquere possent, putantes ea a Patribus hoc solum fine adhibita, ut ingenii acumen ostenderent, amplioremque opinamentis suis auctoritatem compararent; quum e contrario Patres Ecclesiæ de Fidei Christianæ Mysteriis secundum Platonicorum methodum, & verba loquentes, hac solum mente id fecerint, ut Gentilium animos sibi conciliarent, eisque majori, qua poterant, perspicuitate proponerent; quæ cæteroquin benevolis auribus excipere detrectassent.

CAPUT

CAPUT XII.

Quomodo variorum hominum moribus, & ingenio se se accommodarent Ecclesiæ Patres in pertractandis Fidei Dogmatis.

ECclesiæ Patres quovis tempore, ac diligenter secernere consueverunt Fidei capita, quæ indiscriminatim Fidelibus, Judæis, & Gentilibus, ab iis, quæ solis Fidelibus proponi poterant. „ Priora cum pane communi *Meth. des Pèr.*
„ omnium cibo conferebant, posteriora vero *C. 9.*
„ cum panibus propositionis Sacerdotibus duntaxat destinatis. Appellabant illa lac puerorum, elementa Fidei, exteriorem Evangelii Doctrinam, ista vero cibum hominum perfectorum, Doctrinam interiorem, altiora, divinaque Mysteria, Evangelii decus, & gloriam.

Hac porro ratione coram omnibus de unitate Dei, summaque potestate differebant, de Creatione Mundi, de temporali Christi Jesu Nativitate, de illius Miraculis, Præceptis, Passione, Morte, Sepultura, de Resurrectione, Ascensu, & Gloria ad dexteram Patris.

Palam quoque, ac publice loquebantur de Eccle-

Ecclesia, de Remissione Peccatorum, Resurrectione Carnis, extremo Judicio, & Vita Æterna; quibus adde distinctionem proborum ab improbis Angelis, quo significarent Gentilibus, illorum Numina ex improbis Angelis, sive Dæmonibus constare, qui falsis eos Oraculis captos, suisque præstigiis circumventos ab adoratione, & cultu veri Dei avertebant.

Ea fere sunt, quæ Patres palam, & coram omnibus edicere solebant, recondita vero, sive arcana Religionis occultabant profanis hominibus; neminem iccirco eorum videre est, qui Mysteria Trinitatis, Incarnationis, Eucharistiæ, aliorumque Sacramentorum Paganis aperuerit. Altissimo hæc omnia premebant silentio, nec alius fortasse præter unum Justinum coram Paganis de Baptismate, & Eucharistia loquendi facultatem sibi adscivit; quod nonnisi necessitate compulsus fecit, ad repellendas videlicet accusationes, & calumnias a Christianæ Religionis hostibus confictas, qui perperam interpretabantur ea, quæ percipere, intelligereque non poterant.

Ritus etiam, & Cæremonias, quibus in administrandis Sacramentis utitur Ecclesia, aliosque pietatis, & Religionis actus, quos domi exercere Christiani consueverant, Patres Ecclesiæ Gentilibus omnino ignotos servabant, secundum Apostolorum consuetudinem, qui, ut notat *Schelstrate* contra *Ernest Tentzel*, quum ad Synagogas, & Templa convenirent, ut plurimum tamen privatas se in

ædes

ædes ad fractionem panis se recipiebant. Quanquam enim Apostoli de Sacramento Eucharistiæ multa simpliciter, aperteque dixerint, illud tamen adprime animadvertendum, solis Fidelibus inscripta fuisse illorum opera.

Tanta circumspectione utebantur Patres, ut Catechumenos Orationem Dominicam non edocerent, nisi paucis ante Baptismа diebus, ac nusquam eis scripto traderent Apostolorum Symbolum, vel aliud quodlibet in Ecclesia pervulgatum (18). Sozomenus celeberrimus *Hist. L. 1. Ch. 20.* quinti sæculi Historicus refert, quum animo proposuisset Historiæ suæ Symbolum Nicænum inserere, a piis Viris dissuasum fuisse, hanc præcipue ob causam, quod ista Catholicæ Fidei expositio a solis Sacerdotibus, atque Fidelibus legenda foret.

Iccirco Religionis nostræ Mysteria perquirenda non sunt in Patrum libris adversus Ethnicos, licet in illis arrepta occasione illustrarint nonnunquam cætera Christianæ Fidei capita, multa ex Philosophia, & profanis Literis congerentes, ut ea Gentilibus ex industria opponerent, qui se talibus Doctrinis excultos profitebantur.

Ve-

(18) Hieronymus, & Augustinus, quorum ætate eadem vigebat adhuc consuetudo non tradendi scripto Cathecumenis Symbolum Apostolorum, aliam tradunt ejusmodi consuetudinis causam; quod videlicet non in charta, aut atramento, sed in tabulis cordis carnalibus scribendum foret. Lege Hieron. Epist. 38. *ad Pammachium*, & Aug. Serm. 212. *de Trad. Symb.*

Verum contra Judæos disputantes, profanam hanc Scientiam minus adhibebant, utpote quod illam Judæi parvi omnino penderent, Apostolo teste *prima ad Corinthios*: *Judæi signa petunt, & Græci Sapientiam quærunt*. Quamobrem, inquit Divus Maximus, Deum pro variis utriusque Populi moribus dedisse Gentilium Apostolo Clavem Scientiæ, Judæorum autem Apostolo Clavem Potentiæ. „ Ambo Claves a Domino perceperunt, Scientiæ „ iste, ille Potentiæ.

Judæos vaticiniis præsertim, & Scripturarum promissionibus urgebant, ut evidenter ostenderent, totam Veterem Legem, & cuncta majorum suorum gesta totidem fuisse figuras, ac præsagitiones, quæ Christi Jesu adventum, ipsiusque Ecclesiam significarent.

Divus Justinus *contra Tryphonem* innumeris Scripturæ Sanctæ Oraculis Christum Dominum verum esse Messiam, demonstrat, sive Verbum Dei, quod apparuit Patriarchis, humanamque statuto tempore naturam assumsit, ac demum ad Humani Generis salutem natum est ex Virgine.

Tertullianus manifestissime probat, Legem Mosaicam, atque legales Cæremonias ad tempus solummodo institutas, & usque ad Christi Jesu adventum, qui vere Messias est a Judæis expectatus secundum Prophetarum vaticinia, quem tamen Judæi non cognoverunt, inepte miscentes, quæ dicit Scriptura de ejus Gloria in extremo adventu, cum iis, quæ in pri-

primo abjecta, & contemnenda videntur.

Eadem methodo utitur contra Judæos Cyprianus in suis *ad Quirinum Testimoniis*. Apertissime illis ostendit ex Scripturis, præsertim ex Veteri Testamento, eorum Legem ad certum duntaxat tempus latam fuisse, neque semper mansuram, atque Judæos olim repellendos adveniente Christo, novum Templum extruendum, nova Sacrificia, novum Sacerdotium, novamque Ecclesiam a Christo Servatore, qui est Sapientia, & Verbum Dei Humana Carne indutum, ad Genus Humanum a servitute peccati, æternaque morte redimendum. Hunc Redemptorem diu, multumque promissum, expectatumque ex Davidica Stirpe Bethleemi nasciturum, primum ejus adventum humilem futurum, obscurumque, a Judæis Cruci affigendum, tertia die resurrecturum, venturum denique in fine Mundi cum Majestate, & Gloria ad judicandum vivos, & mortuos.

Quum autem Patres erudirent Catechumenos, multa inprimis circumspectione utebantur, ac moderatione, tum ob Sanctitatem Mysteriorum, ne Gentilibus violanda exhiberentur, tum quia minus æquum videbatur Auditores infirmos tanto Doctrinæ, quæ illorum Fidei modum excedebat, pondere premere.

Pro vario Catechumenorum gradu præcepta illis, atque institutiones tradebantur. Origenes *contra Celsum* duos solum videtur agnoscere gradus. Recentiores vero quidam eruditi tres numerant: primo tempus illud, quo *Lib. 3.*

Ca-

Catechumenos adcenseri cupidos probabant Pastores, atque illorum animos, & corda scrutabantur, ut ait Augustinus, ac demum ea, quæ percipiendis Christianæ Fidei veritatibus obesse poterant, impedimenta removebant.

In secundo Catechumenorum gradu ii censebantur, qui quum Religione institui cœpissent, nondum exceperant Symbolum, ut purificarentur, sive ut baptizarentur.

Tertium denique gradum illi tenebant, qui quum omnibus Evangelii Præceptis obsequi statuissent, ab optimis propositis nunquam dimotum iri credebantur.

In hoc, ut ita dicam, tyrocinio duos, tresve annos impendere solebant, Christianæ interim Morum disciplinæ, ac Fidei rudimentis imbuebantur, quin Mysteriorum tamen expositionem audirent. Hæc enim iis duntaxat fiebat, qui ex numero competentium erant, seu, qui proximis Quadragesimæ diebus nomen dabant, ut Sacro Baptismate diebus Paschatis abluerentur: tunc enim primum exponebantur iis Mysteria, ac Cæremoniæ Baptismatis.

Ad hæc in promtu erant Ritualia, quæ legenda traderentur, quæque ut altiori mente reponerent, exscribebant: de hisce ritibus loquitur Cyrillus Jerosolymitanus in suis Catechesibus, ubi græcis vocibus συντάξει, & ἀποτάξει notat, Catechumenos nunc ad Orientem, nunc ad Occidentem se convertisse.

Primis diebus sermonem habebant ad competentes de gratia Baptismatis, & Pœnitentiæ, dein

dein de præcipuis Fidei Dogmatis, poſtmodum de unoquoque ſingillatim Chriſtianæ Fidei Capite, ac conſectariis, quæ ad defendenda Trinitatis, & Incarnationis Myſteria colligi poterant ex Symbolo: denique, quum, ut mos erat illis temporibus, proxime ad tria Sacramenta Baptiſmatis, Confirmationis, & Euchariſtiæ accedere deberent, Doctrina Sacramentorum, ac virtutibus neceſſariis ad illa digne, utiliterque ſuſcipienda funditus imbuebantur.

Qui præerant illis erudiendis, de hiſce omnibus perſpicue differebant; cunctas ad apicem Sacri Codicis metaphoras enucleabant, definiebantque, quo ſenſu hæ figuræ ſumendæ forent. Quum nihil verbis augerent, ſimpliciores adhibebant voces, aptioreſque ad enodanda Myſteria, miſſis ſubtilibus curioſorum cavillationibus, eas ſolummodo tractabant quæſtiones, quæ ex penu, ut ita dicam, & natura rerum, de quibus agitur, ſponte naſcuntur. *Meth. des Peres Ch. 4.*

Labente Octava Paſchatis Neophytos, ſive recens Baptizatos inſtruere pergebant. Divus Cyrillus Jeroſolymitanus in ſuis *Catecheſibus Myſtagogicis* magnopere inculcat votum renuntiandi Diabolo, Mundo, & Pompis ejus, quod in Baptiſmate nuncuparunt, eiuſque præſtantiam, & conſectaria commendat: memorat etiam, quæ jam dixerat de Sacramentis, illorum Doctrinam, & myſticas rationes majori, quam ante perſpicuitate, & verborum copia explanat.

Quum Chriſtianos informabant Ecclesiæ Pa-

tres, etiamsi præcipua Religionis Capita explicare curarent, ac Fidei veritates per partes accuratius, quam hodie fiat, expenderent, certos tamen sibi fines statuebant, quos nunquam fere prætergrederentur, neque immorabantur improborum hominum argumentis, quæ obtruderent ad illudendum potius, quam ad discendam, percipiendamque Christianam Religionem.

Altercationes ex humanæ mentis subtilitate profectas longius non persequebantur; Divus Augustinus respondens Consentio de præsenti Corporis Christi statu in Cœlo: „ Non ergo „ (inquit) & nos addamus inquirere, quod „ ille non addidit dicere, & de compendio, „ si placet, finita sit quæstio. Fortassis enim „ accepta occasione Sanguinis, urgebit nos „ molestior perscrutator.

Epist. 205. Nov. Edit.

Quum Sancti Patres de controversiis plerunque non agerent, nisi ad confutandas Hæreses sua ætate grassantes, omissis, quæ ante prodierant, vel prodire deinceps potuissent, iccirco ferendum non est de tota illorum Doctrina judicium ex Homiliis, quanquam inter illas extant nonnullæ, in quibus de altioribus Mysteriis, atque difficillimis quæstionibus Dogmatice disseruerunt.

Gregorius Nyssenus in Homiliis *de Nativitate, & Baptismate Christi*, Sanctus Leo Papa in Sermonibus contra Eutychetem, & Augustinus *de Verbis Apostoli* uberrimam scientiæ copiam produnt, plerunque tamen solam Mo-

rum

rum Doctrinam consectantur; si vero quid amplius dicunt, formulas adhibent, quibus tanquam velamentis reconditiores Mysteriorum sinus profanis Gentilium oculis subducunt: hinc crebro in illorum Sermonibus hæc verba reperies: *alloquimur fideles, capiunt initiati quæ dicimus*, aliaque similia, quibus notant arcanum, quod suspectis auditoribus aperire nolebant.

Illud etiam animadvertendum, Patres in instituendis Fidelibus simplicissime doctrinam exponere, neque multis argumentis firmare consuevisse, secundum communem sententiam, qua veritatibus ab Ecclesia propositis absque ulla ratiocinatione fidem ab imperitorum vulgo adhibendam existimatur, utpote qui Mysteria scrutari amplius non valeant.

Origenes, & Hilarius Christianum Populum, quod Trinitatis Doctrinam spectat, solis contentam esse debere Evangelii verbis affirmant; in hoc Mysterio de loquendi formulis cavillandum non esse docet Athanasius, neque curiosius investiganda, quæ scrutari non licet; adeout insulse putemus, humanæ mentis ambitu comprehendi posse, quod vim omnem superat, & rationem humanam; atque hanc præcipue ob causam, ut ait recentior Philosophus „ Christus Dominus, & Apostoli manifeste nobis non tradiderunt argumenta „ rationis, quibus veritates Fidei firmare „ solent Theologi, quia probe noscerent, ea

In Cels. L. 3. de Trin. L. 2.

Malebranche Entret. 11.

Viris

„ Viris perſpicacibus nota, ſimplicibus vera
„ inutilia eſſe futura.

Denique Patres cum Hæreticis diſputantes vela dabant, ac de Myſteriis aperte loquebantur, cuncta proferre opportunius exiſtimantes, ut veritatem ab errore, & calumnia ſartam, tectamque ſervarent: eo vel maxime, quod perſuaſum illis foret, hoc ſolum fine permitti Divina Providentia Hæreſes, ut explicatis Dogmatis, homines infirmi, atque nutantes in Fide roborentur cœleſtis luminis ope, quo Spiritus Dei ſuam illuſtrat Eccleſiam.

Quantuſcunque tamen fuerit Patrum conatus, non temere credendum eſt, ab iis de unaquaque re controverſa vel omnia dicta fuiſſe, quæ dici potuiſſent, vel ita perſpicue, ut verbis ſuis nihil addendum reliquerint, vel ita acuto fuiſſe ingenio, ut omnia, quæ temporis ſucceſſu colligi poterant conſectaria, præviderint; quis enim inficietur, multa iis, in æſtu præſertim diſputationis excidiſſe, quæ paulo accuratius exprimi potuiſſent; in delectu quoque argumentorum relictis ſæpe numero firmioribus adhibuiſſe ſubtiliora, uti mos erat veterum Philoſophorum, qui ad defendendas opiniones ſuas non probabilibus duntaxat, verum etiam ſophiſticis utebantur argumentis?

L. 7. c. 1. Defenſor operis *de Perpetuitate Fidei* de ſecunda Nicæna Synodo verba faciens, inquit appoſite: etiamſi Patres hujus Concilii, qui doctrinam de cultu Imaginum multis, firmiſque rationibus munierunt, alias quaſdam minus

minus accuratas non sustulerint, id tamen nequaquam obesse cæterarum firmitati, quæ ad stabiliendam Traditionem, quam Canonibus ipsi suis firmarunt, abunde sufficiunt.

„ Deinde (ut addit idem Auctor) omnia,
„ qualiacunque sint, argumenta indigent bona
„ fide, quum nullum vel purum, clarissimum-
„ que sit lumen, quod mala improborum ho-
„ minum fide obscurari, delerique non possit;
„ propterea quomodocunque nectantur con-
„ sectaria, ad suprema quædam principia, quæ
„ & probatione non egeant, & neminem ha-
„ beant dissentientem, omnia semper sunt re-
„ vocanda. Itaque in explicandis antiquis
„ Auctoribus nihil magis alienum est a recta
„ ratione, quam singula illorum argumenta
„ adamussim expendere velle.

Nonnulli denique nodi, qui apud Patres occurrunt, nec ex ratiocinationis imbecillitate, nec ex vocum obscuritate, sed ex rei, quam tractant, altitudine proficiscuntur, quod optime ostendit Augustinus in suis *contra Julianum* operibus. Et sane luderet ille, qui veteres Doctores ob ejusmodi difficultates molestius urgere vellet, & adversus eos argumenta desumeret ex sublimitate Doctrinæ, quæ major est, quam ut communibus modis percipiatur.

Immo plures etiam quæstiones data opera Patres prætermisere, ne alicujus sententiæ patroni ab Hæreticis haberentur, atque sponso-

res, in quas nec ipsi quidem Doctores Catholici conveniebant, sed eas solummodo vindicabant, & tuebantur, quæ generatim acceptæ, & ab universa Ecclesia probatæ erant; quam quidem optimam regulam, & normam in suis etiam Definitionibus Sacra Concilia quavis ætate servarunt.

CAPUT XIII.

De loquendi modis, de vocibus, atque figuris, quas Ecclesiæ Patres adhibent in exponendis Fidei Dogmatibus.

IN lectione Patrum Ecclesiæ summa opus est, æquissimaque ratione; quum enim apud eos nonnulla occurrunt loca perspicua, alia vero subobscura, non ex obscuris clara, sed ex claris obscura sunt exponenda. Quinimmo etiamsi unum solummodo perspicuum haberetur testimonium, ex illo cætera omnia explicanda forent, præcipue si Auctoris sui doctrinæ basis esset, ac fundamentum.

Quam potiori igitur ratione cavendum, ne plura evidentia ex uno obscuro, involutoque explanentur? Eapropter gravissime conqueritur Ruffinus, se ab adversariis immerito erroris accusatum, quod transferens *Principia* Origenis, locum incaute reliquisset, ubi vetus iste Theologus negare videbatur Patrem videri

videri a Filio Dei, quum alibi sexcentis in locis erratum illud aperte, constantissimeque refellat.

Jam dudum scriptum reliquit Tertullianus: *De Pudicit. Cap. 16.*
„ hoc sollemne perversis, & idiotis, & Hæ-
„ reticis alicujus Capituli ancipitis occasione
„ adversus exercitum sententiarum instrumenti
„ totius armari.

Gregorio Nysseno, qui sæpe legerat Origenem, nonnulla in Sermonibus quandoque exciderunt, quæ prisci illius Scriptoris erroribus conspersa videntur: non sine maxima tamen injuria Antistiti Catholico errores tribuerentur Scriptoris, quem ille labentem solertissime vitavit, deseruitque.

Divus Augustinus irridet Julianum, qui defensore gloriabatur Chrysostomo, ea ratione fretus, quod satis alicubi non expressisset, quæ tamen alias adeo perspicue exposuerat, ut Julianum prorsus obrueret. „ Quid te adju- *Lib. 1. contra Jul.*
„ vit (inquit) quod Johannis Constantino-
„ poli, tanquam tibi suffragetur, testimonium
„ posuisti? An ut unum verbum quasi ab eo
„ prætermissum, velut acuta calliditate cap-
„ tares, & tot verborum ejus, quibus obrue-
„ ris, tam ingentem tibi aggerem commo-
„ veres?

Recta etiam ratio vetat, ne ex variis huc, illucque per Patrum opera dispersis locis de illorum mente feratur sententia; alioquin idem Pater secum ipse interdum pugnaret, quum eadem res diversis sæpe modis pro va-

riis rerum, ac temporum circumstantiis proponi possit. Praeterea nulla lege sancitum est, ut una semper, eademque servetur accuratio, extraneis praesertim locis, alienisque prorsus a natura Fidei, quae alibi certis rationibus munita est, atque firmata.

Expendendum proprio loco unumquodque testimonium, ac punctum, ut ita dicam, ad quod omnes lineae diriguntur, attentius est inspiciendum; haec qui non caveat, totam forte Auctoris mentem, doctrinamque turbabit, ejusque verborum, ac sententiarum ordinem miscebit, quo fere pacto nominis alicujus literae mutantur, ut aliud quidquid libuerit; significent.

Adnotandum praeterea, Ecclesiae Patres, quum de rebus agunt jam explicitis, certissimisque, non eadem uti diligentia, qua solent in dubiis, atque controversis. Posteaquam in Concilio Nicaeno perculsa, & prostrata fuit Arianorum Haeresis, quum non metuerent amplius, ne verba in quaestionibus mox finitis adhibita pravum detorquerentur in sensum, Patres Graeci loquentes de Filio Dei vocabula *Mediatoris*, *Ministri*, & *Instrumenti* libere usurparunt, quae antequam Ecclesiae Decreto Catholicum transferrentur in sensum, aspera nimis, & ambigua attentissimis Christi gregis Pastoribus visa fuissent.

Non Doctrina ex Patrum verbis aliquando imperfectis, sed verba potius ex Doctrina illorum temporibus generatim accepta expendenda

denda sunt. Qui vocem *Hyposthaseos* sumeret pro *Persona*, non modo Antenicænorum, verum etiam, qui Nicenæ Synodo interfuerunt, Ecclesiæ Patrum Fidem everteret, quum non ad *Personam*, sed ad *Substantiam* exprimendam *Hyposthaseos* nomen usurparint, ut bene notat tomo secundo Dogmatum Theologicorum Petavius. „ Vox *Hyposthasis* (inquit) non mo„ do ante Concilium Nicænum, sed ab ipsis „ quidem Nicænis Patribus aliter fere accepta „ est, quam pro Οὐσία, & Substantia, minime „ vero pro Persona, & proprietate διακριτικῇ, „ ac numerum faciente.

In nonnullis vocibus usurpandis minus quandoque Patres ad propriam, communemque significationem, quam ad notionem ab adversariis subjunctam, cum quibus disputant, animum intendunt. Hinc ortum habuit maxima, quæ in disputationibus præsertim Cyrilli Alexandrini contra Nestorium, ejusque sectatores offusa est obscuritas, atque caligo.

Neque vero ad obscura duntaxat loca, verum etiam clariora illustranda rei expressæ cognitio in auxilium vocari debet: fieri quippe nequit, ut disertissimi etiam Viri tanta vi, tantaque perspicuitate animi sui sensus exprimant, quanta opus est ad illos perfecte, cumulateque percipiendos.

Quotiescunque una, eademque vox duplicem habet significationem, generalem unam, singularem alteram, tum facta in primis cum Auctoris mente comparatione, illam procul

dubio

dubio amplecti debemus, quæ cum præcipuo ejus fine cohæret.

Lib. 7. Cap. 2. Notat Defensor operis *de Perpetuitate Fidei*, „ quum eidem vocabulo duplex subjecta est „ notio, quarum altera conveniat, altera „ pugnet cum aliquo Dogmate, fieri posse, ut „ altera ex illis significationibus obsolescat, „ si nimirum id, quod in hoc Dogmate præ„ cipuum est, satis non indicet, eique quod „ propria non sit, & unica, aliarum notio„ num subsidio suppleri possit: sic data Ca„ tholicorum hypothesi de Eucharistiæ My„ sterio, vox *Imaginis*, quum opponatur præ„ sentiæ reali, eamque excludat, ac eidem „ altera significatione conveniat, fieri potest, „ & consentaneum adprime erat, ut ejusmodi „ vox paullatim antiquaretur, quum de Eu„ charistia differendum esset, eo nimirum sen„ su, qui cum præsentia reali non convenit; „ ita ut Eucharistia signum, vel imago non „ diceretur amplius, iisque vocibus ad ean„ dem rem exprimendam aliæ sufficerentur, „ quæ pravo sensui obnoxiæ nequaquam „ forent.

„ Quum vero vocabulum simpliciter, ac „ secundum naturam exprimit Mysterii veri„ tatem: adeo ut omnibus quæcunque adhi„ beantur metaphoricæ locutiones sit subin„ telligendum: neque aliud par, tamque ad „ significandum accommodatum in tota Lingua „ reperitur, fieri haudquaquam potest, ut ob„ solescat. Ita vox *Deus*, quum ita proprie,

&

„ & secundum naturam conveniat Christo Ser-
„ vatori, ut sublata hac voce, quid vere sit
„ Christus Jesus intelligi nequeat, nullo un-
„ quam tempore dici poterit, Christum Jesum
„ non esse Deum, nisi eliminetur una Dog-
„ ma de ejus Divinitate, quod nunquam
„ continget.

Quum Patrum verba proprio sensu, & obvio Catholica, in pravum tamen Hæreticorum contorqueri possunt, tunc in malam partem accipi non debent, sed ea potius significatione, quæ prior menti nostræ se offert, exponi.

Similiter quum figuratis vocibus utuntur, ex simplici figuratus sermo, non autem simplex ex figurato est interpretandus; præsertim, quum figuratus a consuetis, & naturalibus loquendi modis recedens, nisi ad communem formam revocetur, deprehendi non possit: „ ex communi hominum consuetudine *Id. ibid. C. 5.*
„ locutioni quidem figuratæ simplex supponi,
„ simplici autem figurata sine injuria non
„ potest; exemplo est *Petra Deserti*, quæ, quum
„ significaret Christum Jesum, non est tamen
„ Christus Jesus, nec nisi mentecaptus dicere
„ contra posset, Petra est Christus Jesus, at
„ Christum Jesum non significat.

„ Hoc differunt simplices, & metaphoricæ
„ locutiones, quod simplices unam compre- *Id. ibid. L. 6. C. 11.*
„ hendant ideam, metaphoricæ autem duas,
„ totidemque menti repræsentant. Objiciunt
„ enim menti & rem, ad quam significan-
dam

„ dam adhibentur, & imaginem uno, eodem„ que tempore, qua res ſignificatur: ex hiſce „ ideis altera rei naturalis eſt, & aliena vo„ cabulo, altera naturalis vocabulo, & aliena „ rei ſignificatæ.

„ Conſuetudine loquendi metaphoricè „ ita quandoque obſcuratur hæc duplex „ idea, ut nihil amplius menti, quam „ rei ſignificatæ, cognitæque obverſetur ima„ go: at tunc non metaphorica dici debet, „ quum omni careat metaphoræ vi, & ve„ nuſtate, ſed potius ambigua; varias notio„ nes habens pro varia occaſione. Perraro ta„ men contingit, talem eſſe, tamque repetitam „ alicujus vocis metaphoram, ut vox ipſa „ obvium ſenſum non amplius objiciat, ac „ propriæ velut vocis locum teneat; maxime „ vero, ſi ejus generis ſit metaphora, quæ „ non in uno ſolum, ſed pluribus verbis, „ multiſque, & continuatis allegoriis con„ ſiſtat.

Patres Eccleſiæ exemplo Chriſti Domini, ejuſque Apoſtolorum uſurpant ſæpe allegorias, & parabolas, ſive figuras, quæ rerum imaginem ita ob oculos ponunt, ut veritas, quam continent, non percepta imagine intelligi nullo modo poſſit. Etenim allegoria nihil proprie eſt, niſi metaphoræ continuatio; atque ſicuti vox metaphorica dicitur, quæ ad aliud ſignificandum adhibetur, quam quod ſuapte natura ſignificat; ita allegoricus ſermo vocatur, in quo multæ res exprimuntur vocibus, quæ ad

illas

illas significandas proprie adhiberi non solent; „ adeo ut allegoriæ (quemadmodum inquit eruditus quidam Auctor) obscuriores multo „ esse debeant, quam metaphoræ: si enim vel „ una vox ad alienam notionem translata „ obscuritatem parit, quanto major erit obscuritas, quum integra oratio verbis componitur, aliud omnino significantibus, quam, „ quod ex primæva hominum institutione „ significare deberent. *Meth. des Peres c. 10.*

„ *Synecdoches* etiam antiquis Ecclesiæ Patribus admodum familiaris est: hæc figura „ non rem ab altera denominat, ut metaphora, sed totam rem ab alterutra, ac sæpe „ minima ejus parte: at quemadmodum partem adhibet quandoque nobiliorem, duobus „ iccirco modis, iisque omnino diversis sumitur; quum enim nobiliorem partem usurpat, perspicuum est, rem totam ea deprimi: „ hinc Clemens Alexandrinus explicans quibus modis occultari possent Mysteria, ajebat, „ nullum esse tutiorem, quam usum *Synecdoches*; si enim, inquit, qui ea ignorat, fallitur, qui novit, certe non fallitur. *Id. ibid.*

„ Ad assequendam Scripturæ intelligentiam „ Sancti Patres principio ponendum admonent, Synecdoches nunc ad perstringenda, „ nunc ad occulenda Mysteria adhiberi: atque „ ii Patres, qui Scripturam imitati sunt, hanc „ figuram toties usurparunt, ut mirum profecto sit, post tot apertissimas eorum declarationes non deesse homines adeo pertina- *Id. ibid.*

,, ces, ut eorum loca, in quibus de myste-
,, riis funditus, & fuse tractarunt, ex aliis
,, explicare velint; in quibus ad perstringen-
,, das, vel occulendas Paganis, & Catechu-
,, menis veritates, quas illorum mens, & co-
,, gitatio capere non posset, de iisdem myste-
,, riis per hanc figuram differuerunt.

Occurrit etiam apud Patres multis in locis transpositio quædam verborum *Hyperbaten* dicta; immo etiam integræ orationes; quarum series adeo interrupta est; ut nulla prorsus esse videatur, quod dicitur *Anacoluthe*; parum attentis hisce figuris in lectione Patrum Sectarii eorum testimoniis involutis, figuratisque abusi sæpe sunt.

Hyperbates, & *Anacoluthes* usus præsertim apud Patres Antenicænos, qua ætate plura celanda erant Mysteria, creberrimus est, adeo ut nulla in eorum Sermonibus structura, nulla inesse ratiocinationibus ordinis, & collationis cura videatur. Scitaberis fortasse, inquit D. Clemens Alexandrinus, cur Commentarios nullo ordine servato scripserim? Nimirum veræ Philosophiæ arcana iis vulgare, qui omnia audacter, & temere convellenda suscipiunt, res est periculo plena.

Strom. 1., & 6.

Quod comparationes attinet Ecclesiæ Patribus valde sollemnes, quum non omnes omni ex parte adequatæ fieri possint, iniquus certe foret, qui ea solum parte, qua vitiosæ sunt, sumere vellet, ut contra ipsosmet Patres intorqueret; eo quippe fine institutæ sunt compa-

parationes, ut res obscuræ innotescant per clariores, non autem, ut omnibus sui partibus doctrinam, cui explicandæ inserviunt, sustineant, atque suffulciant.

„ Videtur nonnullis (inquit apposite Au„ ctor *Defensionis de Perpetuitate Fidei*) duarum „ simul rerum comparationem fieri non posse, „ nisi omnino pares sint, similesque: nulla „ tamen fere extat hujus generis comparatio; „ quum enim omnia, quæ in hac rerum uni„ versitate continentur, similis sint, atque „ dissimilis naturæ, institutæ comparationes, „ peculiari, qua fiunt, ratione finitæ, ac cir„ cumscriptæ sint oportet. „ Quum Theodorus Abucara Episcopus Cariæ, Saracenum Au- *Id. ibid. L.7.C.9.* gustissimo Eucharistiæ Sacramento instituens, inquit, Spiritum Sanctum in dona descendere, suoque Divinitatis afflatu Panem, & Vinum in Corpus, & Sanguinem Christi convertere, eadem ratione, qua stomachi ardore cibus in proprium cujusque corpus convertitur, quum, inquam, hæc loquitur, procul dubio ejus comparatio manca censeri debet, mutilaque: satis est nihilominus ad persuadendum, ut fieri poterat, huic Saraceno, quod explicandum susceperat.

Auctor operis *de Perpetuitate Fidei* merito, *Id. ibid. L.8.C.7.* & jure addit „ Patres hæreseos facillime con„ victum iri, si omnes illorum comparatio„ nes ita perfectæ, absolutæque crederentur „ ubique, ut res collatæ una simul extare „ deberent, atque deficere.

Qui

Qui ejusmodi annotationes ad intelligendos Ecclesiæ Patres adprime necessarias nosse cupiunt, eundem consulant Auctorem, qui de his tam erudite, venusteque disseruit, ut iste pulcherrimus omnium, præstantissimusque egregii illius operis locus dici possit.

Petavius etiam in opere *de Theologicis Dogmatibus* optimas tradit regulas, sine quibus Patrum doctrina investigari, ac nodi, quibus implicantur, præcipue in Trinitatis Mysterio solvi difficillime possent: nimis longa res foret, atque etiam intricata, quæ eruditissimus iste Doctor Societatis hac de re scripsit, concinne transferre, propter voces Theologicas, quæ in nostri sermonis usu non sunt: satis itaque fuerit monere Lectorem inter Petavii regulas eas, quæ Gratiam spectant, exponi capite quarto libri noni, tomo primo; cæteras, quæ Trinitatis Mysterium, capite octavo libri octavi, tomo secundo; demum, quæ ad operationes Jesu Christi attinent, duodecim regulas ex antiquis Patribus *de Idiomatum Communione* depromtas extare Capite sexto decimo libri quarti, Tractatu *de Incarnatione*; novemque alias Capite undecimo, & duodecimo libri octavi ejusdem Tractatus.

Cæterum, qui Scholastico pulveri assueverunt, caveant diligenter, ne de vocabulis antiquorum Patrum judicent ex vi, & amplitudine significationis, quam Schola vocibus ad usum suum excogitatis affinxit; atque istud est, quod probe notat Petavius loquens

de notionibus, quas Græci Patres appellant ἐπινοίας, vel ἐννοίας, vel ἐπιθεωρημένας ἐννοίας, vel νοήματα, vel ἐπιβολάς, quibus Latina vox *notio* respondere videtur, immo respondet certissime si non ex Scholasticorum, sed ex Patrum usu, quorum exempla refert Petavius, ejus significatio expendatur.

Præterea, qui singularem quæstionis disquisitionem aggreditur, ut accurate id faciat, nihil definiat oportet, quod antea probe, matureque expensum non fuerit, nec plura pronunciet, quam propositæ inquisitionis postulat amplitudo, in nullo doctrinæ capite plus quam par est, dubitationem afferat, injiciatque, quæstiones ne tenuiter nimium, exiliterque pertractet, judicium suum cohibeat, animumque occupari non sinat, Auctorum mentem probe dignoscat, nec alienum quidquam supponat, rem, de qua agitur, in tot distribuat partes, quot opportunas crediderit, non minutatim tamen, & perexigue, ordinem servet, a clarioribus, simplicioribusque ad obscuriora, & minus simplicia gradum faciens, de rebus justo subtilius, atque nasutius non dijudicet, neque ab implicatis ratiocinationibus illarum explicationem rerum nimis anxie repetat, quæ communi judicio dignosci possunt, & intelligi; qui enim in sublime tollitur, præcipiti lapsu sæpe ruit, disperitque, ac ea, quæ hominibus Philosophia minus utentibus nullum facessunt negotium, ab iis, qui

qui præter modum philosophantur, superari quandoque non possunt.

Quemadmodum in errore versantur, qui censent, absque subsidio Dialectices nihil percipi posse, sic hallucinantur, qui putant, omnia se assequi posse nullo præsidio instructi, ac sola mentis attentione, quo fere modo primæ notiones, & quædam Metaphysices axiomata innotescunt: ac sicuti multa utpote evidentia demonstratione non egent, adeoque obvio, quo primum se se offerunt, sensu sumenda sunt, ne infinitis cavillationibus via aperiatur, ita veritatibus etiam, licet subobscuris, modo satis demonstratæ, probatæque sint, tum jure, tum facto acquiescendum est: uno verbo, postulat bona, rectaque fides, ut nihil rejiciatur tanquam ἀδύνατον, etsi illius quandoque modus non detegatur, neque de verbis pervicaciter disputetur, ubi nulla superest de rebus dissensio.



CAPUT

CAPUT XIV.

De lectione Patrum Christianam Morum Doctrinam exponentium.

QUum de Religionis Dogmatis ut plurimum sermonem non instituerint Ecclesiæ Patres, nisi data occasione, de Morum tamen Doctrina semper, & ubique differuerunt, atque incredibili labore monere, arguere, orare, obsecrare, comminari, atque docere nunquam cessarunt: quæ quidem agendi ratio Christi Domini exemplo consona prorsus est, qui nedum altiora Theologiæ documenta Discipulis suis traderet, de iis nonnisi summa circumspectione loquebatur plerunque, atque ad institutionem præcipue, & regimen morum incumbebat. Hinc totum Evangelium aliud ferme non est, quam congeries, atque collectio axiomatum, quæ divina continent instituta ad majorem vitæ, morumque sanctitatem, & castimoniam coram Deo, & hominibus necessaria. A primo Ecclesiæ sæculo, licet exemplo potius, quam scriptis celebrare virtutes conarentur Patres, in lucem prodiere Tractatus de Morum Doctrina, ut *Liber Pastoris* adscriptus Hermæ, Epistolæ Sanctorum Clementis Papæ, Ignatii martyris, & Polycarpi.

Consequentibus ævis tot de Doctrina Morum opera a Patribus edita fuere, ut cæterorum, quæ ab ipsis exarata fuerant, copiam superarent, præter innumerabilia, eaque præstantissima Philosophiæ Christianæ loca, quæ veteres isti Scriptores Dogmaticis lectionibus inserebant, exemplo Apostolorum, qui ad Christianæ Morum disciplinæ institutionem incumbebant, dum Theologicorum Dogmatum fundamenta jacerent.

Veteres Philosophi, quanquam densissimis Gentilitatis tenebris sepulti, universam Philosophiam ad morum institutionem accommodabant. Socrates Græcorum sapientissimus Philosophiam Antiquorum, qui in vagas, atque inanes de naturæ, quos percipere non poterant, affectibus subtilitates abibant, ad Morum præcepta traduxerat: nobilior Platonicæ Philosophiæ pars in Morum Disciplina versatur; Aristoteles in Moralibus præstat, quam in Physicis, ac Metaphysicis: in Historia etiam Plinii animadversiones morales excellentiorem locum tenent; Academici Ciceronis Libri, quive *de Finibus*, atque *de Officiis* differunt, ad Mores pertinent; quanquam enim universæ Philosophiæ, ut inquit præstantissimus iste Orator, velut amplissimæ regionis, solum incultum non est, nec derelictum, sed usquequaque fœcundum, nullibi tamen ditior, atque feracior Philosophia, quam ubi regulas continet, & præcepta, quæ certam, constantemque vivendi normam præscribunt, moresque

que nostros ad honestatis, & virtutis leges componunt.

Demum quisquis vel leviter Græcos, Latinosve Philosophos antiquos versabit, dubitare non poterit, quin præcipua in eorum studiis fuerit mens mores instituere, atque moderari, qua re sublata, & Imperium, & Religionem sustolli necesse est. Patres Ecclesiæ, quum hæc optime perspecta haberent, caverunt quammaxime, ne Morum Doctrinam negligerent, ea præsertim ætate, qua Paganis ad Christi Fidem turmatim convenientibus, maxima opus erat in Morum negotio attentione: sicuti enim Religione morum sanctitas, ita morum sanctitate Religio defenditur; extra omnem quippe dubitationis aleam est, statim atque mores vitiari cœperunt, Religionem quoque nutare cœpisse, necnisi impellentibus Carne, & Sanguine inflatum spiritum contra Fidem Mysteriorum plerunque tumultuari.

In Dogmaticis Patrum Tractatibus difficultates quædam occurrunt, quibus solvendis non omnes se pares sentiunt: quæ vero de Disciplina Ecclesiastica graves illi Theologi scriptis mandarunt, magni quidem illa ponderis sunt, atque momenti, sed, ut colligantur, libera, otiosaque cessatione, & acriore ingenio opus est, quod paucis omnino conceditur; eorum in Scripturam Commentaria plurimum judicii postulant, atque laboris; in Morum autem Doctrina nemo unus est doctus,

vel indoctus, firmus, vel infirmus, qui aliquid progressus non faciat.

Quamlibet ingressus sit viam Lector, isthuc præstat ad Patres appellare, præsertim quum Morum non minus, quam Fidei Ecclesiæ depositarii sint, nec aliud faciendum proponant, quam quod ipsi ante fecerunt: etenim bene norunt, optimum eum non habendum in Morum Disciplina institutorem, qui fidissimus Christi Jesu in omnium virtutum exercitatione discipulus non fuerit. Gratia Servatoris, inquit Basilius, & Sacrarum Literarum studiis, ab erroribus humana traditione invectis gradum revocavi, & ad veritatis cognitionem, Divinique Amoris exercitationem perductus fui.

Hinc perspicuo liquet, quantopere fallantur, qui dicere audent, tenebras ab iis offundi, qui de Morum Doctrina consulunt Ecclesiæ Patres. Quid enim, amabo, ante natos recentiores Casuistas fieri solebat in Ecclesia? Nunquid universus terrarum orbis in ignoratione versabatur, atque caligine? minime gentium. Fortunatissimis illis temporibus, quibus Serpentis prudentia nondum vicerat simplicitatem Columbæ; quum primum nasceretur in re Morum controversia, illius solutio non a subtilitatibus Dialectices, non ab illecebris cupiditatis, non ab humanarum traditionum circuitionibus petebatur, sed singulæ Oves ad suum confugiebant Pastorem, Pastoresque singuli non aliam, quam Canonum, suæque

Ecclesiæ

Ecclesiæ Ritualium regulam sequebantur: quod si opus fuisset, res deferebatur ad Sedem Apostolicam, vel ad Concilia, quæ sententias ferebant a Deo, mediis Ecclesiasticis Traditionibus, Divinisque Scripturis acceptas.

Itaque risu excipi merentur, qui effutiunt, œconomiam Ecclesiæ ab illis turbari, atque pessundari, qui priscos adeunt fontes, quasi vero non eadem hodiernis temporibus lex vigeat Evangelii, quæ primis obtinebat Ecclesiæ sæculis, quum Patres Scripturis Sanctis enutriti, Fidelium animos moderarentur. Ecquid metuendum, si ferreis, sive potius fæculentis, ad quæ devenimus, sæculis aureæ Ecclesiæ ætatis methodus revocetur? Errat profecto, qui eam non sequitur: ac procul dubio ea Ecclesiæ mens est, ut si non in omnibus antiquæ Disciplinæ Capitibus, quæ obsoleverunt, in iis saltem, quæ immutabilem morum puritatem spectant, Majorum vestigiis insistamus.

Verum minus leviter, absurdeque opponi posset, Patrum opera tanto numero esse, tantaque amplitudine, ut vix, ac ne vix quidem ab iis colligi possint omnia Morum præcepta, atque principia. Revera quidem in hac monumentorum multitudine Doctrina Morum nec initium ullum, nec finem habere videtur, atque res omnium expeditissima foret ad recentiores casuum Expositores recurrere, qui suas ex ordine alphabetico decisiones exhibent.

Hæc ſane via omnium breviſſima eſt, atque facillima; nec ingenii facultatem poſtulat, neque judicium; eaque poſita non eſt, cur res funditus inveſtigentur, vel difficultatum ſolutio, ac enodatio a primis principiis repetatur. Verum quid cauſæ eſt, cur tanta feſtinatio adhibeatur, ut homines juvenili, & inculta adhuc ætate tribunal Eccleſiæ conſcendant? Annon ſatis foret, ſi in eo ſederent poſt multos, atque ſeniles etiam labores in Scripturarum, ac Sanctorum Patrum lectione impenſos, poſt diuturnas, firmiſſimaſque meditationes, quibus inter lepram, & lepram ſententiam ferre didiciſſent? Facilior res eſt, quam multis videatur; cui enim recta ratio, & ardens in Chriſtum Charitas hæret alta mente repoſita, is Eccleſiæ Patres aſſiduo labore verſans, illorum documenta ad pauca quædam univerſalia capita, e quibus rectiſſima, certiſſimaque conſectaria colliget, nullo negotio revocabit.

Et ſane ſicut ingens ille numerus mandatorum, quæ dedit olim Deus Populo Judaico, ad decem Capita revocatur, quæ ad duo maxima mandata Amoris Dei, & Proximi referuntur; ita univerſæ Patrum ſententiæ ad aliquas præcipuas, quæ tandem in unum deſinunt Amorem Dei, revocari poſſunt. Quippe amor Dei, ſi conſilia noſtra moderetur, & regat, cor, mentemque procul dubio illuſtrabit: ut enim inquit D. Leo, quiſquis hoc lumine illuſtratur, atque ſuccenditur, omnia legit in corde ſuo, quæ

Apo-

Apostoli, & Patres in Conciliorum Canonibus sanxerunt.

Qui ita comparatus est animo, nullo negotio vitabit insidias, cavillationesque ex nimio sui amore profectas, necnon mentales restrictiones a Tertulliano contra Marcionem primitibus jam sæculis condemnatas; tantum enim abest, inquit, ut fraudulentis hisce responsis fidem suam liberare quis possit, quin potius arctiori eam vinculo obfirmet, atque hujusmodi subterfugiis utens, omnium in se odium concitet, indignationemque.

Prisci Fideles uno Evangelii lumine ducti vel ipsam fraudis, atque mendacii speciem, metuebant, atque a pejerando tantum aberant, ut etiam, ubi necessitas postularet, jusjurandum dare formidarent; omnia bona dimittebant potius, quam judicio contenderent, omnemque furti speciem a se procul abigebant; usuram coloratis involucris tegere non studebant, sed palam, & omnino damnabant, nec æquo animo tulissent iis temporibus Magistros, qui affirmare non erubescunt, usuram quibusdam cancellis circumscriptam Reipublicæ necessariam esse; qua in re æquior illis videtur Paganus, qui roganti cuidam quid de usura sentiret, respondit „ quid tibi videtur „ de homicidio? *Cic. de Offic. L. 3.*

CAPUT

CAPUT XV.

Qua ratione comparare se debeat Lector ad perdiscendam Patrum Ecclesiæ de Moribus Doctrinam, necnon de optimo quorundam hac in re delectu.

UT ad lectionem Patrum Ecclesiæ de Morum Doctrina se se comparet Lector, initium ducat oportet a *Moralibus* Divi Basilii : opusculum hoc, quod veluti collectionem quandam præcipuorum Evangelii, & Apostolorum præceptorum continet, Christianæ Morum Disciplinæ fundamentum esse potest.

Similia fere scripserunt Augustinus in *Speculo*, Cyprianus in libris *Testimoniorum*, atque Athanasius in sua *Synopsi Scripturæ Sacræ*: ex hujusmodi Operum lectione, seu potius meditatione (quippe meditatione magis indigent, quam lectione) duplex duci potest emolumentum; Patrum inprimis Doctrina ad Scripturæ Doctrinam revocabitur, deinde certo quodam ordine disponentur omnia, quæ apud inclytissimos hosce Theologos de Morum Disciplina, præstantiora occurrunt.

Qui Scholasticam disciplinam Positivæ jungere cupiunt, magno illis adjumento esse potest

ceſt ordo, quem ſervat Divus Thomas in *Secunda Secundæ*, ut cognitiones ex priſcis fontibus hauſtas mandent memoriæ.

Poſito hoc fundamento, initium fieri jam poterit a libris *Moralium* Gregorii Magni, qui non modo Chriſtianæ Religionis ſpiritu ducitur, verum etiam cor humanum, ejuſque motus, & affectiones optime perſpectas habet, qua in re cæteris Patribus cunctis longius progreſſus eſt. Atque, quum utpote homines, aliis alii communem vitam ducamus, præclariſſimaque virtutis, & ſanctitatis exempla cæteris ad imitandum proponere debeamus, poſt *Moralia* Divi Gregorii, convertat ſe Lector ad *Officia* Divi Ambroſii. Opus hoc præſtantiſſimam exhibet Chriſtianæ honeſtatis imaginem ex tabella Charitatis expreſſam, ſine qua vel placere Deo, vel cum hominibus verſari nemo poteſt.

Clemens Alexandrinus in *Pædagogo* omnia tradit præcepta, quibus Viri prudentes, & probi uti queunt: Epiſtolæ Sanctorum Paulini, Auguſtini, & Bernardi ad inflammandos animos Chriſtiana charitate, honeſtateque aptiſſimæ ſunt: his accedit Tractatus Divi Auguſtini *ad Conſentium contra Mendacium*, ut exhorreſcat animus, ſicuti par eſt, vitium iſtud turpiſſimum, idemque mirifice blandiens, quod vitæ conſuetudinem, & morum honeſtatem funditus evertit.

Hinc gradus fieri poterit ad Sermones Divi Chryſoſtomi, qui Philoſophiæ Chriſtianæ ſummam continent: juvabit etiam omnes ejus

Sermo-

Sermones pervolvere, necnon Tractatus Morum, & Pietatis, eos præsertim, in quibus agit de dolore Cordis, & Pœnitentia, quæ secunda est post naufragium tabula.

Divum Chrysostomum proxime excipient Epistolæ Divi Hieronymi; atque quum plurimum conferant exempla ad exercitationem virtutum, sine qua theoresis nihil aliud dici potest, quam vana prorsus, & inanis umbra, legi poterunt, quæ scripsit Ambrosius de vita veterum Patriarcharum.

Si quis vero integrum unius, ejusdemque Auctoris Theologiæ Moralis corpus exoptet, adeat Augustini Tractatus, & Epistolas Morales, quæ in novæ Editionis volumine sexto collectæ inveniuntur.

Longum nimis esset opera omnia recensere, quæ hoc in genere ab antiquis Patribus summa cum laude scripta sunt. Non omnibus etiam fortasse probaretur noster delectus, quum sua quisque voluptate trahatur, & sensu, de quo non est disputandum. Quædam tamen extant adeo communi omnium sensu probata, ut asseveranter proponi possint, quin jus cuiquam tollatur, tanquam in publico convivio, manum, quibus maluerit, admovendi.

Sic justum, bonumque Virum ab ingratis vexatum magnopere levabit lectio Homiliæ Divi Chrysostomi *de Saule, & Davide*; stomachosus homo, & ad iram fervens præclarum sibi remedium comparabit ex Tractatibus Tertulliani, Cypriani, & Augustini *de Patientia*

Patientia: avarus ex Tractatu Clementis Alexandrini, ubi quærit, *quis dives salvetur*, & ex libro Sanctissimi Presbyteri Salviani *contra Avaritiam*, satis hauriet unde turpissimum hoc vitium contra ipsum avarum deiæviens a se repellat. Qui se fallacibus mundi blanditiis irretiri sivit, discat ex libro *de Spectaculis* adscripto Divo Cypriano mundum temnere, tanquam vanum scenæ apparatum, qui vix oculis objectus evanescit illico, nullamque post se veram oblectationem relinquit.

Immisericordes pariter, qui æneo corde instructi, trucibus oculis, duroque animo egentissimorum fratrum inopiam excipiunt, ad pietatem moveri poterunt lectione Tractatus *de Operibus Misericordiæ*, quem Divus Cyprianus velut antidotum illorum morbo proponit. Invidis, qui prosperam aliorum fortunam iniquo animo ferunt, idem Cyprianus Tractatum exhibet *de Invidia* aptissimum, ut eos ad Charitatem inducat, & a vilissimo hoc, animique vere Christiani nobilitate, & præstantia prorsus indigno motu expediat, attollatque. Qui in omnem intemperantiam effusi, ingluviem comprimere refugiunt, magno cum fructu legent Homilias Divi Basilii *de Jejunio*.

Stupidos sæculi amatores, qui Christianum nomen, & speciem vix, ac ne vix quidem servant, ad frugem facile revocabunt Tractatus D. Gregorii Nysseni *de Christiana Fidei Professione*.

Qui

Qui ad altissimum, sanctissimumque Christianæ Fidei gradum evecti, temnendas creaturas, quæ nihil sunt ante Deum, Idololatrarum adinstar insano cultu prosequuntur, si attente legant, quæ *de Idololatria* scripserunt Tertullianus, & Cyprianus, maximo tanti sceleris, ex Gentilitate prognati horrore concutientur; ac cæteri etiam eodem morbo magis infecti, Divi Augustini *Confessionibus*, *&* *Soliloquiis* sanari fortasse, & immoderatam animi licentiam submovere poterunt.

Virginibus, Viduis, & Conjugibus Basilius, Ambrosius, Hieronymus, & Augustinus plura suppeditant, quibus in suo quisque statu sanctitatem servet, majoremque in dies perfectionem acquirat.

Presbyteri vero, atque Pastores uberrima inveniens pabula apud Chrysostomum in Libris *de Sacerdotio*, Gregorium Papam *in Pastorali*, Julianum Pomerium in Libris *de Vita Activa*, *&* *Contemplativa*, & Divum Bernardum in Libris *de Consideratione* ad Eugenium Papam inscriptis.

Regibus, & Principibus Synesius in Sermone *de Modo Christiane Regnandi*, & Divus Chrysostomus pluribus in locis præstantissima tradunt pie, sapienterque in rerum publicarum administratione vivendi præcepta.

Qui in turpissima scelera delapsi sunt, a Basilio, & Ambrosio Pœnitentiæ documenta desumant.

Qui

Qui vero Religiosi cujusdam Instituti vinculo se obstrinxerunt, uti possunt ejusdem Basilii Tractatibus *de Vita Monastica*, *Regulis brevius tractatis*; necnon *Regulis fusius tractatis*, *Constitutionibus* item *Monasticis*; ac demum *Pœnis in Monachos delinquentes*. Extant etiam apud Augustinum in Libro *de Opere Monachorum*; atque *in Codice Regularum* Orientis, & Occidentis eximia solitariæ vitæ instituta, quibus adde *Institutiones*, & *Collationes* Cassiani, Opera Sanctorum Nili, & Bernardi; quæ velut Enchiridion Viris Religiosum aliquod Institutum profitentibus aptissimum quovis tempore habita sunt.

Ad promovendam illorum pietatem, qui rebus divinis, ac cœlestibus se totos addicunt, proderunt Sermones Marci Eremitæ, *Centum Capitula* Diadochi, *Instructiones* Sancti Eucherii, atque Tractatus Gregorii Nysseni *de Oratione*.

Uno verbo, quisquis omnes animi virtutes adipisci cupit, tutaque via incedere, instar ingeniosæ apis, varios, lectissimosque Patres libabit, ut ab antiquis hisce fontibus sapientiæ, & Christianæ pietatis mel suavissimum exugat. Indubitatum quippe est, cætera quandoque studia intermitti posse, ab studio autem Doctrinæ Morum nunquam vacandum; quum nullum sit vitæ tempus, immo neque momentum, quo a corrigendis, perficiendisque Moribus suis abstinere debeat Vir Christianus.

CAPUT

CAPUT XVI.

De lectione Patrum Diſciplinam Eccleſiæ exponentium.

NUllum fere invenitur inter antiqua Patrum opera, in quo non aliqua Diſciplinæ Eccleſiaſticæ lineamenta reluceant; ſed quia nonniſi diuturno labore colligi poſſunt, eam ob rem, antequam iſthuc devenias, præcipuos Patrum Tractatus evolves, qui locupletiſſimum hoc argumentum data opera pertractant, exponuntque.

Inter eos primo loco ſe offerunt *Conſtitutiones* Divo Clementi adſcriptæ, quas Morinus in libris *de Pœnitentia* totius diſciplinæ in Eccleſiis Orientalibus ante Conſtantini Magni Imperium ſervari ſolitæ, exemplar habendas affirmat. Divus Clemens ea ſolum, quæ ab Apoſtolis acceperat, in illis colligere curaverat; ſucceſſu autem temporis adjecti ſunt Canones Conciliorum Orientalium. Hæc tamen Collectio, quæ magno olim in honore habebatur apud Græcos, parvi a Latinis penſa fuit; ac demum ab iiſdem Græcis in Concilio Trullano rejecta, tanquam opus, quod a Sectariis vitiatum, nonniſi ſumma circumſpe-

ctione

ctione legendum esset. (19)

His Lector addere poterit Libros *de Hierarchia* sub nomine Dionysii Areopagitæ. Singularem quoque Liturgiis, Sacramentariis, & Ritualibus Patrum operam dabit, non omissis, quæ scripsere de Divinis Officiis.

Apologetica Patrum, pleraque Tertulliani, Cypriani, & Optati opera, multique D. Augustini Tractatus, ac singillatim ejus ad *Dulcitium* responsa præstantissimas annotationes continent, quæ ad præsens faciunt argumentum.

Præsertim vero legendæ Patrum Epistolæ, ac præ cæteris Cypriani, Basilii, Hieronymi, Ambrosii, Augustini, Cyrilli Alexandrini, & Theodoreti, quæ ad Disciplinam Ecclesiasticam spectant.

Pervolvendæ omnes Epistolæ vulgo Clementis Papæ, nec non Sanctorum Ignatii, & Poly-

(19) Ponere videtur hoc loco Auctor Operis *Constitutiones Apostolicas* D. Clementi adscribendas, eisque temporis successu adjectos Canones Conciliorum Orientalium; quod quidem a veritate alienum prorsus est. Neque enim Canones solummodo, verum etiam Opus ipsum suppositũ fuisse D. Clementi, duo manifestissime probant. Primo, silentium omnium Ecclesiasticorum Scriptorum ad quartum usque sæculum, quũ tamen non infrequens se se obtulerit occasio eas proferendi. Secundo, Doctrinam illæ continent a recta Fide, adeoque a D. Clemente prorsus alienam, ut, contra Divinitatem Filii, & Spiritus Sancti; rebaptizandos etiam docent Hæreticos; quartas Nuptias condemnant &c.: quæ quidem omnia a D. Clemente tam sanctis temporibus, & Apostolorum ætati adeo proximis scripta fuisse nemo crediderit.

lycarpi : item , quæ Cœlestini Papæ ad Provincias Viennensem , & Narbonnensem , ad Episcopos Apuliæ , atque Calabriæ ; Literæ , atque Tractatus Divi Paciani *de Baptismate* , omnes etiam Gregorii Magni ad amussim expendendæ , ac demum Epistolæ Canonicæ , atque Paschales Dionysii Alexandrini , Teophili ejusdem urbis Episcopi , Gregorii Nysseni , Basilii , & Gregorii Thaumaturgi .

In hisce , ut ita dicam , Librorum summariis , atque scriptis confabulationibus Patres Ecclesiæ mentem suam familiariter aperientes , nitidis , firmisque rationibus innumeras explicant difficultates , quas casus illorum ævo non prævisus temporis progressu excitavit in rebus spectantibus ad Disciplinam , quæ vinculum est Charitatis , & concordiæ Fidelium : nihil aptius , feliciusque hisce Patrum Epistolis ad mores recte instituendos conducit , eosque optime informandos , qui ad curam Pastoralem , rerumque Ecclesiasticarum moderationem divinitus vocantur .

Cæterum a Patrum lectione recedere nequaquam censebitur , qui antiquos Canones legat , quum nulli ferme sint , qui non vel ab his Doctoribus Sanctissimis in Conciliis , ad quæ convenerant , statuti , vel ex operibus , & ex illorum doctrinæ penu depromti fuerint .

Atque hanc ob causam Ecclesia , quæ regulam , & normam ex Canonibus sumit , eorum Collectionem semper haberi curavit : Socra-

crates primo *Historiæ* Libro ait, res a Patri- *Cap. 1.*
bus universim sancitas, ab iisdem subscribi, & in Ecclesiarum Archiviis deponi consuevisse. Eodem teste Historico viguit antiquitus hæc consuetudo duplicis generis Canonum Collectiones elucubrandi, alteram Dogmatum Fidei, alteram Disciplinæ Ecclesiasticæ; primam *συναγωγὴ τῶν συνοδῶν* dictam, posteriorem *βίβλιον κανόνων*.

Præter has Collectiones, quæ ad uniuscujusque singillatim Ecclesiæ usum servabantur, aliæ quædam sunt generales, quas Canonum Expositores ad universæ Christianæ Reipublicæ Institutionem perfecere. Apud Latinos Isidorus Mercator ex Summorum Pontificum Epistolis, & Conciliorum Canonibus ea collegit, quæ ad mentem suam magis conferre putabat. Post amplissimam hanc Collectionem, altera brevior prodiit sub nomine *Corporis Canonum*, cujus Summi Pontifices Nicolaus, & Leo Quartus meminerunt apud Gratianum. Antonius Augustinus, doctissimus postremo sæculo Canonum Interpres affirmat, has duas Collectiones duos veluti fontes haberi totius in Ecclesia Latina Juris Pontificii.

Inter Græcos Alexis Aristenes, Johannes Zonaras, & Theodorus Balsamon Collectiones elucubrarunt; atque pro more Juris Consultorum, qui Jus Civile interpretationibus suis illustrant, Commentariis locupletarunt. Ju- *Author.*
stinianus principio vetuerat, ne Leges suas *Duck L. 1. C. 6.*
quisquam interpretaretur, verum experientia

edoctus non omnes, qui evenire poterant casus a se prævisos, mutata Sententia facultatem dedit, ut secundum Juliani, & Adriani Imperatorum Sanctiones adhiberetur, ubi opus foret, expositio. Revera Jurisperiti Julianus, Ulpianus, & Pomponius testantur, solis Legibus non omnes, qui contingere possunt eventus, comprehendi. (20)

Extant etiam Collectiones Johannis Scholastici, Photii, Matthæi Blastares, Constantini Harmenopuli, & Arsenii, qui Canones ad quosdam titulos retulerunt, adjectis una Legibus, atque Sanctionibus Imperatorum, unde *Nomocanones* dicti sunt.

Decretũ Gratian. jussu Gregorii 13. emendatum fuit an. 1580.

Latini Canonici Jurisperiti Græcorum methodum fere tenuerunt. Magno quidem illi numero, sed non pari virtute. Dionysius Exiguus, Ivo Carnotensis, & Gratianus cæteris præstant; præcipue vero Gratianus, qui etiamsi nonnullis scateat erratis, in publicis ta-

[20] Tot inter Canonum Collectiones, quarum aliquæ vetustissimæ sunt, ac præstantissimæ, vix paucas recenset Auctor Operis, easque tum ætate, tum accuratione, & Fide cæteris longe postponendas. Ejusmodi est præ cæteris Collectio Isidori Mercatoris anno 836. perfecta, in qua passim, nulloque adhibito delectu undique congesta, permixtaque vera falsis reperiuntur monumenta, ut Isidoro in mentem veniebant. Quamobrem antiquiores adibit Lector Collectiones, puta quam Stephanus Ephesinus perfecit paullo post Sancti Johannis Chrysostomi obitum, & antequam celebraretur Concilium Chalcedonense, vel Collectionem Johannis Scholastici sæculo sexto. Temnenda etiam non est Collectio Dionysii Exigui, ejusdem ævi Scriptoris.

tamen Scholis semper legi consuevit.

Quum leviori quandoque utantur Canonici Jurisperiti diligentia, eam ob rem Concilia ipsa, sive Particularia, sive Generalia legisse præstat: etsi enim Conciliorum Particularium Canones cum Generalium Canonibus auctoritate comparari non debeant, plurimi tamen æstimandi, immo in iis, quæ in Œcumenicis Conciliis non finivit Ecclesia, indubitatæ fidei habendi sunt.


Minorum etiam Conciliorum Canones tanti fecit antiquitas, ut præter illorum Collectionem, quibus universa regebatur Ecclesia, particularium etiam Canonum, quibus particulares Ecclesiæ utebantur, Collectionem servaret.

Cujus rei argumento est Canonum Africanorum Collectio, quam Patres tanquam veteris Ecclesiasticæ Disciplinæ Thesaurum existimarunt. Hæc Collectio primum sancita in Synodo sexta Carthaginensi prodiit, paullo post in Orientalibus, & Occidentalibus Ecclesiis sub nomine Codicis Canonum Ecclesiæ Africanæ. In eodem Concilio lecti sunt Canones plurium Africæ Synodorum temporibus Aurelii Episcopi Carthaginensis; qua re ostenditur, recentem invectam non esse consuetudinem Conciliorum, sive Provincialium, sive Nationalium Canones colligendi, ut inde sanctioris vitæ norma derivetur.

Ecclesia Gallica consuetudines principio servavit, quas primi illius Pastores, ut Poti-

nus, & Irenæus ab Antecessoribus suis acceperant; verum post Concilium Arelatense anni tercentesimi decimi quarti propriis Canonibus usa est, donec Concilium Nicænum accepit, ac demum Collectionem in Concilio Chalcedonensi probatam adhibuit.

Ecclesiæ Hispaniarum, & Angliæ propriis etiam Canonibus regi voluerunt. Tandem quocunque vertere nos libeat, ubique Ecclesiarum videre est cultum, reverentiam, obedientiamque Sacris Canonibus præstitam, usque adeo, ut Petrus Cellensis dicere non dubitarit, Deo sic jubente, revelatos Episcopis Sacros Canones, qui complementum essent Evangeliorum, & Librorum, quos Apostoli, & Prophetæ reliquerunt; parumque abesse, ne eodem, quo Evangelii verba, in honore habendi sint.



CAPUT

CAPUT XVII.

De Methodo servanda in lectione Patrum Disciplinam Ecclesiasticam exponentium.

Divus Augustinus, unam esse Fidem, inquit, Ecclesiæ, multas vero consuetudines, & cæremonias. *Ep. 86. ad Casul.* Quamobrem secernenda apud Patres ea, quæ Disciplinam, ab iis, quæ Fidem spectant. Ad hæc animum satis non advertentes nonnulli Scriptores minus eruditi, ut notat Leo Allatius, Græcos recentiores, ut hæreticos traduxerunt, licet alios ab Ecclesia Latina ritus illæsa Fidei universalis unitate servare potuerint. *De Eccl. Orient., & Occidental. consens.* Quod pariter animadvertit Morinus inquiens, quosdam Scholasticos, satis non distinctis variis Ecclesiarum ritibus in administratione Sacramentorum ab eorundem Sacramentorum substantia, immerito prorsus dubitasse, rata sint, necne apud Græcos Sacramenta Baptismatis, & Ordinationis. (21)

Quamvis enim præcipua Ecclesiasticæ Disciplinæ instituta ab Evangelio primitus eruantur, firmissimaque perinde sint, ac ipsummet Evangelium, nihil tamen adeo varium est, ni-

[21] Non illud exprobrat Morinus Scholasticis, invalidas ab iis habitas Græcorum Schismaticorum Ordinationes, quas ipsemet Morinus irritas esse censet, sed hanc solum ob causam rejectas, quod non eosdem cum Latinis ritus servarent. Morinus autem hanc solum ob causam rejicit, quod nempe Græci ad Schisma defecerint.

nus, & Irenæus ab Antecessoribus suis acceperant; verum post Concilium Arelatense anni tercentesimi decimi quarti propriis Canonibus usa est, donec Concilium Nicænum accepit, ac demum Collectionem in Concilio Chalcedonensi probatam adhibuit.

Ecclesiæ Hispaniarum, & Angliæ propriis etiam Canonibus regi voluerunt. Tandem quocunque vertere nos libeat, ubique Ecclesiarum videre est cultum, reverentiam, obedientiamque Sacris Canonibus præstitam, usque adeo, ut Petrus Cellensis dicere non dubitarit, Deo sic jubente, revelatos Episcopis Sacros Canones, qui complementum essent Evangeliorum, & Librorum, quos Apostoli, & Prophetæ reliquerunt; parumque abesse, ne eodem, quo Evangelii verba, in honore habendi sint.



CAPUT

CAPUT XVII.

De Methodo servanda in lectione Patrum Disciplinam Ecclesiasticam exponentium.

DIvus Augustinus, unam esse Fidem, inquit, Ecclesiæ, multas vero consuetudines, & cæremonias. Quamobrem secernenda apud Patres ea, quæ Disciplinam, ab iis, quæ Fidem spectant. Ad hæc animum satis non advertentes nonnulli Scriptores minus eruditi, ut notat Leo Allatius, Græcos recentiores, ut hæreticos traduxerunt, licet alios ab Ecclesia Latina ritus illæsa Fidei universalis unitate servare potuerint. Quod pariter animadvertit Morinus inquiens, quosdam Scholasticos, satis non distinctis variis Ecclesiarum ritibus in administratione Sacramentorum ab eorundem Sacramentorum substantia, immerito prorsus dubitasse, rata sint, necne apud Græcos Sacramenta Baptismatis, & Ordinationis. (21)

Ep. 86. ad Casul.

De Eccl. Orient., & Occidental. consens.

Quamvis enim præcipua Ecclesiasticæ Disciplinæ instituta ab Evangelio primitus eruantur, firmissimaque perinde sint, ac ipsummet Evangelium, nihil tamen adeo varium est, ni-

[21] Non illud exprobrat Morinus Scholasticis, invalidas ab iis habitas Græcorum Schismaticorum Ordinationes, quas ipsemet Morinus irriras esse censet, sed hanc solum ob causam rejectas, quod non eosdem cum Latinis ritus servarent. Morinus autem hanc solum ob causam rejicit, quod nempe Græci ad Schisma defecerint.

nihil tam mutabile, quam Ecclesiastica Disciplina; quum Christus Dominus Pastorum prudentiæ commiserit, ut quas magis congruere arbitrarentur, ex universalibus illis institutis deductas Leges singillatim constituerent. Certissimum porro, & constantissime acceptum semper fuit in Christiana Religione, sine Pœnitentia comparari non posse Vitam Æternam; nihilo tamen minus hujus Pœnitentiæ exercitatio, immoto prorsus, cui nititur fundamento, tot modis distingui potest, atque variari, ac revera distincta fuit ab exordio Ecclesiæ ad præsentem usque ætatem, quot eam variari ad creditarum sibi ovium utilitatem, & salutem necessarium existimarunt Pastores. [22]

In-

[22] In hac Ecclesiasticæ Disciplinæ mutatione sedulo, & accurate distinguendi sunt peculiares Ritus, & consuetudines a Spiritu, & fine, quo regitur Ecclesia. Varii quidem fuere Ritus, at unus semper, idemque Spiritus. Variarum quippe consuetudinum, alias circumstantiarum varietas induxit, ut Communionem sub una, vel utraque specie; alias remissior Christianorum Charitas, sive illorum imbecillitas, ut refectiunculam vespertinam die jejunii, & pœnitentiæ publicæ abrogationem; alias prudens, & œconomica tolerantia, ut creberrimas dispensationes &c.; alias demum, quas nec probat, nec patienter tolerat Ecclesia, immisit pessima quorundam indulgentia, ut faciliorem absolvendi a peccatis consuetudinem &c. In hisce tamen omnibus mutationibus uno semper, eodemque Spiritu ducitur Ecclesia, nimirum majoris Christianæ Religionis emolumenti, sive probans, sive improbans mutationes. Igitur in Ecclesiastica Disciplina consuetudines quidem variæ sunt, & mutabiles, at Spiritus tamen, quo ducitur Ecclesia in illarum usu, unus semper, idemque est, ac immutabilis.

Institutiones Ecclesiasticæ ab Jure Divino profectæ immutabiles sunt, ac perpetuo tenendæ; quæ autem a Jure Positivo derivantur, nec perpetuo, nec ubique, nec eodem semper modo servantur.

Alia fuit prioribus Ecclesiæ sæculis, alia posterioribus agendi ratio. Ex. gr. quod uno sæculo impedimentum Sacris Ordinibus habebatur, alio sublatum omnino fuit. Olim sola manuum impositione collati fuere Sacri Ordines; deinceps additus Vasorum, Sacrorumque Librorum contactus. Non cogebantur antiquitus Clerici omnes Ministerii sui gradus conscendere, ut ad altiorem pervenirent; a Lectoratus gradu statim, & illico ad Presbyteratum, vel Diaconatum, vel etiam Episcopatum (23) evehebantur. Paucissimi enim iis temporibus Clerici singulos tenebant gradus, ut altissimum assequerentur: quod Socrates satis non intellexisse videtur de Sancto Basilio ser-

(23) Quod ait hoc loco Auctor Operis, id moris aliquando viguisse in Ecclesia, ut Clerici a Lectoratu ad Episcopatum, omissis mediis Ordinibus, eveherentur, nullo prorsus universæ antiquitatis exemplo monstrari potest. Immo vero contrarium ab Historiæ monumentis suadetur. Sic Præsules Sardicenses apud Theod. l. 2. cap. 8. quum Ischyras ab Arianis Episcopus, omisso Presbyteratu, creatus fuisset in præmium calumniæ Athanasio impactæ, irritam censent ejusmodi Ordinationem eam solum ob causam, quod Presbyteratus Ordine insignitus antea non fuisset &c. Et sane Episcopus, ut Summus Sacerdos, nunquam esse, vel dici poterit Episcopus, nisi antea Sacerdotalem gradum percurrerit, qui fundamentum est Episcopatus.

sermonem faciens, qui quum Lectoris officio duntaxat fungeretur, Presbyter *per saltum* consecratus fuit, non evolutis nimirum, ut hodie mos est, mediis Ordinibus.

Quædam consuetudines non semper viguere, quod in perpetuum institutæ non essent; hujusmodi sunt Ritus Legales, quos Apostoli ad certum duntaxat tempus servarunt. Aliæ vero quavis ætate valuerunt, nec nisi quibusdam in circumstantiis immutatæ sunt, ut quum, integro manente antiquissimo Signi Crucis Ritu, in ejus modum invecta est mutatio, nunc ad unum, nunc ad alterum Mysterium indicandum, extensis scilicet, elatisque modo duobus digitis, ad significandam duplicis in Christo naturæ unionem, modo tribus primoribus, ad Trium in una Essentia Personarum distinctionem exprimendam.

Nonnulla instituta piis de causis modo aucta, productaque, modo imminuta, contractaque fuerunt. Ad excitandam Populorum pietatem Episcopi Liturgias plurimum amplificarant; verum quum ob nimiam prolixitatem oneri essent Fidelibus, Divus Chrysostomus, & Basilius, teste Proclo Constantinopolitano Archiepiscopo, easdem Liturgias contraxerunt.

Aliquæ vero consuetudines, cæteroquin bonæ, aliis, a quibus pendebant, obsolescentibus, minus laudabiles evasere. Antiquitus ad Mensam Eucharisticam quotidie accedebant Laici, unaque secum Oblationes ferebant;

ve-

verum refrigescente paullatim studio frequentis Communionis, Presbyteri, (quod valde indecorum est) Oblationes ostiatim rogare coacti fuere.

Alii e contrario Ritus decoris causa, atque ad graviora vitanda incommoda deleti. Ejus generis fuit Eucharistiam erecto corpore sumere, manu, aut velo eam accipere, domum transferre, sibi ipsi eam ministrare, ejus usum sub utraque specie Laicis concedere.

Nonnulli vero sensim sine sensu, & nata occasione in alios migrarunt. Ita occasione Clinicorum, qui scilicet extremis vitæ momentis Baptismate in lecto donabantur, inolevit paullatim consuetudo aspersione tantum conferendi Baptisma, sublata, quæ prius adhibebatur, immersione. (24)

Aliquos etiam Ritus mutavit, vel abrogavit indulgentia erga infirmos. Sic publicæ Pœnitentiæ severitas in peregrinationes, eleemosynas, & orationes abivit; sic austerius Quadragesimale jejunium ad vesperam usque duo-

[24] Parum omnino videntur in causa fuisse Clinici, cur immersio in aspersionem mutaretur. Tribuenda potius hæc mutatio periculo, ne pueris per immersionem aliquod detrimentum inferretur, vel etiam mulierum pudori adscribi potest, quæ ægre admodum Baptisma per immersionem suscipiebant.

duodecimo etiam sæculo produci solitum (25) paullatim sublatum est.

Alii pro temporum, & personarum varietate mutati sunt: ita justis de causis Sacerdotes in Hæresim lapsi, postquam resipuerunt, ad Ordinum suorum exercitium recepti fuere.

Quasdam etiam Consuetudines Ecclesia, ægre admodum, nec nisi postquam diu, fortiterque obstitisset, abrogavit: ejusmodi est electio Antistitum, cujus olim jure fruebantur Clerus, & Populus. Aliæ vero, quum semper servatæ sint, alio tamen, & alio modo executioni mandatæ fuerunt. Quod notat Onuphrius in electione Summorum Pontificum, quæ ad nostram usque ætatem septem, vel octo, & decem diversas subiit formas.

Alias invexit cessio juris; ut quum Episcopi Græci tertio sæculo, & Latini quinto Presbyteris copiam fecere, ut coram ipsis Concionem haberent; alias extentio juris ad ea loca, ubi ante non obtinebant; ut quum in Ora-

(25) Jejunium Quadragesimale ad vesperam productum non fuit usque ad sæculum duodecimum, sed decimum solummodo. Etenim undecimo jam sæculo, tepescente in dies pietatis studio, Concilii Rhotomagensis Patres pernecessarium duxerunt Canonem statuere, quo prohiberentur Fideles, ne ante horam nonam cibum sumerent diebus Quadragesimæ. „ Nullus [inquiunt „ Can. 21.] in Quadragesima prandeat, antequam hora nona peracta, „ vespertina incipiat: non „ enim jejunat, qui ante „ manducat „. Convocatum fuit hoc Concilium anno 1072.

Oratoriis, & Monachorum Ecclesiis Parœciæ, & jura Parochialia instituta sunt.

Aliæ dum antiquarentur, recentibus locum dedere; cuncta olim Officia Ecclesiastica Sacris Ordinibus in unaquaque Ecclesia jungebantur: altera Cleri pars assidebat Episcopo, altera in Titulos, & Parœcias civitatis tributa: interim vero prima hæc Cleri pars se ab Episcopo segregans Canonicos, & Capitula instituit, quorum regimini præsunt Decani.

Quasdam Consuetudines tempus obliteravit, quasdam induxit: hinc obsolevit mos adstandi assidue Divinis Officiis, Diurnis, Nocturnisque, inde Sacrorum numerus in immensum excrevit, increbuere secretæ Confessiones, aliaque pietatis opera exercendi mos invaluit.

Nonnullæ piæ exercitationes ab erroribus originem sumserunt, ex. gr. Græci diebus jejunii Sacra non faciebant rati, sumtione Corporis, & Sanguinis Christi Domini infringi jejunium; quam opinionem refellit Tertullianus Tractatu *de Oratione Dominica*. Ante tertium decimum sæculum nonnulli rudes, & ignari in animum sibi inducentes, suscepto extremæ Unctionis Sacramento, abstinendum deinceps ab usu carnium, & Matrimonii, quamvis ejusmodi sententiam damnassent Concilia, in causa fuere, cur ægroti nonnisi ad extremam vitæ periodum redacti infirmorum Unctione muniri voluerint; unde ortum habuit

Synod. Oxon. Cap. 6.

buit

buit consuetudo, quæ etiamnum viget, morientibus nonnisi post Viaticum extremæ Unctionis Sacramentum conferendi.

Immo etiam Hæresis nonnunquam ad aliquot pietatis operum institutionem conduxit. Eutychetis sectarii magnum causæ suæ patrocinium collocantes in titulo *Matris Dei*, quo merito, & jure Beatissimam Virginem vocat Ecclesia, occasionem inde arripuerunt majori, quam apud Catholicos mos esset, eam cultu prosequendi. Primus omnium Petrus Fullo cunctis orationibus nomen *Sanctissimæ Deiparæ* inseruit. Quum vero non omnia, quæ ab hæreticis proficiscuntur, hæretica sint, iccirco Catholici eam consuetudinem a Sectariis, quorum Hæresim aspernabantur, invectam, tuto, ac pie sequi se posse putarunt.

Till. Histor. Eccles. t. 1.

Quædam instituta in omnibus universim Ecclesiis ab initio ad præsentem usque ætatem servata fuerunt, ut celebratio Missæ; Scripturæ Sanctæ lectio, usus precum, cantus Psalmorum, & Canticorum; quædam vero ab Ecclesiis singularibus optata apud alias in usu non sunt. Die Sabbati Romæ, & Tagastes jejunabant Fideles, non autem Mediolani. Apud Africanas Ecclesias id moris erat, ut in honorem Martyrum adferrentur cibi ad eorum sepulcra, quam consuetudinem Divus Ambrosius, pravum illius usum, & consequentem ex ea licentiam metuens, in Ecclesia sua damnavit.

Non-

Nonnulli ritus in quibusdam Ecclesiis periere, in aliis diutius viguere. Ita in Diœcesi Rhotomagensi ad annum usque millesimum ducentesimum trigesimum sextum, qui Sacris Ordinibus initiandi erant, ad Episcopum, vel Pœnitentiarium delictorum Confessiones deferebant, quo Confessarius certo dignosceret, an Sacros Canones uspiam violassent.

Quidam etiam ritus adeo singulares sunt, ut in una solum adhibeantur Ecclesia. Hujus generis est, qui sexto sæculo in Ecclesia Arelatensi vigebat, Divina scilicet Officia græce, & latine celebrandi.

Alios Græca, alios Latina solum consectatur Ecclesia. Apud Latinos Oleum ab Episcopis, apud Græcos a simplicibus etiam Presbyteris consecratur. Apud Latinos Extrema Unctio morientibus solummodo adhibetur; apud Græcos etiam iis, qui integri sunt, & sani, quum delinquunt, ut a venialibus delictis mundentur (26). Latini Sacerdotes a Nup-

[26] Si consulas Goarium, aliosque Rituum Orientalium Scriptores, non ad venialia, sed ad lethalia crimina delenda adhiberi videtur Pœnitentibus Sacra Unctio apud Græcos. En verba Goarii in suis *ad Sancti Olei Officium* notis: „ Ritus, quo gravioribus „ subditi peccatis, licet „ sint omni ex parte sani, „ quia tamen ægrotorum „ delicta Sanctam Unctio„ nem curare noverunt, „ illam deinceps pro Ca„ none, idest Pœnitentia „ acceptam, & a Sacerdo„ tibus tota precum harum „ serie se expiandos, & „ infirmorum unctione ve„ lut adversa animæ vale„ tudine affectos, & me„ dendos offerunt.

Nuptiis abstinent; Græci vero, qui Uxorem ante ducunt, quam ad Sacros Ordines promoveantur, Matrimonio uti possunt.

Quorundam in Rituum usu, quod præcipuum est, utraque servat Ecclesia; differt tamen in adjunctis. Ex. gr. Græci simul, ac Latini in Sacramento Confirmationis adhibent Sanctum Chrisma, quod oleo constat, & balsamo; sed Græci secus a Latinis, quinque præterea, & triginta admiscent aromatum genera, sive totidem herbarum bene olentium succos, unaque pauxillum vini.

Aliqua tenent Græci tanquam vetustissima, quæ Latini aliquandiu adhibita postmodum deseruere. Penes Græcos Presbyteri, juxta ac Episcopi Confirmationis Sacramentum conferunt, quod penes Latinos uni convenit (27) Episcopo: quanquam in Ecclesiis Galliæ, & Hispaniæ etiam Presbyteri ministrarint antiquitus Sacrum Chrisma recens baptizatis, quibus deinde Episcopi manus imponebant.

Holst. de Min. Confir.

Græci Sacerdotes quoddam Tonsuræ genus adhibent pueris, dum eos baptizant, vel octo post Baptisma diebus. Eadem erat olim apud Latinos disciplina, sed evanuit temporis progressu, nec amplius, nisi eruditis rerum antiqua-

(27) Presbyteri quidam Latini contulere Sacramentũ Confirmationis a sæculo 6. ex indulgentia Gregorii Magni Summi Pontificis, ad sæculum usque nonum; Græci autem conferunt hodiernis etiam temporibus, ex tacita saltem Ecclesiæ concessione.

tiquarum studiosis comperta fuit. Apud Græcos septem inducuntur Presbyteri ad Sacramentum Extremæ Unctionis, apud Latinos unus; quanquam plures etiam olim convenirent; denique Græci in Sacrificio Eucharistiæ utuntur Pane Fermentato, quem Latini, utentes Azymo, dereliquerunt, ut consentiunt Viri in antiquitate versatissimi. *Greg. Sacrament.*

CAPUT XVIII.

De Ritibus, quos Ecclesia ex Judæis desumsit, atque Paganis.

BEne multas consuetudines a Veteri ad novam Legem, a Synagoga ad Ecclesiam translatas apertissimum est. Etsi enim Christi Jesu, & Apostolorum consilium fuerit, ut Judæorum Ritus delerentur; quidam tamen ad tempus tolerati, quidam aliqua sui parte cæremoniis, & Ritibus nostris permixti, hodierna etiam ætate supersunt.

Hac re offenduntur summopere Græci, indeque ansam arripiunt traducendi Latinos, tanquam Rituum Judaicorum sectatores, quod utantur Azymis, Unctionibus, Purificationibus, aliisque id genus: quasi vero non ipsi quoque multos, immo plures, quam Latini, Judæorum mores sequerentur. Quum enim Græca Ecclesia antiquis Ritibus magis addicta fuerit, quam Latina, veri admodum simile

est, plura Græcos, quam Latinos Judæorum instituta fuisse amplexos.

Ut ut res sit, mirum videri non debet, priscos Fideles, quorum maxima pars a Judæis profecta, una cum iis creberrime in Templo, & Synagogis versabatur, nonnihil retinuisse Judaicæ Disciplinæ, cujus etiamnum in nostris cæremoniis quædam supersint vestigia: præcipue quum ad ætatem usque Imperatoris Hadriani, omnes Jerosolymorum Episcopi, scilicet ii, quorum erat tradere Disciplinam, e Christianis circumcisis deligerentur, atque omnes fere illius Populi Fideles una jungerent Judaicæ, & Evangelicæ Legis observationem (28).

Sulpit. Sev. Hist. L. 2.

Verum quid tandem absurdi fuerit, si modo e. g. Concilia cogantur ad exemplum magni Judæorum Synedrii: si Sacerdotes nostri Veteres quodammodo æmulentur, qui sub uno Præside, vel Episcopo Synagogas regebant; si prisca ætate nullum, nisi Episcopi, & Presbyterorum Tribunal Fideles agnoscerent; si Ecclesia Synagogam imitata ad instituendos Ministros manuum impositionem adhibeat; si apud nos

(28) Hæc Judaicæ una cum Evangelica Lege observatio ad Imperatoris usque Hadriani tempora produci nullo jure potest. Etenim a Christi morte Lex Judaica mortua habita est ad destructionem usque Jerosolymorum, & sufficientem Evangelii promulgationem. Deinceps vero evasit mortifera, adeoque servanti exitiosa. Porro Jerosolymorum Civitas eversa fuit anno circiter 73. æræ vulgaris, Hadrianus autem suscepit Imperium anno 120.

nos Diaconi, cæterique Ministri inferiores, sicut apud Judæos Ministri Templi, ac Synagogæ, rebus omnibus, quæ in Ecclesia fiunt, pervigilent; si nobis Cantores sint, & Ostiarii, quemadmodum Judæis Levitæ, qui januas aperirent, & clauderent, qui Pulpitum ascendentes canebant, dum Sacra fierent; si Christiani eodem, quo Judæi modo, certum quoddam tempus orationi assignarint; si qua demum interesse videatur inter Christianorum, ac Judæorum Festa similitudo? Hæc, & alia id genus sexcenta nihil absurdi continent, nulloque jure profecto de iis quispiam conquereretur. Quum enim una sit, eademque Christianæ, & Judaicæ Religionis natura, unus utriusque finis, nempe cultus Deo debitus, non est, cur quisquam miretur, aliquas Judæorum cæremonias a Christianis acceptas: quippe nonnisi magno esse possunt emolumento in Ecclesia, quæ illas in proprium usum transferens, sanctas reddit, atque perfectas.

Quidquid ad cæremonias mere legales attinet, ab Ecclesia exulare debet, ac revera exulat. Verum alii quidam Ritus, experientia duce, non sine magna utilitate adhiberi possunt. „ Origenes arbitratur, Legem Primi- *M. Fleur. Hist. Eccl. L. 2.*
„ tiarum, aliasque plures, quæ in Evangelio
„ abolitæ non fuerunt, ad apicem servandas
„ esse; præsertim vero Legem Primitiarum,
„ quam Servator firmavit, inquiens, qui Al-
„ tari servit, de Altari vivere debet; eo vel
„ maxime, quod postulet omnino recta ratio,

 ut

„ ut qui Ecclesiam ingreditur, ejus Presby-
„ teros, atque Ministros participes faciat fru-
„ ctuum, quos summa D. O. M. benignitate
„ accepit, quippe qui solem quasi lumen
„ accendat, & opportune pluviam immittat
„ ad terrarum fœcunditatem.

Aliquas etiam cæremonias a Gentilibus mutuari potuit Ecclesia, ut iis nonnihil indulgeret, qui ab Idolorum cultu ad Christianam Religionem vocati, in eos Ritus propendebant; præcipue, quum se solis indifferentes, in optimum, & laudabilem usum converti possent. Baronius, Vicecomes, P. Fronto, aliique plures Theologi doctissimi multa Ritibus nostris inesse fatentur ex Gentilitate desumta, quæ in Ecclesiam translata, quum novam, ut ita dicam, naturam induant, summam venerationem merentur.

Divus Gregorius Thaumaturgus æquo animo ferebat, ut recentes Christiani diebus Martyrum Festis convivia celebrarent, uti mos erat apud Paganos in Numinum suorum sollemnitatibus; atque ad verum ii accedere videntur, qui sentiunt, cultum Martyribus exhiberi solitum, quum in Sanctorum numerum adscribuntur, ab eo depromtum esse, quam in suis Apotheosibus exhibebant Gentiles eximiis Viris de Republica optime meritis: credibile etiam est, antiquissimam consuetudinem inscribendi Calendariis Sanctorum nomina, originem habuisse ex Paganorum more, qui præstantiorum Virorum nomina Fastis inscribebant.

bant. Sollemnitas etiam Anniversariæ diei, qua Ecclesia aliquorum ex suis Episcopis inaugurationem celebrare solet, ex Romanorum instituto fluxisse videtur, qui Anniversarium diem Consecrationis Imperatorum Festum agere solebant (29).

Hæc, aliaque plura affirmari certo possunt, testante Divo Clemente Alexandrino, aliqua Ethnicorum Mysteria sanæ doctrinæ fundamento niti, atque ad veram Religionem quodammodo præparare: „ Non abs re ergo in Mysteriis quoque apud Græcos primum locum „ tenent Expiationes, & Lustrationes, sicut „ etiam apud Barbaros Lavacrum. Post hæc „ autem sunt parva Mysteria, quæ habent „ aliquod fundamentum doctrinæ, & præparationis futurorum (30). Strom. 5.

Multo

[29] Fatendum sane, in allatis exemplis nonnihil similitudinis interesse inter Gentilium, & Christianorum Ritus, ac cæremonias. At quæcunque tamen sit ea similitudo, fatis firmum non suppeditat argumentum, quo ostendatur, Christianam Disciplinam ab Ethnicis desumtam fuisse. Etenim potuere Christiani inconsultis Paganis, naturali lumine duce, eosdem Ritus instituere, atque servare. Quid enim rectæ rationi magis consonum, quam præstantissimos Viros de Republica optime meritos colere, ac venerari?

[30] Non ait D. Clemens Alexandrinus, desumta Christianorum instituta a Paganis, sed agnoscit solummodo in Ethnicorum Ritibus aliquam Christianæ Religionis figuram; „ habent [inquit] aliquod „ fundamentum doctrinæ, „ & præparationis futurorum.„ Quamobrem laudata Divi Clementis verba ad Auctoris propositum parum omnino conducunt.

De cætero, quod attinet ad figuram Christianæ Religionis,

Multo sane præclarius est, Ecclesiam Sacras fecisse res profanas, in usum Christianæ Religionis convertendo, quam Gentilibus violanda reliquisse. Divus Gregorius Papa, quum Idolorum Templa in Anglia subverti primum mandasset, jussit postea Episcopo Melito, ut ea mundaret, atque consecraret, quo in gloriam cederent veri Dei, quæ ante ad cacodæmonum cultum usurpata fuerant.

Justis itaque de causis Ecclesia in proprium usum transferre potuit non modo Templa, verum etiam aliquas Græcorum, Romanorum, Ægyptiorum, aliarumque Nationum cæremonias, eoque potiori jure, quod Pagani eas fere omnes inique sibi adscivissent, haurientes ex Libris Moysis Ritus, & Sacra, quibus turpissimo errore ad falsæ suæ Religionis cultum abutebantur.

---

ligionis, quam Divus Clemens agnoscit in cæremoniis Paganorum: commendandum sane est Sanctissimi Doctoris studium, quo ad Christianæ Fidei laudem convertere nititur quidquid ad illam referri potest, de illa vero figura magnus dubitandi locus subest. Quum enim Deus O. M. Judæos solummodo in peculiarem sibi Populum adscivisset, verisimillimum est, a Judaica solum Natione figuris ea prædicta fuisse, quæ Servator Mundi, humana carne suscepta, operari debebat.



CAPUT

CAPUT XIX.

De Consuetudinibus Ecclesiæ, quarum origo evidenter non innotuit, atque erroribus, ac laxamentis a Disciplina.

„ QUum aliquarum consuetudinum origo tam involuta est, & obscura, ut de ea nihil certi affirmari possit, tunc (inquit quidam Auctor) vel a Christo Auctore repeti debent, qui voce tenus illas Discipulis suis tradiderit, vel ab Apostolorum institutione, vel a tertio quodam Traditionis genere, quæ aliud non est, quam testimonium, quod perhibet Ecclesia Doctrinæ, quam accepit, vel accepisse se putat ab Apostolis, utpote quod eam pleræque Ecclesiæ ab Apostolis principio constitutæ defendant. *Trad. de l'Eglis. 2. Part.*

Deinde, quum omnes Ecclesiæ Consuetudines aliquibus nitantur Fidei Dogmatis, ad hæc iccirco recurrendum, ut perspicuo dignoscatur, an Consuetudo, cujus origo evidenter nota non est, Apostolos habeat auctores. Si enim cum Fidei Dogmatis cohæreat, argumento est manifestissimo, eam divinitus institutam; quemadmodum colligitur, Dogmata, quorum nulla fit mentio in trium, quatuorve priorum sæculorum monumentis, ab Apostolis tradita fuisse, modo id cæremoniæ, & Ritus ab

 initio

initio servati testentur, licet mystica quasi-
De Spir. S. c. 27. dam, obscuraque ratione; „ Traditione (ut
„ inquit Basilius) in mysterio, idest in oc-
„ culto tradita.

Fatendum tamen, invaluisse quandoque in Ecclesia Consuetudines, quæ quum illius auctoritate non firmentur, corruptelis adnumerandæ sunt, quas vel immoderata libido, vel turpis ignorantia, vel imbecillium superstitio intruserit.

Ejusmodi abusus nunquam probarunt Ecclesiæ Patres, quamvis illorum nonnullos ad tempus tolerare coacti fuerint, nempe, donec remedium efficax adhibendi opportuna se se
De Mor. vib. Eccl. c. 32. offerret occasio: „ Non enim (inquit Augusti-
„ nus de Presbyteris, & Episcopis) sanatis
„ magis, quam sanandis præsunt; perpetienda
„ sunt vitia multitudinis, ut curentur, &
„ prius toleranda, quam sedanda pestilentia.

Germani, sincerique Animarum Pastores legitimas duntaxat Consuetudines commendarunt; quas autem ignorantia, error, vel infirmitas induxit, parvi omnino fecere. Et sane apud illos instar axiomatis est, non ea solum ratione amplectendam Consuetudinem, quod antiqua, verum etiam quod Ecclesiæ Traditioni consentiat, aperteque declarant, de iis, quorum usus invaluit, non inanis, pravæ, ac inveteratæ Consuetudinis præjudicium, sed unam veritatem consulendam.

Si quando autem Patres ipsimet antiquæ Disciplinæ limites prætergressi, ab illius severi-

tate

tate pauxillulum deflexerint, gravissimis id certe fecere rationibus, licet nobis ignotis, vel metu, atque ut Regiis Sanctionibus, & Jure Civili morem gererent; vel dispensatione, sive prudenti juris, & regulæ relaxatione, quæ condemnanda profecto non est, modo illam honesta comitetur, & utilis compensatio.
„ Exemplo est Divus Cyprianus, qui licet Neo- *Fleur. Hist. de l' Egl. L. 9.*
„ phytus, ad Sacerdotium evectus fuit, ideoque
„ solutus a lege, quam refert Divus Paulus (31).
„ Verum affirmari etiam potest, tantum ex hac
„ Cypriani in Sacerdotium cooptatione utili-
„ tatis fructum sperasse Pastores, ut labes Eccle-
„ siæ Disciplinæ illata quodammodo resarta vi-
„ deretur

Equidem legis laxamentum non sine prudenti consilio permitti debet. Hinc antiquæ Synodi cavebant quammaxime in sanciendis Canonibus, ne novas inducerent Consuetudines, quas Christiani, ut ait Dominus *Fleury*, paullatim violarent, adeoque ab illarum observatione absolvi peterent. *Ibid. L. 11.*

Baronius primum Schisma in Ecclesia Romana subortum existimat occasione privilegii ad Sacros Ordines, Novatiano irrogati, qui Sacro Baptismate clinice donatus fuerat; atque, quod mirum magis, convalescens Signum Domini ab Episcopo non acceperat.

Ali-

[31] 1. ad Timotheum Cap. 3. ℣. 6. *Non Neophytum, ne in superbiam elatus, in judicium incidat Diaboli.*

Aliquando Patres Ecclesiæ nonnihil accuratioris Disciplinæ remittebant, quo, ut diximus, Imperatorum, Legumque Civilium potestati concederent. Hanc rationem ipsamet Concilia secuta videntur; ac nemo inficias iverit laxatam multoties Disciplinam, dum certam spem conciperet Ecclesia, fore ut pristino splendori, & integritati restituta erigeret se se, atque in grassantes abusus vires exerceret suas.

Can. 10. Concilium Arelatense eos, qui conjuges suas in adulterio deprehendunt, hortatur, ne viventibus uxoribus, licet adulteris, alias accipiant. Hortatur, inquam, non autem jubet, ut aliquam Legum Civilium rationem haberet, quæ subsequens facto divortio Matrimonium non condemnabant.

Marculph. Form. L. 2. C. 30. Et sane divortio locus erat in Ecclesia Latina, atque, ubi semel jure factum pronuntiaverant Judices, Maritus, & Uxor quam maluissent, in conjugem sibi deligere poterant. Pravum hunc fuisse usum, & Christianæ Legi omnino adversum nemo inficiabitur, diu tamen tolerari debuit, antequam ab Ecclesia depelleretur omnino, & eliminaretur.

Hæc constantissima Patrum sententia est, ut ea ferantur humanissime, quæ ferri queunt, & fortiter repudientur, quæ sine ipsius Evangelii contemtu tolerari non possunt. Itaque quomodocunque spectentur, studium suum, optimumque consilium manifeste produnt. Verum vel aliquando prave intellecta, vel per-

peram

peram executioni mandata fuere, quæ Patres rite susceperant. E. g. Libros pœnarum injungendarum Rituales composuerant, qui Confessariis facem præberent, & frænos delinquentibus; illos imitandi prurigo quibusdam incessit, qui ducti non Spiritu Dei, sed Carne, & Sanguine, fucata quadam specie auctoritatis, ea affatim corruperunt, quæ antea sola veteris hominis persuasione corrumpi cœperant.

Qui animadversionibus hisce alias addere cupit, commode id faciet, si adeat Auctores, qui hac in re excellunt; præcipue Divum Augustinum in duabus *ad Januarium* Epistolis *de Ritibus Ecclesiæ*, quæ contemnendæ profecto non sunt.

FINIS

TERTIÆ PARTIS,





DE OPTIMA LEGENDORUM ECCLESIÆ PATRUM METHODO.

PARS QUARTA

De usu Patrum Ecclesiæ.

CAPUT I.

Magna Auctorum, & Librorum copia, quos ad acquirendam Ecclesiasticam Scientiam hactenus proposuimus, Lectorem deterrere non debet.



Axima illa Librorum, Auctorumque multitudo, quos hactenus usque laudavimus, quempiam forte perterrefaceret, nisi certum esset, exploratumque, tempore, ac labore omnia vinci, multoque longius, quam dictum sit, humani ingenii vires efferri posse. Horæ, diei, vel etiam mensis spatium perexiguũ esse videtur: vir tamen prudens, qui nullum temporis punctum perire siverit, multos præter opinionem gravissimis in studiis progressus faciet.

Celeberrimus postremi sæculi Scriptor, de Literaria Republica ob incredibilem librorum copiam optime meritus, tempus cum agro fœcundo conferebat, cui omnigenæ eruditionis semina commisisset, uberrimamque inde segetem collegisset: „ Tempus (ajebat) mea „ possessio „. Et sane concessum videtur homini tempus a Divino Numine, tanquam præclarissimum bonum, cujus ope cætera omnia sibi comparare queat, præsertim vero scientiam, quæ nonnisi diuturno studio, multoque labore acquiri potest.

Hæc suprema (si ita loqui fas sit) ingeniorum dominatrix duo postulat a nobis, videlicet, ut in ea tempus omne, otiumque consumamus, & voluptates omnino repudiemus. Salomon eam adeptus via omnium brevissima, divino scilicet afflatu, nonnisi multo labore, atque industria ut plurimum adquiri fatetur.

Divus Hieronymus refert, Platonem immensos subiisse labores, patriam, suosque deseruisse, ut errantes in variis provinciis, ac veluti profugas Musas sequeretur. Atque ut solo Patrum exemplo utamur, Clemens Alexandrinus proprio victus experimento facilius esse putabat Camelo transire per foramen acus, quam studiosum divitiis affluentem veræ Philosophiæ arcana pervadere. Origenes, ut narrat Eusebius, diem, noctemque ducebat insomnem, humi cubabat, ac solo pane vescebatur, & aqua, ut attentius Sacrarum Literarum

rum

rum intelligentiæ vacaret. Neque vero aliam iniit viam Sanctus Hieronymus, ut tantam, qua pollebat; eruditionem sibi compararet. Omnes, uno verbo, præstantissimi Viri exemplo suo aperte docent, scientias non pati, ut alio cultores sui ducantur, quam illarum amore, vel alio, quam in illis adipiscendis insumant tempus, quod omnino sibi vindicant.

Omnibus hæc persuasa sunt, neque desunt, qui proprio probent experimento, verum perpauci in finem usque perseverant, quod certum quoddam vitæ institutum non teneant, ac statum quotidiano studio tempus non impendant. Præterea non unus omnibus est mentis ardor, non par facultas. Viri literati viatorum fere similes sunt, quorum alii propriam regionem, vicinasque provincias, alii remotas nationes invisunt, alii longissima aggrediuntur itinera, totumque terrarum orbem perlustrant.

Vit. Card. tref.

Ita Macrobius, Aulus Gellius, aliique ne periculo se committerent, nihil suscepere, quod sui ingenii, & artis modum excederet. Cicero, Plutarchus, & Plinius longius progressi, multiplicem, uberioremque eruditionis copiam sibi fecerunt. Contra Democritus, Teophrastus, & Varro nullis adstricti legibus, cuncta nosse, & experiri voluerunt.

Enimvero ingeniorum alia sunt angusta, quæ paucis contenta esse debent, alia tam ampla, ut cuncta aggredi, & comprehendere

se

se posse confidant. Illa, quum sui oblita, æquare conantur posteriora, caligant, aberrant, ac vanitatis studio abrepta ex mediocri etiam sede labuntur, in qua merito constitissent, nisi ea immoderatæ laudis amor ad altiora tulisset.

Qui autem ampliori sunt ingenio, quum non omnem facultatem suam satis perspectam habentes, loco recedunt, se seque in inferiorum ordinem cogunt, turpiter demum excidunt, non, ut temerariis mos est, prætergredientes metam, sed ut solent inertes, & ignavi, qui deficientes animo, eo non valent contendere, quo cæteroquin virtute sua ferri possent. Hac fere ratione illorum virtus paullatim dilabitur, imbecilles evadunt, ac nimia in res exiguas propensione, ad majora minus apti redduntur, ad quæ nati videbantur.

Equidem maxima etiam ingenia ad res levissimas se demittere, mediocria vero ad altiora se se pro viribus suis extollere quandoque debent; hinc enim nihil contemnendum, inde vero corroborandum, amplificandumque est constanti, & firma exercitatione ingenium: eo tamen modo, ut nimius labor optimorum studiorum contemtum, vel fastidium, & satietatem non pariat.

CAPUT

CAPUT II.

De tempore in studiis insumendo, quo utilis, & constans in iis opera collocetur.

PErficiendis studiis alii nocturnum, diurnum alii tempus magis accommodatum existimant. Qui nocturnum aptius, potiusque ducunt, ajunt, quietem, ac silentium, in quo cuncta jacent, ad acerrimas, attentissimasque cogitationes plurimum conferre; atque meditationem, sine qua optima studia institui nequeunt, nunquam opportunius, quam hoc tempore fieri posse, quo sensus ab objectis vacui, quibus interdiu percelluntur, expeditam, solutamque mentem relinquunt, ut intimas cogitationes promere queat.

Plin. L. 3. Ep. 5. Addunt, Romanos sub mediam noctem toto fere anno surgere consuevisse, ut studio vacarent; atque complures Viros eruditione inclytissimos proferunt, qui clarissimos dies in obscuras noctes mutarunt, includentes se domi, velut mortui in sepulcris, medias inter lampades (*Ep. 122.*) (unde vocantur à Seneca *Lychnobii*), quo magis tranquillam studiis operam darent.

Marsil. Ficin. de San. tuend. Qui vero diurnum tempus anteponunt, Viris literatis nihil infestius affirmant, quam longas vigilias; tum immoderata hac cura plusquam cæteris ingenii acumen obtundi, corporis

poris etiam valetudinem conteri: quod argumentis ostendunt, ex astrorum, elementorum, humorumque affectione depromtis, immo ex ipsa cerebri natura, in quo sedes est frigidi, & humidi.

Hyppocrat. de Carnib.

Aristoteles hac in re versatissimus studiosos hortatur, ut surgant primo diluculo, quod tempus corporis, & mentis sanitati omnium est accommodatissimum, atque ad verum Philosophiæ progressum maxime conducit. Origenes scribit, in divinorum Oraculorum lectione, atque meditatione illud temporis spatium impendi solitum, quod a summo manę ad tertiam usque, vel quartam horam vespertinam fluebat. Cardinalis Perronius matutinum tempus studiis insumebat; atque sapientissimus quidam nostræ ætatis Scriptor, diurna studia commendat, vespertina vero, nocturnaque prorsus improbat. Augustus tamen politiorum literarum amantissimus „ a cœna lucubratoriam se in lecticulam recipiebat „ ut optimarum artium studiis vacaret.

Apud Cedr., & Suid.

Svet. in August.

Ast, ut verum fatear, proprias quisque vires, ac proprium animi studium hac in re opportunius consulet. Etenim in omnibus fere gerendis inest nobismetipsis velut insita regula quædam, quam & sequi tenemur, & prætergredi nefas esset. Quocunque tamen se quisque vertat, vel animi propensione, vel alia quavis de causa, ibi consistat oportet, nec diem ullam prætereat, qua non aliquid memoria dignum didicerit.

Vide Gabriel Naude quæst., an matutina studia vespertinis salubr.

Quidam extant homines adeo laborioſi, tantaque corporis valetudine, ut vita carere mallent, quam a ſtudiis abſtinere, quemadmodum refert Plini us Junior de avunculo ſuo Plinio Hiſtorico. Verum non omnes eadem vi pollent, eodemque robore; alii per ſaltum hac, vel illa die ſtudent, ut vel cupidine, vel curioſitate impelluntur; alii ſemel quotidie aliquot horis plus, minuſve; alii demum bis, vel ter ſummo mane, poſt meridiem, & ad veſperam repetitis vicibus ſtudia exercent.

L. 3. Ep. 5.

Hoc unum affirmari certo poteſt, quemadmodum non intermiſſo cibo opprimerentur corporis vires, ſic continuis ſtudiis animum hebetem fieri, ſtupidumque; & ſicuti quamprimum frangeretur corporis, minus quam par eſt, enutriti valetudo, ita mens infirmaretur omnino, quæ ſatis alta non foret. Simili enim modo, quo levem quotidie cibum adhibentes tenuantur, & macie tabeſcunt; pariter qui leviori ſemel in diem ſtudio utuntur, nunquam Poſterorum memoria dignos fructus edere poterunt. Infirma hæc ſtudia, obiterque perfecta cum iis conferri poſſunt Procerum cœnis, quas Renatus *de Beaune* lepide vocat *Cœnas ambulatorias*.

Conſentaneum magis videtur bis, vel ter iteratis vicibus quotidie ſtudere, quam vel animo tabeſcere illorum more, qui paullulum ſtudio vacant, vel hebeſcere, ut illi, qui immoderato æſtu nimium ſtudent. Tantum quie-

tis,

tis, & otii sibi quisque sumere debet, quantum opus est, ut sumta digerantur, & perficiantur; atque curandum, ut gravioribus studiis leviora misceantur, quæ levaminis instar, & oblectamenti reficiant animum, eumque ad diutius, acriusque cogitandum instaurent. Sapientis est famem nec omnino explere, nec modum excedere: quum experientia duce optimi quique cibi præter modum adhibiti nequaquam prosint, multaque sæpius fugiant immoderate legentem; ac demum qui libris volvendis nimium vigilat, plerunque dormitet. Sicuti enim quidam ajebat Philosophus, ita mens nostra comparata est, ut multa indigeat relaxatione, ad aliquam temporis partem in inquisitione veritatis utiliter insumendam. *Cartes. Epist.*

Qui moderatione non utitur, corporis valetudinem periculo committit, quæ alterum est, ut ita dicam, in optimis studiis fundamentum, non secus ac facilis memoria, & præcellens ingenium. Sapientissimus *Charon* acquisitioni scientiarum anteponebat quodammodo sanitatem: nec injuria sane, quum sublata valetudine jaceant scientiæ, atque languescant; ac licet oneri nequaquam sint, parum tamen omnino prosint, parumve delectent.

„ In gravioribus studiis, non secus ac in *Fr.Ful. vit. de F.Paolo.*
„ ludis, intemperantiores multi sunt „. Innumera Eruditorum exempla proferri possent, quos acrior in studiis exercitatio confecit,

 quive

quive nimia mentis intentione, atque immodica studiorum libidine immatura morte obierunt. Nam inter Parnassi, juxta ac cæterarum orbis partium cultores, alii sunt imbecilles, ac fastidiosi, alii deliciarum amantes, alii demum immoderati. „ Legendum est (ut ait „ antiquus quidam Scriptor) multum, non „ multa. Manent (inquit Cicero de Catone) „ ingenia senibus, modo maneat studium, & „ industria: habet aliquod tanquam pabulum „ studii, atque doctrinæ; nihil est otiosa se„ nectute jucundius.

Plato annos natus plusquam octoginta, calamum præ manibus habens, vita excessit. Isocrates, cum annum jam ageret quartum, & nonagesimum, opus scribebat, cui titulus *Panathenaïcus*. Ejus magister Gorgias septimum supra centesimum annum attigerat, quin a legendis, scribendisque libris unquam destitisset. Pater Sirmundus dulce Eruditorum decus, ac venustissimus ætatis nostræ Criticus ad Isocratis usque ætatem perfecta fuit corporis valetudine. Adrianus etiam Politus Senensis, vir doctissimus, testante *Rossy* ejus temporum Scriptore, tres, & octoginta annos vixit, nec Medico, nec Causidico unquam usus: felix sane, fortunatusque, tum jucundissima animi tranquillitate, tum etiam integra corporis valetudine, quæ duo maxima bona, longioris vitæ decursu, vix, ac ne vix quidem una concurrunt.

CAPUT

CAPUT III.

Quæ adhibenda sit in studiis accuratio, ac diligentia.

SAtis habendum non est, ingenii sui vires compertas habere, ac tempus ordinate disponere; plurimum præterea in lectione adhibendum diligentiæ, atque cavendum summopere, ne manum aliis rebus admoveas, & priora deseras, antequam ea perfecte nota sint, explorataque. „ Lectio libera est (inquit Quintilianus) nec actionis impetu „ transcurrit, sed repetere licet, sive dubites, sive memoriæ penitus affigere velis. *Instit. L. 10. C. 1.*

Quoties Liber aliquis evolvendus sit, certo definiri non potest: procul tamen dubio toties versandus est, donec probe perspectus fiat, ac undique notus. „ Repetamus autem, & tractemus, & ut cibos mansos, ac probe „ liquefactos demittamus, quo facilius digerantur; ita lectio non cruda, sed multa „ iteratione molita, & velut confecta memoriæ, imitationique tradatur.

Attamen nisi sermo fiat de rebus difficillimis, atque implicatissimis, vel de intricata principiorum collectione, cui multiplex, & ardua subsit significatio, cujus generis sunt, in Scientiis profanis, Aphorismata Hippocratis; & Elementa Euclidis; in Scientia vero

Theologica Sententiæ Petri Lombardi, *Summa* Divi Thomæ, aliaque ſimilia. Unum, eundemque librum ter legiſſe ſufficiat; primo, ut videatur, qua de re, & quo modo agat; ſecundo, ut analytice, & ad amuſſim expendatur; tertio demum, quo ejus doctrina, ordo, & ratiocinatio ita Lectoris menti inhæreant, ut de iis ſcienter, ac perite dicere, alioſque, ſi opus eſt, valeat erudire.

Verum utiliſſimam hanc legem ſervare non ſemper neceſſe fuerit; non enim latet, optimos extare libros, quos ſemel vidiſſe ſufficit, alioſque, a quorum lectione nunquam abſtinendum: ut Sacræ Scripturæ, iique omnes, qui ſtudiorum veluti baſis habentur, ac fundamentum. Hac de cauſa nonnulli Theologi Auguſtinum, & Philoſophi Ariſtotelem, atque Platonem nunquam e manibus dimittunt. Pari quoque ratione Critici artis ſuæ proprios libros volvunt, revolvuntque: quo modo Henricus Valeſius iterum, iterumque Harpocrationem in decem Oratores Athenienſes legebat.

Henric. Valeſ.

Generatim tamen illud affirmari poteſt, ſive nimis crebram, ſive nimis infrequentem libri lectionem periculo non vacare. Qui enim minus legit, quam par eſt, non omnia, quæ velut in occulto latent, deprehendit; qui vero ſæpius, eo tandem devenit, ut ea etiam, quæ procul abſunt, inſpiciat; ea fere ratione, qua nonnulli curioſi immoderata alicujus rei exi-

ſtimatione

stimatione ducti iterum, iterumque fixo oculorum obtutu, lepores, & elegantias detegunt, quæ, quum uni illorum hæreant cerebro, cæteros omnino latent; vel ut de quodam Auctore dictum est, qui iterata Poetarum lectione ea se demum invenisse putavit, quæ Poetæ ipsimet ne somniarant quidem. In hoc itaque rei cardo vertitur, ut dignoscat Lector quid magis, vel minus universis rebus insit, & huic discrimini, sive varietati pro necessitate, & prudentia se se accommodet.

Equidem, qui ad summum perfectionis apicem contendit, eximium Auctorem, quem imitari satagat, in patronum sibi adsciscere debet. Verum nisi singulari naturæ beneficio selecti Auctoris ingenium aliqua saltem parte sortitus quis fuerit, parum omnino delectu suo juvabitur. Illud naturæ beneficium si tollas, cuncta evanescunt, atque imagines ab exemplaribus omnino specie differunt. Petrarca, quum Virgilium præ oculis haberet, ab ejus stylo magnopere distat: Calvinus, qui omnia Ciceronis opera semel quot annis legebat, Senecæ magis, & Cornelii Taciti, quam Ciceronis stylum expressit; atque parum abfuit, ne universa juventus, quæ ineunte hoc sæculo Justum Lipsium, a cujus ingenio multum aberat, imitandum sibi proposuit, quidquid puræ Latinitatis adepta erat, amitteret.

Reprehensione minus digni videntur ii, quibus librum anteaquam percipiant, quadragesies lecto opus est, ut contigit Avicennæ,

quam qui perfunctorie solum lustrantes nihil omnino intelligendi periculo se se exponunt. Perfunctoriæ hujus methodi usuræ iis ad summum concessa est, qui felix, perspicacissimumque ingenium sortiti, cuncta, ut ita dicam, scientiarum semina in se ipsi continent, vel, qui in earum cultura adeo provecti sunt, ut oculis in Auctorum libros vel leviter injectis, statim, & illico detegant, si quod est illis ignotæ eruditionis Caput. Librum non legisse quandoque parvi refert; at illum, quisquis demum sit, non ea, qua oportet, attentione legisse plurimi interest, immo periculo nunquam vacat. Qui enim non legit, inscitiæ solummodo arguitur; qui vero perfunctorie, & perperam legit, in errorem impingat necessum est.

Nequicquam compendium temporis facere putant, qui molli duntaxat brachio perstringunt Auctores, quibus inquiunt, diutius non immorandum; satius enim multo erit non legisse, quanquam ex vulgari opinione cuncta legenda sint, bona æque, ac mala. Plinius Senior nullum esse, ajebat, adeo ineptum opus, ex quo non aliquod colligeret emolumentum. Verum ille de Historia disserebat, quam conscribendam susceperat, cujus inceptum adeo amplum erat, ut illius perfectionem undique mutuari cogeretur. Deligendi tamen ab eo erant paullo accuratius Auctores, ne inconsiderate, ac justo confidentius tot gesta referret.

Spero

Spero Speronius, quum in eadem versaretur Plinii sententia, alia prorsus ratione ducebatur, ut libros etiam contemtissimos evolveret: Etenim rogatus, cur ineptis ejusmodi opusculis immoraretur, respondit, callidi Latronis esse, in abditis locis, & ab hominum frequentia remotis clanculum furari. Quod tamen responsum probo, honestoque viro minus dignum esse videtur, qui ita animo comparatus esse debet, ut nonnisi præstantissimos Auctores imitari velit, ac debitam illorum nomini, quorum ope profecit in scientiis, laudem tribuere non omittat.

CAPUT IV.

Ab Antiquis, ut fieri potest, Studiorum Methodus est repetenda.

QUI libris apposite, apteque ad rem suam utitur, in literis plurimum profecisse existimandus est, utpote quum inde optimus, felicissimusque Studiorum successus omnino pendeat. Suam quisque sequitur peculiarem studendi rationem; quæ tamen recta dici debeat, una est, in eo sistens, ut ingenii vires omnes, quoad fieri potest, exerceantur, augeanturque.

Apud Antiquos alia vigebat ab hodierna Studiorum ratio. Quum ob librorum inopiam paucioribus operam darent, vires suas experiri

riri commode poterant, atque diuturnæ meditationis subsidio insolita lumina, præclarissimaque scientiarum ornamenta adferebant, unde percrebuit opinio, vel cœlestem ab iis ignem surreptum, vel singulari quodam Numine afflatos, & illustratos esse, quanquam non alius iis adesset Genius, quam eximium a natura ingenium, assiduo labore, studioque excultum, perfectumque. „ Nullum Dæmonem, aut Genium mihi
Cardan. in vita sua. „ adesse cognosco (ajebat quidam Philosophus, qui peculiari Numine ductus censebatur) „ illud bene scio, mihi pro bono Genio datam „ rationem, patientiamque in laboribus magnam, bonum animum. „ Quibus verbis Julium Scaligerum mendacii arguit, cujus ea opinio erat, extare hujusmodi Genios in præstantissimorum Virorum mentem subtiliter se se insinuantes.

Nimiam lectionem improbat Seneca, ab eaque cavebant Philosophi; atque Homerus, qui ante certos quosdam inventos ordines, & modos florebat, meditatione magis, quam lectione ad tantæ perfectionis apicem provectus videtur, ut non modo Poetarum, verum etiam Philosophorum exemplar habeatur. Etenim Plato non sola ingenii sublimitate Homeri exemplum secutus est, sed etiam rerum, verborumque magnificentia, & ubertate.

Græcis, quibus magistris Romani disciplinas referre debent acceptas, proprio contenti sermone, nec alienis incumbentes, totum in meditatione tempus collocabant, quod in Linguarum

guarum jacentium ſtudio, quas nemo unus perfecte aſſequi valet, a nobis inſumitur.

Socrates, Arceſilaüs, aliique Græciæ Sapientes bene, recteque cogitandi arte Auditores ſuos imbuebant; & quum univerſa, quæ tractabant, ad amuſſim expenderent, & ſingulas illorum partes attento animo intuerentur, per ampliſſimas regiones curſum aperiebant, ut facile videre eſt apud Platonem, Ariſtotelem, & Hippocratem.

Hæc meditandi voluntas a centum circiter annis inceſſiſſe videtur inſignibus quibuſdam Viris, ut inclyto Cardano, qui majorem librorum copiam ſcripſiſſe fertur, quam legiſſe; ac Julio Scaligero, qui ſingulari cum laude dicitur ingenio magis, quam ſtudio valuiſſe, contra quam quod de ejus filio Joſepho dictum ſit, qui ſtudio nimirum, quam ingenio præſtitit; qua in re alter Antiquorum, alter Recentiorum magis ſecutus eſt exemplum. *Thom. Illuſtr. Vir. Elog.*

Celeberrimus per totam Italiam Theologiæ Doctor Socratem imitatus fuiſſe fertur in inſtituendis Auditoribus ſuis: ſiquidem præmiſſo rerum delectu ſingillatim expendebat quidquid eis inerat firmi, vel infirmi, rectum etiam, vel pravum earundem uſum, errata, & abuſus, qui paullatim irrepſerant, nec niſi ex optimis, ſolidiſque principiis argumenta ducebat. Singularis videtur hic ordo, neque omnibus fortaſſis arridet, verum adquirendæ rerum cognitioni latiſſimam viam pandit. A paucis ille teneri ſolet, quod inani pompa, & oſten-

tatione

tatione careat: ast metam attingit celerius, meritoque in fine curriculi præmio donatur.

Ecclesiæ Patres meditationi se plurimum dederunt. Solos fere Sacros Codices præcipue primoribus sæculis volvebant. Divus Hilarius (ait D. Peronius) uni, ac soli Scripturæ Sanctæ Libro studuerat. „ Clerici antiquitus, & „ Monachi operam omnem suam in perdi„ scendis Sacris Literis collocabant. In earum „ scientia sistit universa veterum Patrum Theo„ logia; nec aliud profecto continent eorum „ opera, quam Scripturæ Sanctæ verba variis „ modis exposita, simulque consectaria ex illis „ deducta.

Mabill. de Stud. Monast.

Qui vero profana eruditione cæteris præstabant, quidquid in politioribus literis profecerant, ad Verbi Divini intelligentiam conferebant. Origenes in Scholis omnes Philosophiæ, & Mathematicæ partes tradebat, quæ ad Scripturæ Sacræ explanationem, Christianamve morum institutionem revocari poterant. Divus Hieronymus quidquid ab Oratoribus profanis, atque a Poetis hauserat, ad Sacrorum Bibliorum interpretationem convertebat; eodemque utebantur consilio Chrysostomus, & Theodoretus.

Scripturis Sanctis instructi Ecclesiæ Patres secreta loca petentes, altissimoque silentio sepulti, animum extollebant ad Divinæ Sapientiæ contemplationem, cujus suavissimo lumine eo magis illustrabantur, quo arctioribus cum illa Charitatis vinculis erant conjuncti. Ut enim

scribit

scribit Augustinus: Charitas, qua Deo jungimur, nos edocet, & informat. Revera quidem acerrimum cordis, ac mentis studium in Divini Præcepta Magistri plurimum confert ad prosperos in optimis studiis progressus; neque potior ulla ratio adduci potest, cur tot præstantissimi Viri, qui ad Ecclesiæ defensionem hactenus usque scripsere, tantis divinitus beneficiis cumulati videantur.

Quanto fuerit emolumento hæc meditandi ratio, dum viguit, vix dici potest, aut credi. Verum deficientibus temporis successu antiquis fontibus, atque una primævis ingeniis, hæc mentis contentio paullatim remittere cœpit. Expeditius visum est, atque facilius veterum monumenta Patrum adire, ac debitum illis honorem præbere, quam contemtus periculo se se committere, recentia proprio marte fingendi libidine. Itaque, qui posterius floruere Scriptores, seposita meditatione, longissimis se totos dedere lectionibus, sed parum utilibus, quæ sitim afferunt, ne dum expleant.

Eorum, qui hanc viam inierunt, facile princeps dici potest Divus Hieronymus, nodos identidem propositos solvendi necessitate compulsus. Quum enim non ita semper vacuus esset, ut tantum meditationi tempus concederet, quantum opus esse videbatur, Antiquorum doctrinam referre satis habebat. Divus Augustinus, eam rationem minus crebro adhibuisse videtur, præcipue in Libris Polemicis, in quibus propria ejusdem Augustini medita-

tio

tio pluries se prodit. Verum post Gregorium Papam, qui totum fere exscripsit Augustinum, plerique Scriptores Ecclesiastici, semotis proprii ingenii fœtibus, potiorem in eo curam posuere, ut antiquos Patres describerent, ac illorum studiis, atque laboribus fruerentur: tum scientia non ex novis, ut olim inventis, sed ex uberiori lectione, atque ex majori locorum communium copia æstimari cœpta est.

Hinc Compendia, & Epitomæ, quas Cancellarius Bacco *Vadum Scientiarum* vocat, quod in altitudinem fere depressa non sint. Hinc quædam opera sub *Catenarum* nomine, quod in iis varia Auctorum placita de uno, eodemque argumento connexa videantur. Inde etiam petenda est quorundam operum origo, quæ, quum majori diligentia elaborata sint, nihil tamen continent præter collectas Patrum sententias potius, quam verba.

Hoc scribendi genere præstitit Venerabilis Beda, octavo Ecclesiæ sæculo; sic enim Antiquos descripsit, ut de suo nonnihil addiderit. Bedam complures imitati sunt magis, minusve prospero successu, pro majori, vel minori ingenio, ac facultate. Quamvis enim Sapientes deficere viderentur, sublucebant identidem parvæ quædam scintillæ ex Veterum cineribus excitatæ.

Sub ea tempora Antiquorum documenta in ordinem cogi, ac Religionis Dogmata ad suprema quædam capita revocari cœpere, qui-

bus

bus velut totidem membris conflatum tandem est universæ Theologiæ corpus, quo hodiernis temporibus utimur. Ast dum florerent Compilatores, peculiaris studiorum methodus excogitata fuit, quæ tum propter antiquitatem, tum ob Ecclesiæ utilitatem pluris faciunda est. In transcribendis Patrum operibus ea versabatur; quamobrem & multæ lectionis libidinem explebat, & meditationi, in qua studium fere omne ponebant Veteres, locum præbebat. Iis enim persuasum erat, fore ut iterum, iterumque transcriptos Auctores demum imitari discerent. Demosthenes bis, & vigesies Thucididis opera transcripserat, quo ejus eloquentiam imitatione sibi compararet. Andreas etiam Dudithius Lutheranus, Vir apprime doctus, qui postremis hisce temporibus Antiquorum exempla sibi proposuerat, ter integrum transcripsit Ciceronem.

Aliam instituit Divus Bernardus sæculo duodecimo, eamque nobiliorem studiorum rationem, sive potius antiquam, longo prudentissimorum Virorum experimento probatissimam recepit. Quamvis enim Sanctorum Augustini, & Gregorii Papæ volvendis operibus incumberet, Sacris tamen Libris studebat inprimis, atque meditatione potius Verbi Dei, quam Commentariorum lectione veritatem indagabat. Ita demum res tractare consuevit, ut antiquos Ecclesiæ Doctores non tam exscribere, quam scribendo æquare videretur.

Sæculo

Sæculo sequenti eandem iniit viam Doctor Angelicus. Quum enim plurima uteretur lectione, seque totum disputationi dedisset, nunquam tamen ad Christum Jesum, velut ad præcipuum Institutorem suum non revertebatur. Verum Scholastica Christianas Scholas invadens, immoderatam secum una laxitatem invexit, atque derelictis Scripturis Sacris, necnon Ecclesiæ Patribus, Theologiæ studiosi ad inanes speculationes, futilissimasque cavillationes, quæ infirmi potius, quam acris ingenii argumenta sunt, se totos converterunt.

Patrum, & Conciliorum studia jacuerunt omnino, atque mos inolevit, ut nihil eorum addisceretur, præter pauca, quæ in Scholasticorum Summis, & Juris Canonici Peritorum operibus collecta reperiebantur; Magistri vero compilatorum errata, & hallucinationes velut oracula, atque inconcussa axiomata bona fide tradebant.

Ultima tandem, eaque maxima perturbatio allata est, quum scriptis præcepta tradendi perniciosissimus mos invaluit: tunc enim autographa Antiquorum monumenta omnino neglecta sunt. Quum primum Aristoteles in Parisiense Lyceum invectus fuit, nonnulli duntaxat ejus Libri legebantur: progressu autem temporis quædam a Magistris Scripta tradi cœperunt, quibus non tota contineretur Philosophia, sed solæ illius prælusiones, ac paucæ quæstiones, quæ *Prolegomena* dictæ, quum ad solvendas difficultates conducerent,

Lamy entret. sur les Scienc.

ad

ad Philosophiæ studium adolescentum ingenia præparabant.

Excrescentibus in dies Magistrorum Scriptis improbari cœpit hæc docendi methodus, ac Professores, vulgo dicti Lectores (quod antiquitus Scripta legerent solummodo, non autem dictarent) jussi sunt a dictando abstinere, totumque tempus in legendis, ac viva voce explicandis antiquis Philosophis insumere.

Prisci Ecclesiæ Presbyteri, teste Clemente Alexandrino, a scribendo abstinebant, ne tempus meditationi necessarium, vel tradendis præceptis destinatum alio impenderent. Viget ea consuetudo etiamnum in nonnullis Societatibus, ut omissis Scriptis, sola Antiquorum lectio adhibeatur. *Hippo-typ.*

Non inficior quidem, Scriptis memoriam juvari, iisque Auditores de plurimis rebus, quæ attentissimos etiam, diligentissimosque fugiunt, fieri certiores. At experientia tamen liquet, hac methodo segnes reddi potius, ac inertes, quam doctos Viros, qui Reipublicæ prosint, mediisque Scriptis, quæ nunquam fere leguntur, non scientias adquiri, sed scientiarum speciem, & umbram, ut inquit eregie Plato. *In Phædr.*

Verum quia contra torrentem niteretur, qui consuetudinem in omnibus hac tempestate Athenæis receptissimam condemnaret, præcipue quum defensoribus suis, suisque commodis non careat, poterit quisque singillatim recentium quorundam Eruditorum exemplo

Scripturas Sacras adire, Concilia, & Patres, atque optimos inde fructus altiori, graviorique meditatione colligere.

CAPUT V.

Quis usus Annotationum, & Collectionum.

IN more positum erat apud Græcos, atque Latinos ad ea, quæ probanda, vel improbanda videbantur, notas apponere. Svetonius Notarum Collectionem ad hunc usum confecerat; Diogenes Laertius de Annotationibus loquitur, quæ sua ætate Platonis adhuc operibus appositæ legebantur, atque ad indicandas peculiares Auctorum opiniones, graves sententias, ac quidquid demum emendatione, mutatione, vel detractione dignum est, a Criticis adhibebantur.

Suid.

Quidam Aristophanis Interpres Notarum calculum exhibet, quibus Poetæ, publicæ præ cæteris censuræ obnoxii, distinguebantur. Aristarchus Homeri flagellum peculiares scripserat Annotationes, sive potius jam inventis pro libito utebatur. Atticus miniata cerula notare solebat, quæ in Libris Ciceronis reprehendenda existimabat. D. Hieronymus Asteriscos memorat, & Obelos, quos adhibebat Origenes, & adhibuit ipsemet post Veteres Grammaticos Scholiis in Sacram Scripturam.

Apud

Apud Divum Epiphanium, & Isidorum Hispalensem nomina extant, & signa veterum Annotationum, una cum earundem expositione. Duplex illarum genus agnoscit Sixtus Senensis: *Notæ Literatæ*, & *Notæ Illiteratæ*. Priores selectæ sunt alphabeti literæ; posteriores autem signa ex industria facta, quibus, ut lubet, uti quisque potest.

Hæc omnia manifestissime ostendunt, quanta olim diligentia, & accuratione legerentur Auctores, nihilque Veterum censuram effugisse; neque enim satis habebant illi res omnino malas suggillare, dubia præterea, æquivoca, obscura, supervacanea, mutilata, supposita, transposita, necnon assuta notabant.

Nonnulli hodiernis temporibus atramentum, rubricam, vel alium colorem eodem fine adhibent. Verum, qui libris suis pro arbitrio uti queunt, omissis coloribus hisce, vel aliis, ut placet, inventis signis, Annotationes suas indicare poterunt. Itaque, quum notata relegent loca, copiosissimos brevi tempore laborum suorum fructus percipient. Hæc via est omnium brevissima, eademque tutissima. Quum enim suo quæque loco sita maneant, facilius multo explanantur dubia, si quæ occurrunt, quam si in unum collecta forent; nam si proprio loco amoveantur, ægre admodum intelliguntur, propterea quod iis, quæ in toto opere antecedunt, vel consequuntur, connexa nequaquam sint. Hinc bene multi suis, vel aliorum Collectionibus unice freti Scrip-

turis sæpe Sacris, Ecclesiæ Patribus, atque Auctoribus, alienam prorsus ab eorum mente interpretationem affinxere. Fieri quippe vix potest, ut a proposito non deflectat, qui loca solum expendit a propria libri sede sejuncta.

Præter Annotationes in usu etiam erant apud Antiquos Collectiones. Plinius Senior, ut a Juniore refertur, una simul *adnotabat*, *excerpebatque*. Seneca Philosophus ex iis, quæ legerat, optima quæque colligere consueverat; quod & Augusto familiare fuit, qui factas Collectiones amicis benigne, ac liberaliter impertiebat.

Erudiendis filiis suis Noctes Atticas elucucubravit Aulus Gellius, quas ex optimorum Auctorum lectione, atque illustriorum amicorum collocutione collegerat.

Strom. 1. Divus Clemens Alexandrinus Stromata sua commendat, appellans „ sepositos Commentarios, quasi viaticum senectutis, & „ oblivionis remedium; ut (inquit) sint nobis imago quædam, & species adumbrata „ efficacis illius, animatæque doctrinæ, quam „ a Viris beatis, & commemoratione profecto dignissimis audire meruimus. Horum „ alter in Græcia Jonicus, alter in magna „ Græcia fuit.... Alii autem in Oriente vixe„ runt, &c. (1).

Quum

[1] Quem hoc loco præcipue commendat Divus Clemens Alexandrinus, docente Eusebio Hist. Eccl. L. 5.

„ Quum aliquid memoria dignum accepiſſent Veteres, quod per tempus ſcripto mandare non poſſent, *ponebant ſigna*; ſcilicet generalibus quibuſdam obſervationibus adinſtar analyſis illud notabant, ut omnes illius partes memoria tenerent, quum per otium literis conſignare liceret.

D'Acier ſur Horace Satyr. 4. L. 2.

Id genus adnotationes Philoſophi vocabant ὑποσημειώσεις, & Plato in quodam Theetetis loco appellat ὑπομνήματα, ubi Euclides Terpſioni roganti de colloquio, quod habuerat cum amico ſuo, reſpondet, difficulter omnino ejuſmodi confabulationem viva voce deſcribi poſſe: verum, inquit, domum reverſus nonnullas Annotationes in habitum colloquium exaravi, deinde vero, quum liceret per otium, adjectis obſervationibus meis illud ſcripto conſignavi.

Ad illarum, ni fallor, exemplum fiunt hoc ſæculo Collectiones, quibus memoranda præſtantiſſimorum Virorum dicta ab oblivione ſerventur. Aſt, ut verum fatear, multum, atque adprime neceſſarium deſideratur in illorum delectu judicium.

Eadem fere dici poſſent de multis, quas legendo plerique factitant, Collectionibus. Earum

L. 5. Cap. 11. ille eſt „ Pantænus Philoſophus, qui, (ut ait idem Euſebius Cap. 10.) Alexandrinæ præfuit „ Scholæ, ubi partim viva „ voce, partim ſcriptis „ Divinorum Dogmatum „ theſauros expoſuit, „ temporibus Clementis Alexandrini.

rum usus magnopere commendandus est; ast ita plerunque indiligenter, & inconsiderate, fiunt, ut noceant magis, quam utilitatem ullam adferant. Ut vero non inutiliter fiant, ea inprimis ætate suscipiendæ non sunt, qua mens suam maturitatem nondum assecuta, admirari obvia quæque apta est, potius quam sedulo dijudicare; vel, si ea ætate suscipiantur, Magistro duce, qui singulari doctrina, exquisitoque judicio præstet, sunt perficiendæ.

Deinde nihil omnino ab Auctoris cujuscunque libro excerpendum, antequam totum, & quidem pluries perlectum fuerit, ne fucato nitore quis deceptus nugis, atque quisquiliis intentus, a proposita lectione deflectat. Ea quidem vigebat antiquitus consuetudo, ut qui transcribendo librorum studiis vacarent, ad calcem uniuscujusque paginæ, dum atramentum siccaretur, Collectiones suas apponerent. Verum otium, quo fruebantur Amanuenses, ad res optime deligendas, digerendasque, illius methodi vitium supplere videbatur.

Tertio loco tam apte disponere, eoque ex ordine suas collocare oportet Collectiones, ut in illarum usu mixtum inveniatur utile dulci. A plerisque enim ita factitari solent Collectiones, ut res continenter, atque ut ante oculos illis obversantur, scribere satis habeant, ea tamen mente, ut tabellis postea recorrigant, atque ad vocabularii formam redigant.

Alii

Alii vero accuratiores in disponendis Collectionibus suis ordinem Magistri Sententiarum, vel Divi Thomæ sequuntur, qui rebus Theologicis accommodatissimus est; utpote quæ seriem postulent, atque connexionem, ut iis Lector cum laude uti possit.

Nonnulli vero ordinem Decreti Gratiani sectantes, ea, quæ excerpunt, ad generales quosdam Titulos referunt, ac characteribus arithmeticis Lectorem ad loca annotata remittunt. Quo pacto Cardinalis *Caraffa* ex Epistolis Gregorii Magni insignia loca collegit, quæ Disciplinam Ecclesiasticam spectant. Sic quæ in hujus Pontificis Epistolis ad Ecclesiæ Præsulum inaugurationem attinent, ad Titulum *de Consecratione Prælatorum* reducit, atque characteribus arithmeticis indicat loca Epistolarum, ex quibus Gregorii Magni mens, & verba dignosci possunt. Hæc methodus Juris Canonici Peritis sollemnis, ac familiaris, bene multas tollit supervacaneas lucubrationes, ac dummodo conjunctam habeat in proferendis Auctorum locis diligentiam, & fidem, plurimum levat, adjuvatque Lectorem.

Omnium autem pulcherrima, necnon utilissima Collectionum methodus illa est, quam tenet Photius in sua Bibliotheca, ubi Libros recenset, quos pervolverat, dum in Assyriam legatus foret. Nihil est non perfectum, nihil non summe probatum, ne ipsa quidem excepta, qua scribere videtur, incondita simplicitate. Nulla utitur arte, at sincerus tamen

ille, naturalis, minimeque fucatus lepor, cui immensa eruditionis varietas conjuncta est, Lectorem admiratione capit, summeque delectat.

Schottus hanc Photii Bibliothecam nimiæ oscitantiæ redarguit; quamobrem memoriæ magis juvandæ, quam Libri Posteris mandandi causa ab eo scriptam fuisse existimat. Pontanus vero non solum indiligentiæ in exponendis Librorum argumentis insimulat Photium, verum etiam inconsiderantiæ, atque temeritatis, aitque, nullo delectu adhibito, ut a Notariis acceperat, ab eo vulgata fuisse. Verum ad depellendam a tanto Viro hujus culpæ suspicionem, plurimum facit, quod ait Henricus Valesius, multa scilicet, quæ in hac Collectione leguntur, assuta fuisse; ac vero similiter a compilatoribus supposita, qui augendæ Bibliothecæ studiosi eam omnino fœdarunt, atque deturparunt.

Pontan. in Theophylact.

Utcunque se res habeat, omni prorsus erroris periculo vacat, qui ex ista Photii methodo Auctoris, quem legit, nomen, Patriam, mores, ætatem, qua floruit, quot etiam, & quæ sunt illius opera, atque præ cæteris singularem illius stylum, & ingenium distincte notat. Hæc enim omnium est aptissima ratio, ad multas Auctoris vias indagandas, certeque persequendas.

Si vero rei dignitas postulet, Auctoris doctrina fuse, lateque exponi debet. Illius Analysis primum instituenda, tum præcipua Auctoris,

ctoris, ejusque Adversariorum argumenta, & allata responsa notanda sunt. Non enim nisi auditis utrinque disputantium momentis, æquum de disputatione judicium ferri potest. Sin autem controversia vel auctoritate Ecclesiæ, vel communi Doctorum consensione finita sit, sententiam totidem, quibus concepta est, verbis describet.

Photius Tractatuum, quos legerat, ampla etiam excerpta quandoque exhibet. Qua in re plurimam apud Posteros inivit gratiam, quum ex veteribus Autographis monumentis non pauca interierint. Hodiernis vero temporibus, quum plerique manuscripti Codices typis vulgati sint, operam perderet, qui iis exscribendis vacaret, nisi forte fortuna perrari forent, maximique momenti.

Sicuti Auctori diutius immorandum non sit, silentio præterire poteris, vel paucis omnino verbis perstringere, quæ de illo, ejusque operibus dicenda sunt.

Immo vero ab optimis etiam Scriptoribus non omnia colligenda, quæ animum illico percellunt, neque in omne argumenti genus longius excurrendum. De Fidei quidem Dogmatis paullo uberius differendum, quod plurimum intersit eas res copiose, nitideque exponere, quæ levissimam etiam suppositionis speciem refugiunt. Historica gestorum narratio contractius fieri debet, eodemque modo tractari, quo Disciplinæ capita, ita tamen, ut præcipua non negligantur adjuncta, quorum silen-

silentium plurimam in statu quæstionis varietatem afferre potest.

In explanandis Sacris Literis majori etiam incedendum est circumspectione. Cavendum, ne quid iteretur, ne levioris momenti Annotationes fiant, alioquin infinitum excrescerent.

Ad Morum Doctrinam quod attinet, nunquam satis diligens præparatio, & cautio adhiberi potest. In eam quippe ut plurimum irrepunt errores, quod multa fucato colore, & quadam virtutis specie ornata, sponte sua se offerant, nulloque negotio colligantur. Sententiæ sententiis congeruntur; ac quum non omnes Lectores exquisito semper judicio sint, inconsiderate, avideque cuncta excipiunt; quæ mox eadem facilitate relinquunt: uti pueris evenire solet, qui conchas in litore primum inventas præpropera festinatione colligunt, quas statim, & illico abjiciunt, ut alias pari inconsideratione congerant, ac tandem domum vacui revertuntur, nec alium laboris sui fructum referunt, præter maximum fastidium, magnamque virium lassitudinem.

Præter res magni momenti, breves etiam a Patribus excerpendæ sunt, acerrimæque sententiæ, quibus amplissimæ notiones, ac multa eleganter, nervoseque dicta continentur; quanquam illorum eloquentiam qui sibi parare studeat, memoriæ potius figere debet, quam literis exscribendo mandare.

Quæ

Quæ ad singularem gratiam, & *unctionem*, ut ajunt, in operibus Patrum dispersam attinent, missa facimus; eadem cura, eademque sollicitudine, qua ab Israelitis Manna colligenda est. Verum hæc ad cordis officium, de quo nihil ad præsens institutum.

Quum novas Lector cognitiones adipisci pergit, tollet a Collectionibus quidquid superfluere videtur. Notis eas illustrabit, atque pro viribus perpoliet, perficietque. Satius quippe multo fuerit exacto studiorum curriculo vel unum librum scripsisse, ut præstitit Photius, quam multa locorum communium spissa volumina, quæ nullius futura sint utilitatis.

Ac ne laborum fructus amittat, diem singulis hebdomadis, hebdomadam singulis annis religiose statuat, ut excerpta recognoscat, seriaque meditatione consideret. Hæc, vel similia ni præstet, quæ longo annorum spatio collegit, difficile admodum perspecta habebit, explorataque.

Doctissimus quidam hujus ætatis Scriptor nonnihil ex suis Collectionibus stata singulis diebus hora ediscebat; qua ratione, quum memoria teneret, quæ ex optimis Auctoribus sapientissime delegerat, Vir omnibus numeris adeo absolutus esse videbatur, ut meliorem illo Scriptorem non quæreres. *Enfans celebres par leurs etudes. Vertus.*

Ut autem hæc prospere succedant, quæ diuturno labore collegit, illa sui juris facere assuescat, eamque teneat in finiendis contro-

verfiis

versiis rationem, quæ lucernam non oleat, præstantiora Auctorum loca imitari studeat; atque de suo nonnihil addat: ut enim ait Quintilianus „ nihil crescit sola imitatione „.

CAPUT VI.

Quis adhibendus sit modus in eorum usu, quæ ab Ecclesiæ Patribus colliguntur.

QUum Lector evolvendis Patribus multos insumserit annos, atque multiplici eruditione ornatus fuerit, manum operi admovere potest, suorumque laborum fructus modeste, liberaliterque in vulgus edere.

Quæ res, quum multis modis præstari queat, ab ea nemo pene dixerim se jure excusare potest. Revera quantulumcunque sit Lectoris ingenium, ea, quæ in amplissima Patrum Ecclesiæ lectione collegit, facillime reportabit, atque opus Posterorum existimatione dignum componet.

Ea quisque ut plurimum excerpit, ad quæ propriam habet a natura facultatem. Orator Eloquentiam, Historicus Historiam, Philosophus Philosophiam, &c. Ecclesiæ Patrum lectio, cui generatim apponi possunt Annotationes de Vocibus, de Doctrina, de Eloquentia, ac verborum Constructione, omnibus faciet satis. Grammaticus, vel Criticus pro studio suo,

suæque

suæque artis regulis optimas Patrum Editiones Scholiis, atque eruditis Notis locupletata vulgabit, vel Vocabulariis eorum loquendi rationem illustrabit; Theologus Fidei Dogmata explanabit; Orator illorum opera eleganter, diserte, eruditeque disponet: quæ quidem ornamenta præ cæteris summam Operibus existimationem conciliant.

Verum ad hæc prudentibus Viris, atque perspicacibus opus est, qui facultatis suæ conscii, & æquissimi rerum æstimatores nullam ineant viam, qua non recta ad propositum finem ducantur; alioquin omnia susdeque vertentur, atque tantum aberit, ut Literaria Respublica eximiis ditetur operibus, quin potius monstruosis expilationibus, turpissimisque lucubrationibus repleatur.

Non omnis fert omnia tellus, ac bene ordinatam rerum seriem perturbat, qui postulat a simplici Grammatico, ut Theologicas, atque Polemicas agitet quæstiones, vel contra petat a Scholastico, ut Oratoris personam gerat; nisi forte ejusmodi sint illorum ingenia (quod raro admodum contingit) ut quodvis argumentorum genus digne, &, ut par est, pertractare valeant.

Nihil adgreditor, quod non ante probe dispositum habeas, atque ad felicem exitum perducere queas. Parata sint omnia, & quidem prudenter delecta; nec quidquam temere, & casu colloces, sed ex præconcepta operis forma. Tanta demum res dexteritate

tra-

tractentur, ut ab Auctoribus erutæ, novam in Architecti manibus formam suscepisse videantur.

Cicero, quum Libros *de Officiis* scribere proposuisset, ab antiquis Philosophis, ac præsertim a Panaetio excerpsit, quæ ad hunc finem felicius conducere putabat. Hæc tamen aliunde sumta tam apte disponit, ut non ab aliis mutuata, sed ex ipsius penu depromta videantur.

Eandem secutus est viam Plinius in Historia Naturali, quæ aliud fere non est, quam perfectissima innumerabilium, quos hac mente pervolverat, Librorum Collectio. Propria Auctorum, quibus utitur, vocabula rarissime usurpat. Ea pro arbitrio componit, ac tam solerter, venusteque exornat, ut sua omnia, nihilque externum esse videatur.

Latini, quum proprio sermone scriberent, de verbo ad verbum haudquaquam exscribebant Latinos Auctores, quibus utebantur; Græcos autem, quum proferrent, ut legentibus magis probarentur, latine reddebant.

Patres Ecclesiæ, præsertim vero, qui quarto, & quinto sæculo floruere, superiorum lectione adjuti, quidquid optimum excerpserant, summatim perstrictum, operibus suis perinde inserebant, ac si proprio marte finxissent.

Sæpe tamen alia incedendum est via, puta in Tractatibus Polemicis, atque Disceptationibus Theologicis, quarum definitio ex Scripturis Sanctis, & ex Traditione pendet. Ea

quippe

quippe loca omnia, quæ ad rem faciunt, iisdem omnino verbis sunt proferenda.

Eadem in operibus Critices servanda ratio, sed moderate tamen, Auctorum locis sedulo distinctis; adeo ut bene composita, ordinataque partium structura ingenii ubertatis, atque inventionis defectum suppleat.

CAPUT VII.

Novas Patrum Editiones vulgare ad eos solummodo jure quodam spectat, qui in eorundem Patrum lectione diu, multumque se exercuerunt.

CErtum est apud omnes, indubitatumque, novas Patrum Editiones ab iis jure quodam duntaxat in vulgus proferri, qui diuturnum tempus in iisdem legendis consumserunt. Tot enim, tantæque difficultates objiciunt se se adgredienti, ut nisi diuturno experimento, altissimaque eruditione fuerit ornatus, eas superare nullo modo possit.

Antiquissimis, ac melioribus exemplaribus uti, singula expendisse, necnon invicem contulisse, errata notasse, variasque lectiones collegisse, hæc, inquam, omnia magna quidem, sed non satis sunt; atque nisi altera alteri lectio, vel emendatio anteponatur, quod sine

perfecta

perfecta Auctoris linguæ, & doctrinæ cognitione fieri nequit, genuinus Auctoris sensus a falsis, incertisve conjecturis secerni forte fortuna non poterit.

Nisi Patrum doctrina funditus nota sit, perspectaque, iis affingentur sensa ab eorum mente prorsus aliena, universaque demum Theologia susdeque vertetur. Hoc modo quidam Critici non bene explorata Origenis Doctrina, & Librariorum errore decepti, qui in undecimam illius *in Leviticum* Homiliam irrepsit, Origenem sensisse putarunt venialia a lethalibus delictis non differre, quum tamen inter hæc duo apertissimum alibi ponat discrimen (2).

Similiter, qui Auctoris stylo, ejusque ætatis sermoni non assueverit, ut vitet barbarismos, qui apud quosdam Auctores notandi non sunt, utpote illorum ingenio convenientissimi, facillime unam pro altera lectionem accipiet, atque germanum sensum turbabit.

Erratum hoc apposite notavit *D. du Cange* in quibusdam Criticis, qui mediæ ætatis Scriptores

[2] Præcipue vero Hom. 9. *in Ezech.*, ubi ait: „quod „ inæqualia sint peccata „ Scripturis utentibus nulli dubium est. Alia quippe magna, alia minora „ ab iis esse dicuntur. „ Lege etiam Hom. 10. *in Exodum*, Hom. 12. *in Levit.*, & Hom. 23. *in Numeros*. Demum Hom. 15. *in Levit.* „ in gravioribus „ (inquit.) criminibus „ semel tantum Pœnitentiæ locus conceditur; „ ista vero communia, quæ „ frequenter incurrimus, „ semper Pœnitentiam recipiunt, & sine intermissione remittuntur.

tores corrigere agressi, deletis audacter barbaris vocibus, alias in earum locum reponunt, quas argumento magis accommodatas putant, magisque convenientes, quanquam iis in locis aptiores illæ non sunt, quæ ad Latinæ Linguæ puritatem magis accedunt, sed quæ, qualescunque demum, ad Autographum Scriptoris exemplar revera pertinent.

Marculphus, qui colligendis antiquæ Jurisprudentiæ Formulis operam dedit, Barbarismis undequaque scatet, crassissimisque solœcismis. D. tamen Bignonus, qui Marculphum edidit, eruditisque Annotationibus locupletavit, hasce maculas non modo non abstulit, verum etiam ex industria reliquit, tanquam monumenta antiquitatis, sive potius styli, qui Marculphi ætate vigebat, quum ignoratione, atque barbarie cuncta tenerentur.

Eadem fere se prodit linguæ rusticitas apud Gregorium Turonensem, atque Eginardum, quos incauti quidam Critici emendandos susceperunt. Qua in re ab Auctorum mente plurimum aberrarunt, præcipue Divi Gregorii, qui Historiæ suæ initio declarat, Grammaticæ regulas a se infractas fuisse, non ignoratione, sed ut tempori morem gereret; ac Populis, qui rustico huic sermoni assueverant, ut loquuntur Patres Concilii tertii Turonensis, qui *rusticam Romanam Linguam* illum appellant.

Plerique postrema ætate Critici proprio magis ingenio ducti, quam accurata Patrum

doctrinæ, ac ſtyli cognitione, omnia invertcrunt in illorum operum Editionibus. Non modo meris, levibuſque conjecturis primigenia exemplaria emendarunt, verum etiam, quod longe maximum, ſuas pſeudocorrectiones textui inſerere auſi ſunt, ut erudite notat Abbas *De-Billy* in Editione Arnobii a Galeno vulgata. Quamobrem illorum temporum Editiones pluris habendæ non ſunt, quam rudes quædam, & impolitæ illarum formæ, quæ ab octoginta circiter annis prodierunt. Neque vero movent nos duo, quæ profert argumenta Guillelmus *Cave*, inter Anglicanos Novatores Scriptor non ignotus, ut ad primas Patrum Editiones recurrendum oſtendat; ſcilicet, quod ex optimis, fidiſſimiſque Manuſcriptis, quæ hodie non extant, perfectæ ſint; deinde quod ante natas Catholicos inter, & Sectarios controverſias vulgatæ, corruptionis argui nequeant. Etenim, qui novas ſuſcipiunt Editiones, nunquam non conſulunt veteres, quas Guillelmus *Cave* tanti æſtimat: deinde ut omnis perfidiæ, ac corruptionis ſuſpicio amoveatur, curant quammaxime, ut varias Lectiones, adeoque omnes notiones referant, quæ Patribus Eccleſiæ ſubeſſe poſſunt. Præterea illarum Editionum pleræque mutilatæ ſunt, numero etiam pauciſſimæ lucem aſpexerunt. Omnium vetuſtiſſima eſt Divi Auguſtini Editio anno 1468. vulgata, quo ex tempore ad Reformatam uſque, ut ajunt, Religionem, atque

cor-

correctam, vix paucæ prodierunt (3). Quod enim attinet ad Editiones Erasmi anno circiter 1516. vulgari cœptas, parum illius testimonio fidei tribuendum est, quum propriis hic Auctor conjecturis paullo liberius confiderit.

Monachi Benedictini Congregationis Sancti Mauri felici prorsus successu Ecclesiæ Patrum Editiones vulgarunt, quod bene multis fruerentur commodis, quæ nemini fere concessa sunt. Magna inprimis Manuscriptorum multitudine potiuntur, quæ si tollas, nihil erit satis castigatum, nihil probe authenticum. Hæc desiderantur plerunque privatis viris, qui ejusmodi opera aggrediuntur, ut exemplo sunt Rhenanus, & Horstius, quorum primus Cyprianum, alter Bernardum vulgantes, quum maximo cæteroquin pollerent ingenio, ac facultate, Codicum Autographorum inopia, Literariæ Reipublicæ satis omnino facere non potuerunt.

Sicut vero res feliciter successit, ut Savilio in Græca Divi Chrysostomi Editione, infini-

[3] Edita fuit anno 1498. Lutetiæ Parisiorum *Epistola Divi Polycarpi ad Philippenses*, una cum Operibus Dionysio Areopagitæ adscriptis, necnon undecim Epistolis, quæ sub nomine Sancti Ignatii circumferuntur. Prodiit etiam *Apologeticus* Tertulliani Venetiis anno 1497., una cum operibus Lactantii, ac nonnullis D. Chrysostomi Lucubrationibus, & Eusebii præparatione Evangelica &c. Anno autem 1512. complura Origenis Opera vulgata fuere Parisiis &c. quæ quidem omnes Editiones contemnendæ profecto non sunt.

tis opus fuit laboribus, & sumtibus, quibus plerique eruditi impares sunt; quemadmodum testatur doctissimus iste Anglus amico suo Sebastiano Tengnagelo roganti, ut Principes Dominos suos duobus Chrysostomi exemplaribus donaret. Epist. 5. „ Chrysostomi exemplar octo „ constans magnis Voluminibus, infinitis laboribus, immensis sumtibus conquisitum „ facilius erit vestris Principibus emere, quam „ mihi donare, jam prope omnibus facultatibus exuto. (4)

Deinde privatus quilibet vir in ejusmodi operibus longius progredi nequit, ac multum sane laudis meretur, si toto vitæ tempore, vel unum mediocriter amplum Auctorem consulto, accurateque in lucem proferat. Erasmus quidem plures Græcos, Latinosve Patres edidit. Verum non omnes Erasmo pares; atque (absit invidia verbo) de Literaria Republica multo meritus fuisset, si pauciora agressus, accuratius ea, & diligentius perfecisset. Conjecturas facere, nullius illi res erat negotii, labor autem instar ludi; atque quum tanta effet

(4) Immo vero nec ipse quidem Savilius ob eandem Codicum Autographorum inopiam satis omnino facere potuit Literariæ Reipublicæ. Bene multa reliquit loca mutila, imperfectaque, præsertim vero in Homiliis; quæ quidem nonnisi postremis temporibus emendata fuerunt, & absoluta, auctore D. Montfaucon, qui Italiam peragrans, easdem Homilias Manuscriptas invenit, unaque simul complures alias Divi Chrysostomi lucubrationes, quæ nunquam in lucem editæ fuerant. Eas autem vulgare cœpit anno 718. tredecim Voluminibus contentas.

esset nominis celebritate, ut nemo unus cum illo congredi auderet, æquo, vel iniquo quorundam animo maximam lucubrationibus suis existimationem, & auctoritatem conciliabat,

Hoc etiam cæteros superant Monachi Benedictini, quod a pluribus annis studia sua conferentes in hoc eruditionis genus, quo Patrum Ecclesiæ opera pristinæ integritati restituantur, perfectissimam Critices scientiam adquisiere, cum in secernendis Manuscriptis, tum in universæ antiquitatis, atque Linguarum Orientalium, quarum etiam rudimenta tradunt, altissima cognitione.

Demum ea præcipue ratione illorum Critice tuta est, quod quum unanimem operam conferant, ac mutuam sibi lucem præbeant, & opem, facilius errores vitant, in quos privati aliorum consilio non utentes impingere solent. D. Rigaltius vir adprime doctus, sed alieni consilii impatiens, Tertulliano, ac Cypriano supposuit, quidquid suæ satisfacere videbatur prurigini miram ubique eruditionem ostentandi, parum attento Auctorum, quos vulgabat, proprio, legitimoque sensu. [5]

 Eo

[5] Duo autem præcipue peccat: primo, Romanorum Pontificum auctoritatem suis in ea loca Annotationibus deprimere nititur; secundo, Baptisma infantibus conferri solitum Apostolici negat esse instituti. Propter quos, aliosque nonnullos errores, parum abfuit testante Grotio Epist. ad Salmasium, ne publica Hæreseos nota inureretur.

Eo quoque præſtant Congregationes, quod ſtudiis in plures diſpertitis, nemo labore obruitur; atque alio editionem emendante, alter Chronologicis Tabulis Opus illuſtrat, Præfationibus, Summariis, & Indicibus, quæ non ſine magno Lectoris detrimento negligi queunt.

Nullius momenti videtur eſſe Præfatio, ſi tamen recte, apteque compoſita ſit, ad altiſſimam Auctoris cognitionem, cui viam parat, atque ſubſidium, recta perducit. Antiqui Præfationes Sermonibus, perinde ac Cytharædi prælusiones concentibus, præmittebant. Harum Præfationum exempla non deſunt in Scripturis Sanctis. Prima duo Jobi Capita divini hujus Poematis Præfatio ſunt, vel Prologus. Nepos (6) Jeſu Syrach *Eccleſiaſtici* Libro Prologum præfixit, in quo Interpretationis ſuæ cauſam fuſe ſatis exhibet. Pleræque tamen Bibliorum Præfationes contractiores ſunt, ut videre eſt apud Divum Lucam, ſive in Evangelio, ſive in Actis Apoſtolorum.

Apud Eccleſiæ Patres occurrunt paſſim admodum Epiſtolarum Præloquia, quum omnia fere illorum Scripta aliud non ſint, quam reſponſa ad amicorum quæſtiones, vel Tractatus illorum rogatu, & precibus exarati. Sic Gre-

[6] Qui dicitur Latine *Nepos*, Gallice non *Neveu*, ut habet Auctor Operis, ſed *petit Fils* vocandus erat. Quippe Jeſus Filius Sirach Auctor *Eccleſiaſtici* non patruus fuit, vel avunculus interpretis, ſed avus, ut ait ipſemet Interpres in Prologo.

Gregorius Magnus Libros suos Morales in Jobum Leandro Hispalensi Archiepiscopo, ad cujus preces eos elaborarat, longa ad Epistolæ modum Præfatione nuncupavit. Augustinus pariter Libros *de Peccatorum Meritis, & Remissione* Comiti Marcellino inscribit, velut responsa ad Pelagianorum quæstiones, ab eodem Marcellino ex Carthaginensi Civitate missas, atque propositas.

Credibile est, id genus Prologos labente tempore nuncupatoriis Epistolis locum dedisse, quæ ad ostentationem ita plerunque adhibentur, ut ob id prudentissimi viri, vel tollenda omnino duxerint Præloquia, vel ad id solum adhibenda, quemadmodum antiquitus fieri solebat, ut indicetur, quis sit Auctor, quæve duci possint ex illius operibus emolumenta. Verum e contrario hac solum mente usurpantur, ut electus Mæcenas summis laudibus extollatur, atque in Deorum censum, si fieri posset, referatur. Quid vero ridendum magis, quam levissimis sæpe de causis illorum, quibus facta est nuncupatio, familiam, atque progeniem inquirere, Historiam summatim saltem describere, ac pluribus demum Mæcenatis laudes celebrare, quam Auctoris, cujus Opera vulgantur?

Postea quam in Epistolis nuncupatoriis de rebus ab argumento Librorum prorius alienis agi cœpit, alia præscribi opus fuit nova quadam ratione Præloquia, quæ ab opere toto sejuncta maximam lucem adferunt ad illius ex-

explanationem. Principio quidem breves esse solebant, at eo denique ventum est, ut quædam ex illis longos Tractatus, & integros Libros exæquent. Prolixarum id genus Præfationum Auctoribus optime quadrat, quod ajebat olim Diogenes quibusdam Civibus, qui amplissimam angustæ urbi portam extruxerant: „ custodite urbem, ne per portam „ elabatur.

Omnium præclarissimæ sunt Præfationes, novis Sanctorum Ambrosii, Augustini, Hilarii, & Bernardi Editionibus præfixæ, tum Marii etiam Mercatoris, & Opusculorum P. Sirmundi, aliorumve quorundam Patrum, quibus velut pulcherrimi prospectus exemplaribus uti quisque potest ad præstantissimorum operum decus, & ornamentum. Verum non omnibus id feliciter succedit; singulari ad id opus est facultate, & multis quidem optimos Libros vulgare, non semper tamen accuratam Præfationem scribere concessum est.

Prisci Scriptores, qui Prologis, atque Proemiis opera sua ornare studebant, Epilogis etiam absolvere consueverunt, vel Anno-
Euseb. Hist. L. 6. C. 24. tationibus ollographis, aut scriptis reclamationibus adversus illos, qui exemplaria vitiare, vel adulterare auderent.

Auctor Libri secundi Machabæorum Opus suum comiter, urbaneque concludit; Photius Bibliothecam duodecim plus minus lineis absolvit, quibus quodammodo claudit Præfationem

nem instar Epistolæ, ad Amicum Tarasium initio Operis inscriptæ.

Antiquissimis temporibus scribendi mos obtinuerat sine ulla verborum distinctione, adeout totius orationis lineæ non aliud esse viderentur, quam continuata Literarum series, æqualibus inter se spatiis dissitarum, ea fere ratione, qua literæ alphabeti scribi solent. Hinc lepidum illud Hebræorum effatum, *totam Legem uno verbo contineri*.

Verum cognita, perspectaque verborum distinctionis necessitate, ut illorum sensus determinetur, quo certis limitibus circumscriptus Lector, temeritate, vel imperitia alio ferri non posset, utilissimus interpunctionis usus a Sapientibus invectus est. „ Minutissi-
„ ma quandoque puncta intersunt quampluri- *M. Sim. Hist. Critiq. du N. Testam. 3. p. Ch. 22.*
„ mi. Exemplo est locus ille Divi Pauli ad
„ Romanos, *ex quibus est Christus secundum*
„ *Carnem, qui est super omnia Deus benedictus*
„ *in sæcula*, cui pro triplici diversa interpun-
„ ctione, quam refert Erasmus, triplex su-
„ best diversa significatio. [7]

Am-

[7] Prima: si fiat interpunctio post illa verba, *qui est super omnia*, sequentia autem verba gratiarum actionem contineant hoc modo: *ex quibus est Christus, qui est super omnia*; deinde; *Deus benedictus in sæcula*. In secunda Lectione totus sermo sibi cohæret, eaque est communis Catholicorum expositio. In tertia Lectione fit interpunctio post illa verba: *ex quibus est Christus secundum carnem*, deinde, *qui est super omnia Deus benedictus in sæcula*.

Ampliora dein opera in Libros, Canones, Titulos, Sectiones, Capita, Versus tributa fuere, additaque majoribus partitionibus Summaria, quæ generalem operis intelligentiam suppeditant.

Ibid. Ch. 1. „ Hilarius *in Divum Matthæum*, (ut notat *D. Simon*) totum opus in tres, & triginta Canones distribuit, quibus velut totidem Sectionibus, aut Titulis Evangelii sui textus constabat. Canones vocat, quod Græci appellant κεφάλαια, idest Capitula. In vetustissimis Latinis Examplaribus extat vox *Canon* ad Titulos, vel Summaria Sacræ Scripturæ Librorum indicanda. Pleraque Patrum Commentaria, anteaquam noster distinguendi modus in usu foret, ab Hilarii methodo parum aberant. Quod dicitur *Canon* hoc in loco, *Capitulum* in nonnullis Exemplaribus, in aliis vero *Breviarium* appellatur; quam methodum Latini a Græcis hausere.

Id. Ibid. Ch. 21. „ Qui Manuscriptis Exemplaribus utuntur, ut Patres Ecclesiæ, aliosve Scriptores Ecclesiasticos in lucem edant, eorum in tribuendis Libris rationem negligere non debent. Multis enim, qualiscunque demum ea sit, emolumentis non caret.

Summaria longissimis partitionibus adjici solita maximi momenti sunt, eaque in novis Patrum Editionibus contemnere nefas esset. Summaria in Tertullianum magna cum laude concinnavit Pamelius, ac jure, meritoque in postremis antiqui hujusce Scriptoris Editionibus

bus a multis hodiernis etiam temporibus servantur.

Hac nostra tempestate mos inolevit, maxima laude dignus, Editiones Patrum Chronologicis Tabulis locupletandi, quæ plurimum juvant, ut illorum lucubrationes, ac præsertim Epistolæ, quæ in primis Editionibus permixtæ sunt, atque confusæ distinguantur, secernanturque. Paulus Manutius, qui probe norat necessarium Chronologicum ordinem in pervolvendis Auctoribus, qui ad historiam aliquo modo referuntur; proxime superiori sæculo hunc ordinem dare suscepit Epistolis Ciceronis ad Atticum, quæ sine hoc subsidio facile intelligi nequeunt. Eandem in plerisque veterum Patrum Epistolis confusionem ægre ferens doctissimus Pamelius, Ecclesiæ utilitatis studiosissimus, omnes Divi Cypriani Epistolas ex annorum ordine disposuit. Insignis hujusce viri exemplum secuti alii complures Critici, accurate notarunt loca, & tempora, quibus Literæ, Homiliæ, & cætera monumenta ab Ecclesiæ Patribus exarata fuere.

Antiqui Scriptores indices rerum notabiliorum, ut hodie fit, nequaquam describebant. Sat illis erat Tabellam, vel Summarium Capitum præmittere, quo Lector dignosceret, quid in toto opere contineretur. Ita se gessit Plinius in Historia Naturali, cujus Liber primus totius operis summam exponit; quem plures Scriptores Ecclesiastici imitati sunt. *Prolog. Mart. in Div. S. Hieron. Biblioth.*

Euse-

Eusebius Cæsareensis in sua Ecclesiastica Historia paullulum diversum secutus est ordinem, nimirum Tabellam capitum unicuique singillatim Historiæ Libro præfixit. Alii satis habuere Summaria ad marginem apponere iis in locis, ubi Sectiones operis inveniebantur: quem ordinem adhibuit Divus Hieronymus in transferenda Epiphanii Epistola ad Johannem Jerosolymitanum Antistitem, ut testatur ipsemet scribens ad Pammachium *de optimo Genere interpretandi*.

Indices omnino expungere præstat, quam perperam describere; si autem rite fiant, prosunt quam plurimum. Quamvis enim non ii simus, qui Libros in Tabulis legendos esse putemus, illarum tamen usus viros etiam diligentissimos juvat, ut viso uno, vel altero verbo res ad memoriam revocentur, quæ invitam etiam mentem, animumque persæpe fugiunt.

Extat & alia Indicis forma non levis sane ponderis in Editionibus Patrum. Colligit ille Scripturæ loca, quibus veteres Doctores in operibus suis elucubrandis utebantur; qua tamen in re, ut apte notatur in Oxoniensi D. Cypriani Editione, ab illorum errore abstinendum, qui Scripturæ loca, non ut extant apud Patres, qui Græcam LXX. Interpretationem sequebantur, sed ut habentur in Vulgata, referre solent; quod & a recta ratione alienum est, & maximam confusionem parit. Addi

ni-

nihilominus posset Vulgata in hisce Tabellis Græcæ LXX. Interpretationi, quo Lectionum varietas magis elucesceret.

CAPUT VIII.

De Commentariis, Animadversionibus, Dissertationibus, Scholiis, & Notis, quibus Viri in lectione Patrum exercitati eorum Monumenta illustrare possunt.

VIri Criticæ artis periti, probe perspectis impedimentis, quæ ad perfectam Ecclesiæ Patrum intelligentiam contendentibus obstant, omnes industriæ nervos intenderunt, nullumque non moverunt lapidem, ut illorum operum locis etiam abditissimis lucem afferrent.

Alii amplissima scripsere Commentaria, alii prolixas Dissertationes, alii bene multas Animadversiones, alii demum, ut paucis omnia complecterentur, Scholiis, atque Annotationibus obscuriora Patrum loca illustrarunt.

Quum veterum Theologorum opera satis ampla sint, Commentariis autem ampliora stant, istud icciрco explicandi genus minus hoc loco aptum esse videtur, minusve conveniens.

niens. Optabilem quidem exitum sperare possumus, verum periculosa res agitur, sæpiusque operam perdimus, quemadmodum contigit Mendosæ, qui in exponendo Concilio Elliberitano, ut explanaret locum, qui ne sex quidem paginas implet, spissum Volumen *in folio* edidit. Ea ratione Lacerda in Tertullianum se tam immoderate effudit, ut multis jam vulgatis Voluminibus, ad propositum finem nondum pervenerit. Quin & ipse Pamelius, qui suis Commentariis majorem sibi laudem profecto quam Lacerda comparavit, ingenii sui præstantiam, atque eruditionis copiam ostendandi libidini plus æquo indulsisse videtur.

Majori laude digni sunt, qui omissis Commentariis, in quibus exiguæ quælibet res, minutissimæque tractantur, Dissertationes in præcipua Patrum Ecclesiæ loca elaborarunt. Qui ad istud scribendi genus se conferunt, potiori conditione sunt, quod obscuris duntaxat quæstionibus, & explicatione dignis intenti, summo fruantur otio, ac libertate ad eas funditus pertractandas, adeout Lectori divinandum nihil supersit. Quam rem utilissimam esse nemo non videt, quum bene multæ difficultates occurrant apud Patres, quæ brevissima oratione solvi haudquaquam possunt, & nisi omni sui parte explicentur, nullo modo clariores fiunt.

Ut autem probentur omnibus Dissertationes, Argumenta imprimis optime delecta sunto;

to; exquisita dein eruditione, dilucidaque oratione exponantur; tum Auctor sic in præcipua quæstione consistat, ut inopportunis digressionibus a proposito liberius non abeat. Dissertationes in Divum Leonem editum sub finem sæculi superioris sunt numeris omnibus absolutæ, etiamsi nonnullis Censoribus paullulum quandoque discedere videantur a Summi Pontificis Epistolis, quarum doctrinam exponit Interpres.

Qui maximum incommodum animo præviderunt, quod provenire solet ex Dissertationibus accurate satis non elaboratis, absolutisque, Animadversiones scribere satius duxerunt; quæ quum medium inter Dissertationes, ac simplices Annotationes teneant locum, Lectorem minus, quam illæ fatigant, eumque magis erudiunt, quam posteriores. Exemplum hac in re præbere possent Animadversiones Petavii in Divum Epiphanium; at eruditissimus iste vir, quum immenso rerum proferendarum pondere premeretur, longius e cursu quandoque digressus est.

Rigaltius autem methodum secutus est omnium aptissimam in suis ad Divum Cyprianum Animadversionibus. Optimæ etiam existimantur, quas scripsit Abbas *De-Billy* in Patres Græcos; verum quum paullo contractiores sint, iis, quibus mediocris est facultas, minus prosunt.

Ad Latinorum Patrum explanationem Mabillonius in suo *de Studiis Monasticis* Tracta- *Lat. Lesinii Viterb. Bibliot. sacra, & profana.*

tu

Epistolæ, conjecturæ, observat. ejusdem.

Vid. ed. Oxford. S. Cypr.

tu commendat plurimum Bibliothecam, Epistolas, Animadversiones, & Conjecturas Latini Latinii. De illo tamen magnopere conquesti sunt Angli, aliique vulgo *Protestantes*; quod Latinius, Clericus alioquin doctissimus, Viterbii in Italia natus, Sacram corruperit Antiquitatem, Patrum Opera mutilarit, ac quidquid demum Catholicorum Sententiæ minus cohærere videbatur, audacter sustulerit. Cujus rei in exemplum proferunt celeberrimam Firmiliani Cæsareensis Epistolam, quam in Editione Divi Cypriani typis a Manutio impressa rescidit. Bona in omnibus fides procul dubio servari debet, neque vero quidquam periculi subest in vulgandis sincere veterum Scriptorum monumentis, quæ Adversariis nostris parum plerunque favent. Aliquot abhinc annis Novatores vehementer obstrepuere, propterea quod D. Faber Doctor Sorbonicus Epistolam Divi Chrysostomi ad Cæsarium Monachum, qua *Transubstantiationis* doctrinam everti autumabant, ab opere *D. Bigot* sustulisset. Verum Harduinus ex illa Chrysostomi Epistola nullum ab iis subsidium, nullumve pro causa sua argumentum peti posse, monstravit.

Omnium autem, quæ ad illustrandos Ecclesiæ Patres adhiberi possunt, longe accommodatissima methodus illa est, quæ in scribendis Scholiis, sive breviusculis Annotationibus sistit; multum quippe sublevat Lectorem, qui in evolvendis Patribus moræ impatiens

oc-

occurrentium difficultatum solutionem paucis verbis contentam desiderat. In hoc scribendi genere excellebat Sirmundus, a proposito suo nunquam deflectens, adeo ut nihil ab eo scriptum supervacaneum affirmari possit. Hujusmodi exempla proponere sibi quisque deberet, ut nihil non necessarium scriberet, nihil non perspicuum, ne Ænigmata videantur potius, quam Annotationes.

Recens inventum non est Scholiorum usus. Hæc principio illorum ars erat, qui propter altissimam rerum originis, & antiquitatis cognitionem *Antiquarii* vocabantur. Notas ad Librorum marginem apponebant ut plurimum, quo Auctorum sermonis, & styli perspicuitatem, quæ desiderari videbatur, hac explicandi ratione perficerent, eo quippe fine adhibendæ sunt Annotationes.

Sunt inter eruditos nonnulli, qui magnam sermonis obscuritatem consectantur, non, inquam, ridiculam insulsi illius Literatoris, qui apud Quintilianum ajebat „ præstantissi„ mum illud est, nec ego quidem intelligo; „ sed mysticam quandam obscuritatem illius fere similem, quam sectabatur Heraclitus, dum per Ænigmata loqueretur, ut a vulgi captu se se subduceret, unde a Græcis coævis σκοτεινὸς nomen accepit.

Ad eam quandoque accessisse videntur primi Ecclesiæ Patres, quum Religionis nostræ Mysteria tam involute exponerent, ut qui eorum

Doctrinam aliunde notam non habuisset, penitus illa percipere non valeret.

Quum de obscuriori hoc dicendi genere jam alias actum sit, non est cur in eo diutius immoremur. Caveant interim Interpretes, ut ejus causas adducant, ubi postulet occasio, ne forte Lectores, quemadmodum Hæreticorum mos est, ex ejusmodi obscuritate consectaria Fidei, perpetuæque Ecclesiæ Traditioni contraria colligant.

Verum est & aliud obscuritatis genus apud Patres, quæ quum omnium, qui scientias docent, communis sit, quippe in vocabulis unicuique scientiæ peculiaribus versatur, dilucida explicatione indiget in illorum gratiam, qui priscæ Theologiæ parum periti hosce loquendi modos lucis tantum filiis notos ignorant.

Nonnulli vero Patres obscuri sunt, propterea quod nimium sermone concisi, ut Divus Ambrosius, qui plura ponit, quam dicat: alios obscuros facit nimia vocum exquisitarum consectatio, vel prava Regionis, in qua nati sunt, loquendi consuetudo, quam confidenter sequuntur.

Quorundam autem obscuritas ex insolito, & peculiari, quod sibi proponunt argumento, originem habere potest. Ejus generis est Tractatus *de Pallio* apud Tertullianum, ad cujus intellectum perfecta plurimarum rerum, quæ nos hodie latent, cognitio requiritur.

Quamo-

Quamobrem de hoc Opusculo illud dici jure posset, quod olim ajebat Vigenarius de Stenographia Trithemii, scilicet interscindendum esse [quemadmodum olim intersectum fuit Poema Cassandræ auctore Lycophrone] ut introspiciatur, quod extus non apparet.

Cæterum eruditos solummodo Criticos spectat, & acri judicio præditos, qui de se, vel de auctore suo magnifice non sentiant, dilucidandis Patribus operam dare; qui enim mediocri solum est facultate, multa illum facile fugient, quæ expendenda forent, ac multa vicissim detinebunt omittenda; qui vero minus acre judicium habeat, licet non indoctus, eruditionem suam male collocabit, vel falsa ex suis principiis consectaria deducet; demum qui excellentia quadam proprii ingenii elatus sit, auctoris loco haberi volet, vel si Auctorem altius, quam par est, extollere, eique splendorem animadversionibus suis addere contendat, ejus errores vel prætermittet, vel contra fas omne tuebitur.

Petavius, qui ab hoc vitio summopere abhorrebat, contraria prorsus Methodo Divum Epiphanium, quem Notis illustrat, deprimendum suscepisse videtur. Libera, & incorrupta hæc ratio, quam tenuere Salmasius in Solinum, ac *D. Simon* in suis ad Jesuitæ Dandinii Itinerarium Annotationibus, iis non displicet, quos in Literarum, non secus ac in Romanorum Republica identidem vidisse

delectat audaces, atque magnanimos Viros; qui Scipiones deprimebant, ut Imperii gloriam, ſplendoremque magnificentius augerent.

CAPUT IX.

Vocabularia colligere, quæ ad antiquorum Eccleſiæ Patrum intelligentiam conducunt, illorum eſt ſolummodo qui in eorundem Lectione diu, multumque verſati fuere.

QUibus ea non eſt ingenii facultas, ut Eccleſiæ Patres Commentariis, Diſſertationibus, Animadverſionibus, Scholiis, atque Annotationibus illuſtrent, in id operam ſuam conferre poterunt, ut Vocabularia conficiant, quibus Lectori plurimum levaminis affertur.

Tertulliani effatum eſt a recta ratione profectum, intelligentiam Sententiarum ex vocum cognitione pendere, quum verba ſint cogitationum imagines; „ Fides nominum eſt intelligentia Sententiarum „. Quibus Tertulliani verbis quanta ſit Lexicorum neceſſitas, ſatis dignoſcitur, cognitio quippe vocum tam late fere patet, ac rerum ſcientia. Quamobrem in Editionibus Patrum inſerenda forent ad initium, vel calcem operis vocum minus frequen-

quentium, minusve facilium Glossaria, qualia invenire est apud classicos quosdam Auctores.

Omnium autem utilissima res esset cunctarum vocum, quas Ecclesiastici Scriptores præter morem usurpant, absoluta in unum corpus collectio. Quæ res illorum opera, & studio indigna non est, qui in volvendis Patribus diu multumque versati, illorum Doctrinam, atque sermonem optime perspectum habent.

Eccur non idem fiat ad Theologiam, quod ad humanas scientias promovendas profani Auctores perfecerunt? Timeus, referente Photio, propria Platonis verba in unum volumen collegerat, quod etsi reapse bonum, quum tamen nonnullis vocibus deficeret, Bohetus absolvendum suscepit. Quia vero secundum hoc Vocabularium satis absolutum non erat, novam idem Auctor Collectionem adgressus est *de Dubiis apud Platonem Vocibus*, quæ primis duabus uberior erat, atque locupletior.

Salmasius, qui in Literarum Republica clarissimum sibi nomen comparavit, turpe sibi non duxit complures ambiguas voces, quas in legendis Auctoribus notaverat, in unum colligere. *De Homonym. Hilef. Jatrica.*

Atque ut graviori utamur exemplo, Divus Hieronymus Regionum, & Urbium nomina, quarum in Scripturis Sanctis fit mentio, singillatim excerpsit, ac propria Hebræorum *Biblioth. Cæsar. T. 3.*

nomina, quæ iisdem in locis occurrunt, explicuit, explanavitque.

Extat in Bibliotheca Imperatoris, teste Lambeccio, Lexicon ab Anonimo vetustissimo compositum hoc titulo: *Interpretatio Alphabetica difficiliorum quorundam vocabulorum, quibus Sanctus Dionysius Areopagita in Operibus suis utitur*. Magnum ex illo emolumentum duci posset ad novam Sancti Dionysii, ejusque Interpretis Divi Maximi Editionem cæteris omnibus emendatiorem.

Eruditissimus Abbas *de Billy*, qui probe norat quantum conferre posset ad faciliorem Græcorum Patrum intelligentiam Vocabularium, a centum, & amplius annis ejus fundamenta jecit in opusculo, cui titulus *Lectionum Græcarum Volumen*. Illius consilium absolutum fere invenies hodierna ætate *in Ecclesiastico* Gasparis Suicerii *Thesauro*, sive amplissimo Græcorum Patrum Vocabulario, ac brevium instar dissertationum ordine alphabetico dispositum, quæ res longe utilissima est; in ejusmodi quippe operibus non utcunque exponenda sunt verba obscuriora, sed fuse, copioseque, præcipue quum aliquod continent eruditionis arcanum.

Sunt tamen hac in re certi quidam fines, atque vitanda, ut fieri potest, duo vitia, quorum alterutro laborant plerunque Dictionaria. Ut enim bene notat Photius, plerunque vel justo breviora sunt, vel nimium prolixa,

lixa, atque animadversionibus, & iterationibus supervacaneis referta.

In eo, quod proponimus Vocabulario ad Latinorum Patrum explicationem [quod enim ad Græcos attinet, perfectum illud jam est, absolutumque] æquissima hæc mensura servari potest, ut ea solum colligantur, quæ alicujus momenti videntur, & annotatione digna. Atque ut rite fiat, ea deligere fas erit, quæ Sapientiores Critici in annotationibus ad Ecclesiæ Patres explicuerunt, tum accurate proferre annotationum auctores, ac demum proprio marte adjicere, quæ ab aliis prætermissa fuerunt.

Perdifficili, gravissimoque huic operi par non est mediocris ingenii Auctor, qui veterum scripta obiter, & perfunctorie attingat. Diligentiores etiam Viri, Doctrinaque magis exculti, nec quidquam ad exitum pervenire sperent, aliorum ope, & consilio non utentes, qui eos a lapsu continere valeant, in dubiis firmare, atque animos addere, quum arduum quidpiam, & difficile audendum est. Nihil enim tam operosum, nihil tam rarum, quam Vocabularium numeris omnibus absolutum. In reliquorum operum disquisitione certus quidam est criticæ finis, ast in Lexicorum castigatione fere nullus; nunquam enim non aliqua vel addenda, vel detrahenda nunquam, quæ scripta sunt, non emendanda, vel illustranda.

CAPUT X.

Patrum Opera interpretari illorum est solummodo, qui in eorum lectione se dudum exercuerint.

QUum de Interpretationibus in secunda hujus Operis Parte plura jam dixerimus, duo nobis ostendenda supersunt. Inprimis quanti intersit monumenta Patrum interpretari, deinde hanc illorum esse duntaxat operam, qui multa lectione, diuturnaque meditatione graviſſimos hosce Scriptores medullitus perspectos habent, exploratosque.

Quod ajunt nonnulli, Interpretationibus inertiam gigni, & Linguarum Orientalium ignorationem, cum experientia manifestiſſime pugnat. Indubitatum enim est æmulatione bis centum, & amplius annis invecta antiquos Auctores interpretandi, innumeros viros ad Linguarum studia compulsos esse, quæ vel neglecta omnino fuiſſent, vel jejune, leviterque delibata, nisi in arte interpretandi se diu, multumque exercuiſſent.

Præterea quum non omnes Linguarum amore ducantur, atque illarum amantes non semper curarum vacui sint, vel iis sedulo incumbere velint, ut Auctorum monumenta primigenio sermone exarata percipiant, multa, & magna in eos officia conferet, qui du-

cem

cem se, ac interpretem illis præbeat. Ambrosius Camaldulus eruditissimus, politissimusque ætatis suæ solitarius latinam D. Ephrem Interpretationem Laurentio de Medicis nuncupans, acute inquit, venusteque, quum hic Ecclesiæ Doctor in solitudine ipsum visitasset, illius ingenii elegantia, & morum Castimonia illectum operam ei suam obtulisse, ut in Regiam Florentinam introduceretur, in quam suos Doctrinarum sales effunderet, eique quominus iret, ignotum Regiæ sermonem causanti, interpretem se pollicitum fuisse, ut præstantissima illius verba bono forent exemplo, multisque prodessent.

Interpretationes modo accurate fiant, hoc præsertim emolumentum adferunt, quod Commentaii locum teneant, quum fieri profecto nequeat, ut perfecta interpretatio non illustret exemplar, ejusque præcipuas difficultates non diluat. Interpres enim, qui auctorem explanare studet, illum inprimis omnino perspectum habeat necesse est, atque in optimo pro viribus lumine collocarit.

Plinius Junior nihil tam utile studiosis proponi posse existimavit, quam meliores quosdam Scriptores frequenter ex Latino in Græcum, vel ex Græco in Latinum transferre sermonem. Hoc consilium, subdit, adeo bonum est, ut ab Institutoribus bene multis tanquam præceptum tradatur; sola quippe interpretandi crebritate Linguæ puritas, atque elegantia comparatur. Illius ope locupletissimus

mus, ut ita dicam, figurarum Thesaurus colligitur. Inde fluit singularis in exprimendis animi sensibus lepor, atque venustas, ac qui optimos Auctores frequenter exscribit, supra vires suas quodammodo fertur, eorumque exemplo eo tandem devenit, ut digna, quæ ab omnibus describantur, opera componat. Deinde quantacunque sit in pervolvendis Auctoribus diligentia, fieri nequit, ut multæ dicendi veneres Lectorem non fugiant, quæ Interpreti se se paullatim offerunt, ejusque menti peropportune obversantur.

Quam apte animum perficiat ars interpretandi, vix dici, aut credi potest. Cicero, & Plinius uterque in ea se se exercuerunt, hujusque laboris sane non exigui subsidio posteriorum temporum Scriptores talem, ac tantam adepti sunt elegantiam, atque venustatem, quæ ante illorum ætatem vix, ac ne vix quidem innotuerat.

Quamobrem dubitari non potest, quin plurimum intersit celebriorum præsertim Ecclesiæ Patrum interpretatio, quum tot inde manent, ac tanta in Literarum Rempublicam, Morumve Doctrinam commoda, atque emolumenta. Revera tamen illius exercendæ potestas iis duntaxat jure concedenda est, qui multis laboribus, atque assiduis vigiliis eam adipiscuntur. Enimvero non omnes interpretis partes implevit, qui Linguas callet; omnino præterea auctorem suum mente complectatur necesse est. Quis vero auctorem peni-

tus

tus complecti valeat, nisi coævos Scriptores, immo etiam superiores, quibus quodammodo conjunctus est, probe perspectos habeat, ut si qua dubietas suboriatur, vel error in Textu, collatum cum illis, qui cum communes habet sententias, corrigere valeat, atque emendare.

Hac porro ratione, qui Divi Ambrosii *Hexameron* interpretari aggrederetur, *Hexameron* inprimis Divi Basilii consulere poterit, quod Sanctus Ambrosius sui quodammodo juris fecit. Qui vero Divum Cyprianum, pervolvet inprimis Tertullianum, quem Carthaginensis Antistes Magistrum suum vocabat. Qui denique Prosperum, vel Fulgentium, versabit accurate Augustinum, cujus Patres isti velut adminicula sunt, atque instrumenta.

Adversarios etiam Patrum, quos interpretari suscepit, probe norit, oportet, in re quippe Literaria contraria contrariis magis elucescunt. Itaque Ruffinum Hieronymo jungens, Julianum Augustino, Theodoretum Cyrillo Alexandrino, in vertendis istorum Patrum operibus bene multos extricabit nodos, quibus solvendis alia non suppetit via.

Patres Ecclesiæ alii aliis hærent, arcteque connexi sunt, quo fere pacto corporis musculi innumeris modis etiam contrariis, quivo sub sensus non cadunt, nectuntur invicem; adeout, qui vel unum perfecte assequi cupit, non eos solum omnes, qui consentiunt, verum etiam qui dissentiunt, comprehendisse

de-

debeat. Quæ nisi accurate serventur, in Fidei Dogmatis facillime quis aberrabit.

Neque vero levior est circa Disciplinam Ecclesiasticam difficultas, in ea quippe perraro Auctorum mentem in exemplari contentam reddere possumus, nisi fontes ipsos adeamus, e quibus illi Doctrinam hauserunt. Equidem non inficior, Auctorum, qui exponuntur, nonnullos adeo esse perantiquos, ut illorum ætate nullum superiorem invenias, quem consulas: at coævos tum consulere fas erit, immo etiam inferiores antiquitatis notitia eruditos.

Ad Historiam quod attinet, luce meridiana clarius est, haudquaquam feliciter Patrum, qui de illa scripserunt, interpretationem fieri posse, nisi cumulata Scriptorum omnium notitia prius acquisita, qui ad Auctorem interpretandum referri ullo modo possunt. Ita qui Optatum de Schismate Donatistarum transferre aggreditur, Auctores adibit ejusdem ætatis, qui de maxima hac Ecclesiæ labe, atque pernicie scripserunt; eo saltem fine, ut vitia emendet, quæ in hujus Auctoris exemplaria irrepsere.

Denique quum duplex sit interpretandi ratio, altera quæ literam, alia quæ sensum magis sectatur (7), expendendum sedulo, quibus

[7] Inter hæc duo interpretandi genera aliud quoddam medium agnoscendum videtur, quod quum a litera non recedat, aliquam tamen sibi vindicat in reddendo sensu libertatem, ut postulat phrasis, &

bus locis, quave occasione alterutra opportunius adhiberi queat. Qui ea solum mente interpretari aggreditur, ut animum, ac stylum formet, perficiatque, vel ut in sermone generalem de Patrum Doctrina rationem reddat, latiorem viam inibit, seque jejune, exilique literæ serviliter non addicet. At vero quum de controversiis agitur, ac Fidei Dogmata definite, diligenterque exponenda sunt, accurati Interpretis est propria significatione Vocabula studiosius reddere, quidquid sit de styli elegantia, ac venustate; tunc enim nitendum, ut mens Lectoris non tam delectetur, quam persuadeatur, atque ad veritatis cognitionem ducatur.

Ex hisce animadversionibus judicari facile potest quanta Interpres pollere debeat intelligentia, quantave cognitionum ubertate. Gravissimos igitur Scriptores, nimirum Ecclesiæ Patres in alteram Linguam transferre eorum est solummodo, qui acerrimi judicii, atque omnigenæ eruditionis fastigium attigere. Eo qui pervenerunt, interpretationibus Patrum, quas ipsi duntaxat, ut par est, præstare queunt, Li-

& elocutio Linguæ, qua fit interptetatio. Hæc igitur differt ab interpretatione literali, de qua disserit Auctor, quod non zeddat auctoris sensa de verbo ad verbum; ab ea vero interpretatione, quæ sensum magis consectatur, quam literam, in eo differt, quod literæ nihil addat, vel detrahat, sed ejus ordinem duntaxat immutet, ut alterius Linguæ phrasis postulat.

Literarum Reipublicæ plurimum proderunt. Gesnerius hinc ortum habuisse putat Interpretationum contemtum, quod spreta ab Eruditis, velut abjecta, vilissimaque interpretandi ars, ab iis solum factitata fuerit, qui tenue, angustumque a natura ingenium sortiti, operosam hanc molem subire non poterant.

CAPUT XI.

Qui in Patrum lectione sese exercuerunt, instituendæ tum Scientiis, tum Moribus Juventuti prodesse possunt.

OPtima Juventutis Institutio tanti momenti est, tamque necessaria, ut prudentum hominum judicio ad Religionis Sanctitatem, atque Imperii administrationem nihil ea utilius existimetur.

Atque hanc ob causam Græci, & Romani instituerunt Academias, ac Libros edidere, cujus generis sunt, qui supersunt Xenophontis, Ciceronis, & Plutarchi, ut adolescentes, in quibus spem omnem suam ponebat Respublica, legis, ac rationis præcepta præ oculis habentes, ea violare erubescerent.

Apud Judæos in Prophetarum ædibus, infantes

fantes Divinam Legem edocebantur (8), in qua tota sita erat hujusce gentis Doctrina, quippe quum profanas artes aspernaretur. Libri Salomonis juventutis instituendæ præceptis referti sunt. Salomon ipse se prodit sub nomine *Samuelis* [9] Matris suæ Consilia

[8] Desumta sunt hæc a Richardo Simone Oratorii Presbytero, qui non interruptam Scribarum, & Prophetarum seriem excogitavit ab ætate Moysis usque ad Christum Servatorem. Vide not. 27. 2. par. Verum huic Simonis commento multa obstare videntur. 1. Silentium Scripturarum, quæ, quum sæpe memorent Prophetas, & cuneos Prophetarum, præsertim ab ætate Samuelis usque ad ætatem fere Babylonicam, nullibi tamen referunt eos Ludimagistros egisse. 2. Loca, quæ incolebant Prophetæ, adolescentium instituendorum commodo parum apta fuisse videntur; etenim Prophetæ in montibus, vel desertis locis ab Jerosolyma, aliisque Civitatibus non parum dissitis morabantur. Demum interrupta admodum fuit Prophetarum successio. Pauci identidem prodibant ante Samuelem. Postea ad Captivitatem usque Babylonicam, vel 135. post annos, nimirum ad Malachiam usque, qui inter Prophetas novissimus creditur, non intermissa fuit illorum series. Porro autem a Malachia Propheta ad Christum usque Servatorem, nemo amplius Prophetiæ dono illustratus fuit, teste Josepho, & D. Hieronymo, cui consonat universa Ecclesia. Quonam ergo abiere Judæorum Scholæ toto illo temporis spatio? Mirum profecto a Viro Catholico tam insulsa, tamque aliena a communi Catholicorum sensu commenta excogitata fuisse.

(9) Non video prorsus quo fundamento nixus affirmet Auctor Operis, Salomonem se prodere sub nomine Samuelis. Nullibi enim de Samuele verba facit neque in Libro *Proverbiorum*, neque in Libro *Ecclesiastis*, neque in Cantico Canticorum. Cap. quidem 4. *Proverb.* se pro-

lia reverenter excipientis, eaque ratione filiis adolescentibus præbet exemplum, ut dum tenella sunt ætate, mollium instar surculorum, in bonam se partem flecti sinant.

Christianis etiam Gymnasia, Magistri, atque Instituta non desunt. Extant inprimis Libri Evangeliorum Fidelium omnium ingenio accommodati. Nullum prorsus erroris periculum subit, qui ab illis præcepta depromit ad informandos adolescentum animos; sunt enim Incarnatæ Sapientiæ Verba, & Sententiæ. Atque etiamsi in Christianis Scholis unica traderetur Evangeliorum, quemadmodum in Scholis Judaicis una erat Divinæ Legis Doctrina, satis nobis inde promanaret Eruditionis, atque Sapientiæ; nihil enim ulterius ei desiderandum superest, qui salutis scientiam adquisivit.

Quum tamen in hac mortali vita aliis alii arctissimis vinculis conjungamur, quæ si tollantur, actum erit de Societate Civili, nitendum iccirco totis viribus, ut omnia comparentur, quæ ad servandam hanc Societatem, Cœlestis, ad quam contendimus imaginem, conducere possunt. Itaque non ea solum addiscenda

prodit sub nomine *Filii Tenelli*, & a Matre sua dilecti. *Nam & ego Filius fui Patris mei, Tenellus, & Unigenitus coram Matre mea*. Verum quid hæc cum Samuele? Tum enim Samuel non fuit unigenitus; tum laudata Salomonis verba non de vero unigenito sunt intelligenda, sed de filio perinde dilecto a Matre sua, ac si illi unicus fuisset; tum denique Salomon ibi non nominat Samuelem.

scendá sunt, quæ Salutem Æternam, verum etiam, quæ Scientias spectant humanas, ea tamen mente, ut referantur in Deum, quo auctore, *omnia cooperantur in bonum iis*, *qui secundum propositum vocati sunt Sancti*.

Quamobrem Patres Ecclesiæ duplex operum genus elucubrarunt, quorum alia exponunt Religionis Capita, & Mores vitæ instituunt, alia de humanis Scientiis disserunt ad Æternam Beatitatem consequendam. Hoc quippe differunt Paganorum, & Ecclesiæ Patrum lucubrationes, quod illæ ad inanem Scientiarum jactantiam unice referantur, istæ vero Charitatem spectent, in qua Christianæ Religionis perfectio sita est.

Supervacaneum omnino videtur Patrum Opera singillatim recensere, quæ de Juventutis Institutione tractant. Satis ea norunt Eruditi, nulloque negotio invenient, si colligere velint, atque summatim perstringere, ut adolescentes Christianos a Librorum Gentilium servitute vindicent, qui dum animum informant, mores vitiant, atque corrumpunt.

Isthuc conducere potest inprimis magna sui parte *Pædagogus* Clementis Alexandrini; accedunt præstantissima Morum Instituta, quæ ab Ambrosio, Hieronymo, Augustino, & Sidonio Apollinari traduntur.

Hisce adjungentur apposite Libri *de Ordine* Divi Augustini, qui medium veluti locum tenere possent inter studia Morum, & Litera- L. II. c. II.

rum humaniorum. Ibi Augustinus ostendit, Scientias bifariam adquiri, Auctoritate, atque Ratione. Duplicem esse docet Auctoritatem, Divinam, & Humanam; Rationem vero nobis concessam, ut prudenti consilio utamur, atque Scientias aliud non esse, quam Rationem ad multas res contemplandas admotam, quæ Ratio dici potest quidam animi motus, quo res copulantur, vel distinguuntur, ut assidua meditatione, ac studio altius memoriæ figantur.

Quibus principio positis de unaquaque singillatim Scientia agi potest, atque omnia, quæ apud Ecclesiæ Patres optima inveniuntur, excerpi; quæ sane non pauca eleganter, & ornate dicta, adolescentibus exemplo esse possent, ut ad summam Oratoris perfectionem eveherentur, una discentes bene dicere, & operari.

Johannes Damascenus Logicam suppeditat, quæ in Galliis ante Aristotelis imperium tradi solebat; atque etiamsi ea intercidisset, vel una, quæ apud Augustinum extant principia, satis essent ad optimam Dialecticen perficiendam.

Universa Augustini Philosophia, quum hodiernis temporibus in septem exigua Volumina redacta sit sub Titulo *Philosophiæ Christianæ*, adhiberi commode posset, paucis adjectis, quæ ex Philosophicis Divi Anselmi, aliorumque quorundam Patrum Tractatibus desumentur. Quam-

Quamvis veteres isti Doctores in Physicam rerum meditationem plerunque non incumberent, explicandis tamen Naturæ effectibus, quædam eorum animadversiones inutiles existimari non debent. Ut enim fatentur Doctiores Philosophi, vera rerum naturalium Scientia aliunde petenda non est, quam ex Divinarum Perfectionum fontibus, in quarum contemplatione Patres Ecclesiæ omnem fere mentis aciem intenderunt.

Multa quoque sunt apud Patres, quæ ad Scientiam Metaphysices non parum conducere possent. Atque qui Divi Anselmi Libros *ad Guenilonium*, & Augustini *Soliloquia* de Ideis, & Cognitione Dei consuleret, adjectis ejusdem Augustini Tractatibus *de Immortalitate*, & *Quantitate Animæ*, longe sane, multumque proficeret.

Ea de re Gregorius etiam Nyssenus Tractatum scripsit longe utilissimum. Tum enim varias Philosophorum, atque Hæreticorum de Origine Animæ sententias refert, tum etiam probe demonstrat, Animam substantiam esse Spiritalem, atque Immortalem, quæ conjuncta Corpori illud penetrat, in eoque operatur.

Omnium autem absolutissimum hoc in genere Claudiani Mamerti opus *de Natura Animæ*, in quo ita convenit Mamertus cum Metaphysicis quorundam recentiorum meditatio-

nibus, ut eum recentes Philosophi descripsisse videantur [10].

CAPUT XII.

Qui in Patrum lectione versati sunt, Sacras explanando Scripturas Ecclesiam juvare possunt.

QUandoquidem Ecclesiæ Patres Bonorum omnium consensu locupletissimi habentur Traditionis testes, cujus ope exponitur Verbum Dei, atque illustratur, certum est,

(10) Negare profecto non ausim, duce ipsamet experientia, eruditionem profanam ab omni prorsus Christiana Institutione sejunctam, formandis adolescentium animis obesse potius, quam prodesse. Illud etiam ultro fateor, lubenterque ex operibus Patrum quamplurima, eaque præstantissima excerpi posse testimonia, quæ ad instituendos adolescentes, perficiendaque illorum ingenia mirum conducere possent. At non video tamen, cur e Christianis Scholis omnia Profanorum Scriptorum opera sint eliminanda; quum Ecclesiæ Patres iisdem non sine maximo fructu usi fuerint. Deinde eruditissimi Viri Arnaldus Libro *de Arte cogitandi*, Rollinus in optima, quam tradit Methodo cultiores Literas perdiscendi, *D. Pluche* in opere, cui titulus, *Spectacle de la Nature*, & alii satis ostendunt quam felici successu humanæ, profanæque Scientiæ ad Christianæ Fidei decus, & utilitatem adhiberi possint. Quidquid enim Pagani Auctores de ejusmodi Scientiis scripto mandarunt, ad Christianam illi Fidem summa cum laude converterunt. Non itaque nefas fuerit Profanos adire Scriptores, dum eos Sacri, & Ecclesiastici comitentur. Deinde confer hoc caput cum cap. 8. secundæ partis.

est, indubitatumque, illos, qui Patres penitus perspectos habent, omnium aptissimos esse, iisque nihil amplius desiderari ad Sacras optime interpretandas Scripturas. Linguarum quidem peritia comparari debet, quum clavis Scientiarum existimetur; at quum Linguis verba solum, Traditione autem res ipsæ illustrentur, Traditionis notitia Linguarum studium licet perutile, longissime superat.

Præstantissima, quæ postremis hisce temporibus prodierunt in Scripturas Sacras Commentaria, auctores habent viros, qui ex Ecclesiæ Patrum Doctrina tanquam ex feracissimo solo, quod diligenter excultum lectos, & uberes fructus edit, illa excerpserunt. Jam vero duplici modo adhiberi potest lectio Patrum ad Scripturæ intelligentiam: primo, quum in auxilium vocantur ad ea perficienda, quæ Lector proprio marte protulit: altero modo, quum ea, quæ Interpretes Antiqui adumbrarunt, omnibus suis partibus explentur, atque absolvuntur.

Duplex hic modus duplici respondet ingeniorum speciei, quorum alia facillime quidem fœtus procreant, sed quum satis doctrinæ non habeant, ad aptiora confugere coguntur, ut ea, quæ se solis ediderunt, confirment, perficiantque: alia vero minus fertilia, rudes, & inchoatas aliorum notitias sua, qua pollent eruditione perpolire valent, atque ad summum perducere.

Haudquaquam enim ii aspernandi sunt,

qui quum se solis nihil proferre possint, aliorum tamen sententias illustrare, ac perpolire, vel saltem colligere, ac in bono ordine collocare valent. Hæc exercitatio, licet specie tenus mediocris ingenii esse videatur, a præstantissimis tamen Viris, quorum in numero sunt eximii Ecclesiæ Patres, neglecta nequaquam fuit. Enimvero Divus Basilius, ac Gregorius Nazianzenus, quum Scripturarum Sanctarum studiis se totos dedissent, dedignati tamen non sunt præstantiora Origenis loca in Sacros Codices deligere, quæ extant etiamnum sub nomine *Philocaliæ*.

Præclarissimum hac Methodo confici posset Commentarium, ab exquisitissimis Patrum animadversionibus in Scripturas Sanctas excerptum. Eorum Scholia literalibus explicationibus bene multis, iisque aptissimis referta sunt, quibus adjectæ accommodatiores, Mysticæ, ac Spiritales eorum Annotationes Librum conflarent, qui & omnigena eruditione præstaret, & careret jejuna illa exilitate, plerorunque recentioris ætatis Commentariorum, in quibus Critices quidem studium plurimum viget, pietatis vero spiritus omnino languescit.

Neque leviter existimandum, propterea quod Patres in Allegorias paullo nonnunquam liberius excurrere videantur, omnes iccirco eorum Allegorias repudiandas. In quovis argumento translationes facile est adhibere, quum vel in ipsam Homeri Iliadem fuerint adhibitæ. Illud autem cavendum quo spectent,

Johan. Izetzeus.

quo-

quove modo usurpentur. Sunt inter Allegorias nonnullæ, quæ nihil aliud esse videntur, quam acutæ, subtilioresque cogitationes, & vani efferverscentis ingenii conatus; at non desunt etiam certæ, appositæque, quibus Ecclesiæ Patres tanquam fundamento utuntur, ut ad sublimem Prophetarum intelligentiam erigant se se, quas Origenes *contra Celsum* Mysticæ Theoresis nomine donat. Optimus illarum delectus & Fidelibus prodesset quamplurimum, & Sectariis ora obstrueret, qui Allegorias bene multas explodunt, cæteroquin convenientissimas, easque paullo liberiores, ac simplici, magisque obvio Scripturæ sensui omnino contrarias dictitant [11].

Fieri etiam possent exemplo Græcorum, Latinorumve mediæ ætatis *Catenæ*, sive delecta

(11) Ridendi autem Sectarii, qui, quum Allegorias explodant, adeoque plures Prophetias infirment, rejiciantque, ad sensum tamen allegoricum nonnunquam confugere coguntur, ut sese expediant a difficultatibus, quarum definitionem a literali, quam tantopere jactitant, eruditione frustra perquirunt. Exemplo est Grotius, qui alium a literali sensu contemnens, quum gravissimis difficultatibus Chronologicis in Historia Judithæ premeretur, ad allegoricam explicationem a sano sensu prorsus alienam confugit, inquiens, intelligi debere nomine Judithæ, Judæam, pro Bethulia Templum; Nabuchodonosore vero indicari Dæmonem; Holoferne autem ejus Ministrum, ac demum Eliachim esse Deum Judæ defensorem. Ecquis sanæ mentis hæc auserit affirmare? Atque nisi hæc scripsisset ipsemet Grotius, tulissetne æquo animo quempiam ita disserentem?

ςta Sanςtorum Patrum in Scripturas verba, ac ſententiæ ex ordine diſponi, vel ſimul arte quadam conneςti. Qui enim varia Sanςtorum Patrum loca promiſcue, utque ſub oculos cadunt, congerere ſolent, immenſum, nulliuſque omnino fructus laborem ſuſcipiunt.

Multæ id genus *Catenæ* Typis editæ ſunt, at longe plures in ampliſſimis Bibliothecis pulvere conſepultæ jacent. Præſtantiores quædam deligi poſſent, atque ad magnam Literariæ Reipublicæ utilitatem vulgari. Quanquam enim Græci recentiores permulta proprio marte hiſce operibus adſcripſerint, indeque ſub Patrum Eccleſiæ nomine in vulgus ediderint, atque hujuſmodi Compilatores nec ſatis exquiſiti judicii, nec ſatis accuratæ fidei eſſe cenſeantur; immo vero Auςtorum nomina mutare, ex uno plures, vel ex pluribus unum Auςtorem facere, loca, quæ proferunt, pro lubito amplificare, vel contrahere, atque illa non totidem, quibus Auςtor, ſed aliis ſæpe verbis reddere conſueverint; nemo tamen inficias ibit, eos proſpero quandoque ſucceſſu adlaboraſſe, atque non parvam in Sacrarum Scripturarum ſtudiis utilitatem adferre poſſe. Revera nempe illorum Methodus aptiſſima eſt ad varias Auςtorum opiniones continuate, levique labore addiſcendas, necnon ad Veterum quorundam Interpretum Sententiam certo noſcendam, quorum exemplaria vel omnino interierunt, vel vitiata ſunt, aut mutilata.

Eſt

Est, & aliud compilationis genus, quod accuratiori ordine fit, atque diligentia; quam in Catenis adhiberi soleat. Colliguntur nimirum omnia, vel multa unius, vel alterius Ecclesiæ Patris in aliquem Scripturæ locum testimonia, ex quibus una, eademque conflетur oratio. Sic D. Paterius Sancti Gregorii Papæ in universam Scripturam interpretationes vulgavit, atque Gazeus annotationibus ex diversis Patribus sumtis octo priores veteris Testamenti Libros exposuit. Sic Petrus Abbas Tripolitanus, teste Cassiodoro, depromtum ex Divi Augustini Operibus Commentarium in Epistolas Divi Pauli tanta arte confecit, ut ab ipsomet Augustino scriptus esse videretur. Eandem Methodum secuti sunt Venerabilis Beda, & Diaconus Florus.

Et sane magis jucunda videtur hæc compilandi ratio, magisque æquabilis, quam præcedens. Cavendum tamen, ne dispositis pro arbitrio Auctorum Testimoniis aliena ab illorum mente sententia fingatur. Quemadmodum enim Oratio transpositis illius verbis a se ipsa discrepans effici, ita transpositis unius ejusdemque Patris Testimoniis universa illius Doctrina turbari potest, ac novus veluti Auctor suboriri, cui nihil commune sit cum primo, præter verba, quæ in omnem sensum pertrahi possunt.

Ut autem optima sit collectio, illius artifex Auctorem, quem tractat, perfecte prius norit, oportet, ejusque ingenium, doctrinam in-

integram omnino relinquat, ordini studeat, accurato sit ingenio, rectaque voluntate, ne alio, quam Auctoris, fine, ac mente illius opus regatur, neve Lector a proposito fine, ad quem contendit, quam longissime aberret.

CAPUT XIII.

Theologiam docere ad illos jure quodam spectat, qui Patres dudum versarunt.

FAtendum sane, merito, & jure augusto Theologi nomine donandos esse, qui Scripturas Sanctas, & Ecclesiæ Patres funditus exploratos habent. Hac solum via Scholasticam tuto adire possumus, eam explere, ac illius errata emendare, quo modo publicæ olim stateræ ad stateras Sanctuarii expensæ corrigebantur.

Duplex est tractandæ Theologiæ ratio, altera vetus, recentior altera. Prior Oratoriis ornamentis exculta, posterior magis rigida eloquentiam parvi facit, subtilitatem autem consectatur. Unius ornatus alterius simplicitate temperari potest, ut Theologia accuratior fiat omni cavillatione remota; tum solida, jucundaque, quin mollis nimium sit, floribusque distincta.

Ad Athanasii, aliorumque veterum Patrum laudem dictum est, argumenta sua polite, niti-

tideque eos exponere, optimisque momentis graviter adversarios premere, necnon ad exponenda Mysteria aptissimis uti Vocabulis, atque difficultates simplici prorsus ratione, omnique semota subtilitate illustrare.

Hoc modo Positiva, & Scholastica invicem jungi possent, ac mutuam sibi lucem, cum vim, atque leporem præbere. Theologia Scholastica exilitatem, & cavillationem exueret, Positiva vero uberrimis ornamentis locupletata ordinem assequeretur, atque distinctionem, quibus illius dignitas, ac pretium summopere augeretur. Hujus rei exemplum suppeditant recentiores quidam Theologi, quos inter præstat Petavius, qui de Theologicis Dogmatibus ita disseruit, ut Positivam, & Scholasticam Theologiam una conjunxerit, adjectis etiam, quæ ex Judaica, & Pagana Eruditione utiliora, simul ac jucundiora colligere potuit.

Opponunt nonnulli, interdum assidua Patrum lectione Studiosorum memoriam obrui, ingenium vero parum omnino exerceri. Verum dicant, amabo, qua ratione docere quispiam possit, quod non didicit; vel etiam, quæ in rebus Theologicis ratiocinatio instituti aliis innixa, quam, quæ ex Scripturis Sanctis, & Ecclesiæ Patribus petuntur, fundamentis? Exercendum quidem ingenium, verum hæc exercitatio stabilis, certissimæque doctrinæ nitatur oportet.

Quid autem foret absurdi, si Theologus

Patres

Patres exſcriberet, quum id ipſum illi præſtiterint? Divus Cyrillus Alexandrinus Tractatu contra Antropomorphitas Epilogum adjecit, ex variis Divi Gregorii Nyſſeni *de Natali Christi die* orationis fragmentis excerptum; quidquid etiam Marius Mercator contra Pelagianos ſcripſit, & Neſtorianos, ex variis Eccleſiæ Patrum Operibus contra eoſdem hæreticos deſumtum eſt.

Perronian. In re Theologica, ajebat Cardinalis Perronius viam omnium tutiſſimam eſſe ab Auctoritate nunquam recedere; multo quippe magis expedit facti, quam juris quæſtiones perſequi. Theologiam eodem ſe modo tractare profitetur Vir ille præſtantiſſimus, quo Cujacius Jus Civile; ita ſcilicet, ut Hiſtoricum potius geſta narrantem, quam Philoſophum diſputantem ageret.

Hæc methodus in Theologia præſertim Polemica locum habet. Etſi enim Scholaſtici de controverſiis diligenter agant, quæſtiones etiam funditus inveſtigent, difficilius tamen victoriam referunt, quam ii, qui, omni altercatione ſepoſita, ad Traditionem, & Auctoritatem Antiquorum recurrunt.

Hiſce argumentis eo demum rediguntur Sectarii, ut vel ſe victos, vel puriſſimos Veritatis fontes a ſe derelinqui turpiſſime fateantur. Præterea longe majoris ſunt emolumenti, quam ſubtiliores, inaneſque ratiunculæ, quas pauci admodum percipere valent.
„ Subtiliores diſputationes (ait quidam ætatis

noſtræ

„ nostræ Scriptor) sua habent commoda, sua „ etiam incommoda. Quæ superfluere viden„ tur, necessaria aliquando sunt, sed Chri„ stianorum vulgo nec necessaria, nec utilia, „ immo vero ipsis etiam Doctoribus perni„ ciosa, si neglecta Scripturarum meditatio„ ne, atque Antiquitatis Ecclesiasticæ studiis, „ ea immoderato æstu consectentur.

Pelliss. de la Toler. des Relig.

Qui Catechismum Concilii Tridentini composuerunt [in quo Theologiæ quodammodo compendium ad Christiani Populi usum continetur] de subtili methodo in exponenda Christi Doctrina, deque discutiendis, Scholasticorum more, principiis solliciti haudquaquam fuere; sed Veterum potius Patrum in Catechesibus exemplum secuti, Veritates Evangelicas brevi, facilique ratione, & omni semota disputatione Fidelium oculis subjicere sategerunt.

Theologiam vero Moralem, qui legendis Patribus assueverunt, felicissimo successu tractabunt. Quum enim fontes iis pateant, e quibus sanctissima vivendi instituta hauriuntur, ea depellent, quæ ab omni veritate aliena, impellentibus Carne, & Sanguine, in hominum mentes irrepserunt, ac primas in iis sedes occupant.


Illud quidem cavendum, ne misceantur omnia, ne severiorum hominum exemplo, nulla virorum, vel temporum ratio habeatur. Est modus in rebus; neque enim Spiritus Dei Prudentiam sejungit a Zelo, vel Misericordiam a Justitia.

Hæc

Hæc in mente habeant Ecclesiæ Pastores, quorum muneris, & juris est quæstiones morum finire, atque ex universalibus Evangelii, Patrum, & Conciliorum principiis instituta colligere, ut oves suas, inter hujus mundi illecebras periclitantes ad optatum finem tuto perducant.

Illud inchoarunt postremis temporibus Sanctissimi Præsules. Quum enim ad memoriam revocarent, quæ Antiqui Patres ob impensum Ecclesiæ morem perfecerant, Tractatus Theologiæ Moralis vulgarunt, priorum temporum puritate non indignos.

Idem consilium capessendum duxere quidam Theologiæ Doctores, qui licet in inferiori ordine constituti, ampliori tamen facultate præditi, quæ desunt Episcopis, omnino supplent. Itaque major, quæ desiderari potest in re Morum, puritas., & accuratio, inconcussis Justitiæ principiis innixa, hodiernis temporibus obtineri cœpit.



CAPUT

CAPUT XIV.

Qui legendis Patribus assueverunt, rerum Historicarum, necnon Antiquitatum Ecclesiæ studio, de Christiana Religione mereri plurimum possunt.

INter multa, quæ Viri legendis Patribus assueti Christianæ Religioni adferre possunt emolumenta, nullum habetur præstantius, quam Ecclesiasticam Historiam conscribere, vel saltem consilio, collatisque annotationibus scribentes juvare. Celeberrimus Nicolaus Faber, Vir cæteroquin eruditissimus, atque iis, quæ diuturna meditatione privatim comparaverat, evulgandis adprime idoneus, moderatione quadam, atque modestia satis habuit aliis Scriptoribus, ac præcipue Baronio laborum suorum fructus communicare.

Nihil est hac in re non præclarum, summaque laude dignum honesto Viro, & gloriæ nimium non appetenti. Verum quamcunque teneat Methodum, sive hanc, quæ minus splendoris habet, minusve periculi, sive manum operi admoveat, atque in Auctorum classem cooptari velit, procul dubio Historia Ecclesiastica non alia melius ratione, quam Testimoniis Patrum confici, ac illustrari potest;

quidquid

quidquid nonnullis videatur hominibus, quibus hæc via minus probata est, minusve jucunda.

Hanc Methodum secutus est Cardinalis Baronius, quam antea tentarant Centuriatores Magdeburgenses. Hæc secretiora quæstionum abdita penetrat, quæ dissidiis, Schismatibus, atque Hæresibus locum dedere. Hæc in Spiritum, & regimen Ecclesiæ recta ducit, Antiquæ Disciplinæ fontes aperit, omnemque Traditionum seriem, & connexionem exponit.

Innumeras reperire est in Apologiis Patrum, in Panegyricis, Concionibus, Commentariis, Laudationibus Funebribus, Collationibus, Disputationibus, & Epistolis animadversiones, quæ Ecclesiasticam Historiam confirmant, multaque facta obscura, quæ alioquin illustrari non possent, enodant, elucidantque.

Ut hæc omnia adhibeantur, necesse non est universæ Ecclesiæ annales conscribi. Satis quisque habeat pro modulo ingenii sui unum, vel alterum antiquitatis Caput exponere, vel unius Concilii Historiam perscribere, vel, si placet, Hæreseos, puta Arianorum, Pelagianorum, Nestorianorum &c. Satius quippe multo fuerit vel unam rem funditus tractare, quam plures jejune, exiliterque, immo etiam jucundius multo, atque facilius unum quidpiam singillatim expendere, quam plura simul, quod confusionem parit, quum ea sæpe connexa non sint, atque permultas, easque diversas cognitiones postulent.

Alius

Alius Sanctorum vitam, alius Martyrum gesta colliget, vel Scriptorum Ecclesiastico-rum Historiam, quæ in re Ecclesiastica non infimum locum tenet; vel denique Historiam Theologiæ, quæve fuerit singulis Ecclesiæ sæculis Doctrina, accurate notabit. Ut enim inquit apposite Abbas *Fleury*. „ Historia Religionis non modo sistit in notandis temporibus electionis, vel mortis Summorum Pontificum, & Episcoporum, in enarrandis miraculis, & suppliciis Martyrum, vel cruciatibus, quibus Monachi corpora castigare solebant; sed illud longe præstat Doctrinam ipsam exponere, quam firmabant Miracula, & Martyres testimonio suo tuebantur. Qui Philosophiæ Historiam scribere adgrederetur, satis profecto non haberet Philosophorum vitam, & gesta referre, sed & illorum Dogmata exponeret. Atqui Historia Ecclesiastica veræ Philosophiæ Historiam continet, ac præcipua, quibus constat, gesta illorum temporum Doctrinæ, ac Disciplinæ innixa sunt. *Hist. de l'Egl. T. 1. Pref.*

Verum enimvero si cui consilia hæc non arrideant, quod vel ab insignibus Viris perfecta jam sint, vel illorum facultatem excedant, colligere poterit a Patribus, quæ ad illustrandam Historiam, & antiquitatem Ecclesiæ opportunius conducere videbuntur. Poterit quisque pro facultate sua in castigandis, absolvendis, vel defendendis veterum, recentiumque Scriptorum Historiis se se exercere. Ut paucis

omnia complectar; Annotationibus suis uti poterit ad semetipsum erudiendum, atque ad depellendum in rebus bene multis errorem, quæ ob parum accuratam investigationem satis non innotescunt. In re quippe historica nemo unus est, cui negotia, tempus, experimentum novam quotidie lucem, & consilium non præbeant; ita ut eo tandem devenire fas sit, quo nihil eorum nobis innotuisse intelligamus, quæ principio funditus callere putabamus, atque indignanter repudientur, quæ principem antea locum in nostra mente tenebant.

„ Nunquam ita quisquam bene subducta
„ ratione ad vitam fuit,
„ Quin res, ætas, usus semper aliquid ap-
„ portet novi;
„ Aliquid moneat, ut illa, quæ te scire
„ credas, nescias,
„ Et quæ tibi putaris prima, in experiendo
„ repudies.



CAPUT

CAPUT XV.

Qui Ecclesiæ Patrum Doctrinam funditus norunt, Populos Sacris Concionibus præ cæteris erudire queunt.

QUI ad erudiendos Sacris Concionibus Populos a Deo vocantur, omnia procul dubio ad illud opus feliciter exequendum necessaria possident, si eximiæ illorum Charitati, ac studio accedat Scripturarum, Sanctorumque Patrum cognitio, qui non tam Doctrinæ, quam Eloquentiæ Magistri habendi, colendique sunt.

Neminem latet, trifariam pro triplici hominum genere, neophytorum scilicet, provectorum, ac perfectorum, Religionis instituta tradi posse. Neophytis quidem Catechismos, provectis familiares in Evangelium Sermones, perfectis vero fusas, disertasque Orationes.

Triplicis hujus institutionum generis exempla suppeditant Ecclesiæ Patres, scilicet Catecheses, quæ ab hodiernis Catechismis parum distant, ac duo Homiliarum genera, quorum aliæ Fidelium captui accommodatæ ad familiares in Evangelium Orationes facile revocantur; aliæ, quas sublimiorem Doctrinam continentes, Johannes Chrysostomus vocat διδασκαλίας ad Sermones referuntur, in quibus

quibus una cum præclara eruditione Eloquentia Ecclesiastica splendet, eminetque.

Quodlibet autem consilium aliquis capiat, Auditores procul dubio sibi conciliabit, dum constanti, assiduoque labore dignum, fidissimumque se præbeat Ecclesiæ Patrum discipulum. Qui Fidei elementa proponit firmissimo hocce subsidio instructus, muneris sui partes cumulate implebit, plurimumque splendoris adferet huic officio, in quo Pastores Ecclesiæ præcipuam antiquitus operam collocabant, quamvis hodiernis temporibus parvi omnino pendatur. Prisci Antistites Christi Jesu, & Apostolorum exemplo ducti exponebant ipsimet Fidei rudimenta Christianis, atque perraro Clericis, vel Laicis, quantocunque pollerent ingenio, & facultate, hanc curam committebant.

Si quis autem ad officium Pastoris implendum, vel in ejus locum suffectus, Evangelium Populo familiariter exponere debeat, nullo sane modo id melius perficiet, quam si Patrum Doctrinam funditus exploratam habeat, indeque Evangelii oracula Auditoribus suis simplici, facilique ratione communicet, explanetque.

Antiqui Ecclesiæ Pastores iis Sermonibus, quos utplurimum imparati sponte proferebant, illius diei Epistolam, vel Evangelium commentabantur. Dogmata Fidei absque nimia subtilitate exponentes, semotis gravioribus difficultatibus, atque disputationum, & contro-

trover-

troversiarum argumentis, de Christiana Morum Doctrina, & de exercitatione virtutum longius multo tractabant.

Hoc munere fungi erga oves sibi creditas Episcopi, immo etiam Summi Pontifices adprime necessarium ducebant. Divus Leo doctissimorum Ecclesiæ Pontificum nemini secundus ab eo nunquam destitit. Gregorius etiam Magnus, gravissimis licet curis distentus, adversaque valetudine afflictus, ab eo implendo ægerrime abstinebat. Sanctus Augustinus totius Ecclesiæ Africanæ negotiis occupatus, huic etiam curæ vacabat; neque defuerunt Antistites, qui quum facultatem in dicendo non haberent, Sanctorum Patrum Sermones legere aliquando maluerunt, quam Populum sibi commissum Spiritalis Cibi jejunum dimittere. Ita septimo Ecclesiæ sæculo Episcopi Sermonibus Divi Cæsarii ad erudiendos Fideles utebantur.

Etiamsi plerique Sanctorum Patrum Sermones ex tempore prolati fuerint, non desunt tamen eruditi juxta, ac perpoliti, quos per otium, multaque cura, ac diligentia scripsere. Hujusmodi sunt Sanctorum Basilii, & Chrysostomi Sermones, qui præstantissimis Concionatoribus exempli loco esse possent.

Divus Gregorius Papa in Epistola ad Johannem Ravennatem Subdiaconum, testatur, se privatim emendasse Sermones, quos publice proferebat. Plerique, qui ad nos pervenerunt, summam continent longiorum Orationum, Regist. L. 10. Ep. 22.

 quas

quas ad Populum habitas, privatim ad posterorum eruditionem perpoliebant.

Certo illud, constanterque affirmari potest de plerisque Sanctorum Sermonibus, ac præsertim Divi Bernardi, qui dimissa concione eos contrahebat, atque ita limabat, perficiebatque, ut sapientissimorum Virorum judicio, Græcorum Patrum, qui in dicendo præstiterunt, Orationibus anteponendi sint. Politioris elegantiæ, qua Bernardus cæteros Patres, ac præcipue Latinos superat, hanc reddit rationem Mabillonius, quod illi ad rudes, & ignaros Populi Fideles, Divus autem Bernardus ad selectos, eruditissimosque sermonem haberet.

Quæ res non omni dubio caret, quum Divus Bernardus coram fratribus suis sæpissime diceret, quos non omnes in Doctorum numero fuisse certum est, compertumque. Verum quidquid sit, non desunt apud Patres exempla Concionum, atque Eloquentiæ, Morumve præcepta, quibus Evangelici Oratores commode uti possunt.

De Sacerd. Episcopi, ut docet Divus Chrysostomus, Verbum Dei vehementer, eruditeque annunciare debent, Fideles edocere, Hæreticos refellere, omnes demum juvare, ac Christo lucrifacere. Contemnendam æque ait ab Oratore assentatorum laudem, & invidorum obtrectationem; nitendum, ut morum castimonia integram sui famam, nomenque tueatur, atque a se procul invidentiam omnem expellat,

qua

qua ob immoderatum sui amorem, innatamque nobis superbiam in eos invehi posset, qui pro ampliori facultate dicendi, majori cum laude, uberiorique fructu concionantur.

Lacrymas potius ab Oratore excitari cupit Hieronymus, quam populi plausus, & acclamationes; eumque talem vult esse, qui neque declamitet, neque mordaci verbo quenquam distringat, sed nitide, graviterque exponat Mysteria Fidei, & Evangelicam Morum Doctrinam. *Ad Nepot.*

Divus Augustinus a Sacro postulat Oratore, ut Fideles ad bonam frugem omni studio perducere nitatur; quidquid justum est, honestumque adhibeat, ut animos sibi conciliet, inertes excitet, ignaros edoceat, infirmos regat, obsecret, increpet, minitetur, ut moveat, penetret, frangat, superetque Auditorum animos. Cui vero hæc desunt, validioribus Sacrarum Scripturarum sententiis, ac testimoniis se se præmuniat. *De Doctr. Christ. L. 4.*

Præterea nitori studeat, atque pespicuitati, liberius non excurrat, ab utili facilius non divertat ad jucundum, atque quum res, de qua agit, gravis sit ipsa per se se, caveat quammaxime, ne gravitatem deponat, quanquam hilaritate nonnunquam orationem conspergere queat.

Julianus Pomerius, Illustris quinti sæculi Scriptor, multum discriminis esse inquit inter Declamatorem, qui ea solum mente eloquentiam adhibet, ut popularem gratiam aucupe- *De Vit. contem. L. 1.*

 tur,

tur, & Sacrum Oratorem, qui ad Majorem Dei Gloriam, atque Animarum salutem totus contendit. Illum, inquit, magnificis, & ampullatis verbis res exiguas extollere; hanc vero sermonis sui simplicitatem illustribus, certissimisque sententiis confirmare: illum voluptatem magis consectari, quam utilitatem; hunc vero firma, efficacissimaque oratione obduratissimos Auditorum animos vehementer movere, valideque percellere.

Ineunte hoc sæculo Sermones habebantur, quos jure dixeris sacræ, profanæque Eruditionis omnigenæ indigestam molem. Congerebantur promiscue omnium scientiarum cognitiones, atque innumerabilibus testimoniis ex eorum manibus per fas, & nefas ereptis, qui & ipsi ab aliis surripuerant, opprimebantur Auditores; adeo ut suggestum eo solum fine tunc temporis conscendere viderentur Oratores, ut immenso diuturnæ lectionis pondere se se exonerarent.

Equidem Concionatores, ubi norunt exosam omnibus futilem hanc eruditionem, qua sibi turpe quoddam nomen merebantur, quod silentio præterimus, ad veram eloquentiam pro viribus accedere nisi sunt. Verum plerique res insolitas magnifico stylo, inflatisque buccis proferendi studio, inanem Eloquentiæ larvam, vanumque simulacrum consecuti sunt. Tandem detecta fuit, atque contemta hujus simulacri illecebra, ac hodiernis temporibus Sacra Eloquentia ad summum perduci facile

poterit

poterit, modo ad illam accedat verus Ecclesiæ Spiritus, Pietasque perfecta, seu singularis Gratia, studium, & Charitas, quibus incensi Oratores antiqui tot, tamque mira operabantur (12).

Quæ res iis facile, feliciterque succedet, qui eorum vitæ puritatem, atque sermonis candorem imitari, necnon sententiis, & doctrina imbui studuerint, quive illorum ingenium penitius exploraverint assidua eorundem lectione, ac præcipue Homiliarum Divi Chrysostomi, quas inter principem locum tenent Antiochiæ scriptæ, antequam ad Sedem Constantinopolitanam eveheretur. Nam licet Divus Basilius aliquid elaboratius exhibeat, atque limatius, quod plus Atticæ puritatis habeat, stylus tamen Chrysostomi, quippe Asiaticus, erudiendis Fidelibus accommodatior esse videtur. Populis enim paullo fusius exponi debent Christianæ Fidei Dogmata, ut illa utilius probent, atque jucundius.

Quum porro Ecclesiæ Patres Sacris Oratoribus in exemplum proponimus, non ea nobis mens est, ut ab iis exscribantur, quæ ab hodierno stylo abhorrent. Multis enim in rebus sine ullo erroris periculo relinqui possunt. Ita in

(12) Postquam in lucem editum fuit hoc Opusculum, non defuerunt inter Gallicos Oratores, qui Sanctorum Patrum exemplo, eloquenter, & erudite, simul ac pie, sanctissimeque Verbum Divinum Fidelibus exposuerint: eos recensere supervacaneum existimo. Gallis quidem notissimi, Italis vero non incomperti sunt.

in Oratoris facultate est, Sermonem suum, ut libet, tribuere, quanquam abs re non faceret, qui in partiendis Sermonibus Divum Chrysostomum imitari vellet.

Præclarus iste Christianus Orator ab exordio nostris haud dissimili orationem inchoabat. Primam illud Sermonis sui partem quodammodo continebat. Inde ad alteram gradum faciens, qua Orationis corpus constabat, ibique magnum, immensumque sibi campum aperiens, majori, quo fieri poterat, nitore, ac perspicuitate literalem Scripturæ sensum explanabat.

Hæc hodierni Oratores vel exiliter admodum, vel nihil omnino attingunt, atque Fideles Sacrarum Scripturarum jejunos nullo negotio dimittunt. Revera quidem plurimo opus est ingenio, maximaque facultate, ut in Sacrarum Literarum expositione, in qua parum Eloquentiæ viget (13), politi Oratoris nomen dudum

(13) Siquidem Eloquentiæ nomine eam intelligat Auctor Operis, quam ineunte sæculo proxime superiori consectari solebant Concionatores, inficias non ibo, illam parum omnino vigere in Scripturis Sanctis, earumque explanatione. Sin autem intelligat veram, solidamque Eloquentiam in optimo rerum potius, quam fucato verborum delectu positam, dissentientes habebit complures, eosque sapientissimos Viros, qui & contra sentiunt, & suam sententiam manifestissimo comprobarunt experimento, editis in Scripturas Sanctas Commentariis, & Interpretationibus, quibus nihil perfectissimæ illius eloquentiæ desiderandum superest. Ejusmodi sunt præ cæteris Explanationes complurium Scripturæ Sacræ Librorum postremis hisce

dudum ſervetur incolume. Verum iſtud ſapientis eſt Concionatoris, lenioribus modis Auditores ſuos huic methodo paullatim aſſuefacere, quæ quum ſit ſimpliciſſima, maximam parit utilitatem.

Cohortationes etiam, quibus Homilias claudit Divus Chryſoſtomus, præclariſſimæ ſunt, dignæque omnino, quas una cum cæteris Orationis partibus imitentur hodierni Oratores. Uberrimam illæ Moralium Sententiarum copiam exhibent, quæ ab expoſitis Scripturis ſponte naſcentes, impigris, ſeduliſque Auditoribus fructum adferunt incredibilem.

Quanquam vero Divus Chryſoſtomus hac in re tantopere excellat, obmittendi tamen non ſunt reliqui Patres, ac præſertim Divus Auguſtinus, qui præ cæteris plurimum habet Pietatis, acuti judicii, Doctrinæ, & Charitatis. Colligi etiam utiliter poterunt ſelecta illorum verba, atque ſententiæ, quæ, ubi ſe præbeat occaſio, opportune uſurpentur. Immo vero longe præſtat in legendis Antiquorum operibus tempus impendere, quibus animus, & mores perficiuntur, quam in evolvendis recentioribus Concionum Libris. Me quidem non latet, optimas extare illarum Collectiones, quas

ſce annis Gallico ſermone vulgatæ, ſub hoc titulo: *Explication de* (e. g.) *la Geneſe: de la Prophetie d' Iſaie: des Livres des Rois, &c., où ſelon la methode des Saints Peres, on s' attache a decouvrir les Myſteres de Jeſus-Chriſt, & les Regles des Mœurs renfermées dans la lettre meme de l'Ecriture.*

quas etiam legisse oportet. Verum vitanda est diligentissime illorum methodus, qui iis exscribendis se totos addicunt: quod facere plerumque solent, qui juvenili ætate ad Conciones animum convertunt. Hinc enim jacet, deperitque naturalis illorum facultas, atque a recto tramite, quo ad Eloquentiæ Ecclesiasticæ perfectionem devenirent, sensim sine sensu abducuntur.

CAPUT XVI.

Qui perspectos habent antiquos Patres, Scriptis suis Ecclesiam præ cæteris juvare possunt.

CUR indigesta, atque incomposita Scripta prodeant, in causa præsertim illud est, quod Auctores ad scribendum se conferant, prius quam ea eruditionis supellectile se instruxerint, quæ ad bene, perfecteque scribendum desideratur. Quanquam enim, qui optimi Scriptoris nomen sibi vult comparare, a tenera ætate se se in scribendo exercere debeat, illud tamen ad experimentum fit potius, quam ut edantur opera in vulgus. Neminem latet, viros bene multos, quos ineunte ætate prurigo hæc scriptitandi tenebat, temporis successu pœnituisse, ac proprio detrimento novisse, fructus præcoces, quibus quædam inest portenti species, propria maturitate, & sapore carere.

Immo

Immo vero ne illi quidem, qui maturam attigerunt ætatem, temere, & inconsulto in prodere debent, nisi ante reponantur ad aliquod tempus Scripta, uti suadent Horatius, & Quintilianus. Multa, ac diuturna opus est patientia, ut ingenii fœtus ad eam perfectionem ducantur, quà merito lucem aspiciant; atque ad rem nostram facit, quod ait Salomon: *Doctrina Viri per patientiam noscitur.* Enimvero Auctorum tolerantiæ accepta referenda sunt perfectiora, quæ extant monumenta, aliorumque impatientiæ, ac præproperæ festinationi adscribenda opera vitiosa, quibus referta est Literarum Respublica. *Prov. 19. v. 11.*

Celeberrimus Mafeus quatuordecim solùm, vel quindecim lineas scribebat singulis diebus; cujus rei ab amicis sæpe redargutus reponebat sapienter, eos, apud quos opera sua emanarent, parvi facturos esse, plus ne, minusve temporis in iis scribendis insumsisset. Ab eo tamen exemplum duci non debet: sunt enim nonnulli Scriptores felicissimo ingenio præditi, qui liberrime prodeuntes, pleno gradu, secure, non secus ac, qui lento, incedunt. Immo non desunt, qui nimium lento gressu ab incepto moverentur, adeoque Rempublicam optimis rebus defraudarent, quas, si parumper festinassent, procul dubio perficere potuissent.

Duo extant apud Ecclesiæ Patres operum genera: alia ex tempore edita, nonnulla vero per otium cogitata, atque elaborata. Plerosque Sermones proferebant ex tempore, relicta interim

Disci-

Discipulis suis cura eos colligendi, scribendique. Quum vero de præcipuis quæstionibus ageretur, vel de refellendis Hæreticis, plurimum otii adhibebant, ac meditationis. Nihil habetur tam elaboratum, nihil tam absolutum, perfectumque, quam D. Augustini Opera contra Julianum, aliosque suorum temporum Hetherodoxos. Apologiæ Patrum perpolitæ sunt, exquisitique judicii: eorum autem Epistolæ tum eruditione, tum venustate refertissimæ. Gregorius Magnus, quum aliis scribendorum Sermonum curam committeret, Epistolas scribebat ipsemet, permagni quippe momenti est, Summum Pontificem interrogantibus decretorio modo respondere; quod satis indicat *Decretalium* nomen Summorum Pontificum Epistolis inditum: enimvero Pastorum Ecclesiæ responsa in rebus gravioris momenti, tanquam Sanctiones, & Decreta sunt excipienda.

Neque vero opera sua in vulgus inconsulto proferebant Ecclesiæ Patres, sed accuratiori critica utebantur, suasque lucubrationes severius ipsi castigabant, & ad amussim expendebant. Testatum id faciunt Augustini, & Venerabilis Bedæ *Retractationes*, necnon Divus Hieronymus, qui plurima operum suorum loca emendare, ac delere, vel etiam mutare sententiam non erubuit, re maturius expensa, atque perspecta.

Etiamsi nimia expolitione absumendum opus non sit, minuendumque, emendari tamen debent

illius

illius errata, tollenda, quæ ſuperfluunt, quæ autem deſiderantur, addenda. Salmaſius, vir alioquin eruditione inſignis, male apud nonnullos audiit, propterea quod ſemel ſcripta expendere detrectarit, ſuaſque lucubrationes Typographis omiſſa diligenti diſquiſitione tradiderit, tanquam oracula, quæ miſeri mortales bibulis auribus excipientes ſe omnium beatiſſimos eſſe crederent. Hanc agendi rationem abhorrent Scriptores, qui vulgi judicium æſtimandum eſſe norunt. Plinius Junior prolatum palam, & publice Trajani Panegyricum quamplurimis rebus auxit, ac trium dierum ſpatio coram ſelectis amicis legit, ut coram iſtis pene dixerim judicibus purgatus tuto, & impune in vulgus prodire poſſet.

Qui Scripturis, & Patribus probe perſpectis, aliquod Opus ad utilitatem Eccleſiæ ſuſcipiunt, omni ſtudio nitantur optimam illius ſpeciem efformare, tum accurata methodo diſponere, nec niſi, quæ accommodatiſſima ſunt, ad illius compoſitionem adhibere.

Præſtantiſſimum præ oculis habeant exemplar, quod illorum mentem regat, impetus cohibeat, componat, ac moderetur. Verum hoc exemplar pro ingenii facultate deligere, illudque ſic imitari, ut nimium non exſcribas, hoc opus, hic labor. Etenim exemplaria, a quibus ſcribendi regula ſumitur, & ingeniorum lumen derivatur, neque integra in proprium uſum transferri debent, neque membratim abripi; quemadmodum ii facere conſueve-

sueverunt, qui, quum proprio marte parum omnino producere valeant, consilia tamen adgredi præter vires non dubitant.

Si cui cupido inest inclyti cujusdam Auctoris vestigia premendi, eumque vel æquandi, vel etiam superandi, caveat inprimis, ne illius methodo se scrupulosius addicat, illiusque nænias, & quisquilias, quæ contemnendæ omnino sunt, studiosius consectans, se se Lectorum ludibrio exponat: ut illi profecto contingeret, qui Augustinum imitari studens, ejus Antitheses, ac verba similiter desinentia ex industria usurparet.

Prudentis etiam est eam in argumentorum delectu rationem tenere, ut acta jam a celeberrimis Scriptoribus, perfecteque tractata non agat, nisi forte fortuna novi quidquam addendum supersit. Hinc notat apposite Cicero, Commentariis Cæsaris deterreri potius, quam excitari Auctores ad ejusmodi argumentum tractandum post talem, ac tantum Scriptorem.

Si quid vero novi inventum sit, vulgari facile poterit, omissis interim, quæ alii scripsere. Alienum quippe est a recta ratione, ob unum, vel alterum inventum complura volumina prælo subjicere, in quibus adjectæ sententiæ vix, ac ne vix quidem detegi possunt.

Ab Ecclesiæ Patribus Doctrina potissimum desumi debet. Licet enim postremis hisce temporibus nova fieri possint inventa, persæ-

pe

pe tamen error obrepit. Neque vero inventis fidenter hærendum, nisi Ecclesiæ probatio accedat, quæ sane expectanda non est, si novæ sententiæ Traditioni, & antiquis Doctoribus nequaquam consentiant.

Desumi etiam potest, immo totis viribus, scilicet assidue fusis ad Deum precibus nitendum, ut induamur Spiritu Charitatis, qui in Patrum operibus viget, ac quidquid eloquentiæ, & eruditionis desideratur, abunde supplet.

Ad stylum quod attinet, eadem ratione Patres Ecclesiæ imitari potes, qua reliquos Auctores; abs re tamen foret eum sibi imitandum proponere, cui nihil singulare inest, præter duritiam in verbis, atque inauditam loquendi rationem. Sic abstinendum prorsus a stylo Tertulliani, qui vocabulis insolitis plerunque utitur, vel vulgatas, quas adhibet voces, alio prorsus a communi hominum sensu usurpat, adeo ut illum pauci admodum percipere valeant. Præterea sunt apud Tertullianum liberiores loquendi formulæ, quas imitari quum difficile sit, & arduum, periculo non vacat.

Eandem ob causam improbandi videntur Ecclesiastici mediæ ætatis Scriptores, qui in Augustini stylo vocis sonum, ac verba similiter desinentia imitando consectati sunt. Qua in re non animadverterunt, Augustinum, quum occasio postularet, polite scripsisse, eoque solum fine in dicendo nonnunquam humilem,

abjectumque, ut Auditorum ingenio se se accommodaret, quos veritas iis verborum jocis ornata magis delectabat.

Prudentius fuit illorum consilium, qui Divi Bernardi stylum sibi imitandum proposuere: Plurimum enim habet gratiæ, & venustatis in rebus Pietatis, ac Religionis; immo vero Divus Bernardus inter Latinos Patres unus esse videtur, quem ii, qui se se supra vulgus extollere cupiunt, in Ecclesiastici sermonis exemplum sibi proponant. Nihilo tamen minus, quod huic Sanctissimo Doctori ita eximium est, ut ei a natura datum esse videatur, putida in iis crederetur affectatio, qui illum studiosius imitari vellent, quum non æque perspectas haberent Sacras Scripturas, eaque carerent ingenii dexteritate, qua tantopere pollebat Bernardus, ut Divinas Scripturas in quamlibet significationem felici successu converteret.

Quum plerique Latini Patres parum accurato stylo utantur, poterit iccirco Scriptor Ecclesiasticus profanos Auctores adire, quibus Lactantius, Hieronymus, aliique nonnulli, Linguæ magistris uti non dubitarunt.

Porro, qui eximium Auctorem in patronum sibi adsciscit, caveat sedulo, ne illius verbis pertinacius serviat, ne ab illo non adhibita usurpare detrectet. Qui tam anguste dicunt, merito improbantur, ac jure commendatur Erasmi libertas, præ Italicorum Scriptorum scrupulositate, quibus sæculo proxime supe-

ſuperiori religio fuiſſet, vel unum verbum a Cicerone non adhibitum uſurpare; cujus vitii reprehenſionem quum meruerit Bembus in ſcribenda Venetiarum Hiſtoria, quis non redarguat Theologos de rebus ad Religionem pertinentibus differentes?

Perpendat inſuper Scriptor oportet, quam perſonam gerat, quod argumentum tractet, quive demum ii ſint, ad quos ſcribit. Quæ quum non caverit olim Philoſophus Favorinus in Dialogis, falſus fuiſſe jure meritoque creditur. Caret enim illius ſtylus tum apta argumenti gravitate, tum eximia Philoſophi dignitate.

Ubi ſtylus rebus, & perſonis conveniat, nitiduſque ſit, ac perſpicuus, omnis querelis occaſio tollitur, atque Lectoris ingenio ſatis omnino fiet. Opera tua evolvens (ajebat *Roſſy* Hieronymo Alexandro, qui nitido, politoque ſtylo utebatur) doctiſſimum me eſſe ſentio; contra vero ignarum, quum illorum ſcripta lego, qui obſcuris, implicatiſque vocabulis ſe ſe irretiunt, involvuntque.

Latinum potius, quam vernaculum ſermonem adhibere in Auctorum facultate poſitum eſt. *D. Dupuy* in ea erat opinione, vernaculo ſermone ſcribendas eſſe Hiſtorias, & Geſta, quæ noſſe omnium intereſt. Hæc regula in Libris etiam Pietatis, & Morum, qui omnium manibus tractandi ſunt, locum habere poſſet.

Ff 2 De

De Theologia gravior longe difficultas, præsertim vero de Scholastica, quæ vernacule reddita, ægre admodum exponi potest; propterea quod illius vocabula omnino singularia, ac undique Philosophica, omni vi careant in vulgarem translata sermonem.

Theologiam vero Positivam plerique Patres indigeno sermone tractarunt: nec quidquam causæ est, cur hodiernis temporibus ab illorum recedamus exemplo, nisi de illis fortasse agatur, quæ ignaris, & imbecillibus sunt occulenda. In cæteris autem argumentis satis quisque muneri suo faciet, si proprium consulat studium, si illorum, ad quos scribit, ingenium exploret, suamque in scribendo facultatem, hoc potius, quam illo sermone, modo non obsoleverit. Qui enim e. g. Græce scriberet, omni pene careret Lectore. Revera ecquis hodiernis diebus Epistolas legat, quas doctissimus Budæus ad amicos postremo sæculo scripsit? Ecquis Interpretationem Psalmorum Davidis a Petavio Græcis versibus elaboratam legere adgredietur, quæ tamen ab æquissimis æstimatoribus perfectissimum, & omnibus numeris absolutum opus esse creditur?

Immo vero non desunt, qui ne unam quidem Græcam voculam, ut aliquid nervosius exprimatur, adhiberi æquo animo ferant. Istam mixtionem plerique improbant, quidam etiam nullo modo ferre possunt, præsertim vero in publicis scriptis. Inquiunt enim, Antiquos nihil extraneum lucubrationibus suis inse-

inseruisse; Latinos quidem eam facultatem sibi vindicasse, verum in Epistolis solummodo familiaribus; Græcos autem nullibi. Addunt, Plutarchum, in referendis, quæ scribit Horatius de magnificentia Luculi, cavisse religiosissime, ut e Latina in Græcam Linguam transferret, nequa in Græca suaOratione videretur esse sermonis varietas: Ciceronem etiam, quum Græcum Epicharmi versum proferre deberet, omni cura, studioque, ut ipse testatur, vitasse variarum linguarum mixtionem. „ Scis enim *Tuscul. L. 1.* „ (inquit) me Græce loqui in Latino ser„ mone non plus solere, quam in Græco La„ tine, & recte quidem „. Non est tamen, cur tam religiosa adhibeatur scrupulositas, præcipue in operibus eruditionis, & critices.

CAPUT XVII.

Quibus facultas non est, vel voluntas docendi, atque scribendi, ii Sanctorum Patrum lectione ad suimet ipsorum instructionem summo cum fructu uti possunt.

QUI ea mente scribunt, vel loquuntur, ut Opera sua, vel Sermones in vulgus proferant, bene multis virtutibus instructi esse debent, quæ non omnibus concessæ sunt; immo etiam non desunt, qui, quum

illis non careant, palam prodire vel nolunt; vel non audent, sive modestia detineantur, sive Criticorum metu; atque, ut subducant se se a quibusdam male feriatis hominibus ita animo comparatis, ut nec quæ bona sunt, probare, nec infirma, aut imperfecta excusare sciant.

Nonnulli etiam quantacunque polleant in legendis Auctoribus, & Ecclesiæ Patribus facultate, quæ tamen privatim, & secreto didicerunt, palam proferre non valent. Neque vero deserenda iccirco lectio Patrum Ecclesiæ; nihil enim est post Sacras Scripturas utilius, nihil jucundius, quam Sanctis Patribus familiariter uti, a quibus Gratia, Pietas, ac morum sanctimonia uberrime fluunt. Sanctissimæ istius exercitationis subsidio modestiam servabit modestus, & humilis humilitatem; ea quippe pro beneficiis divinitus acceptis cumulatissima nos intelligentiæ luce perfundit. Quod si quis in dubium vocare audeat, proprio probare potest experimento.

Enim vero perspicacissimi, amantissimique Ecclesiæ Patres, omnibus omnia fiunt, ut omnes Christo lucrifaciant. Parvulis lac præbent, perfectis vero solidum cibum; de sapientia, ubi se præbet occasio, loquuntur inter perfectos; ubi vero prudentia postulat, silentio premunt coram infirmis, quæ mediocrem illorum captum superant. Fertilia nacti ingenia, atque docilia, non gloriantur, sterilia vero, & infœcunda non fastidiunt. Ubique ferunt

(inquit

(inquit Augustinus) nec a saxis perniciem timent, aut spinis. Cuncta a Deo accepta, cuncta ad Deum referunt.

Eos quisque adire potest, rogare, consulere, debita tamen reverentia; eosque contemnere, vel negligere perinde est, ac evidentissima insipientiæ suæ, quæ & impietatem oleat, argumenta præbere. Filiorum quippe præcipuum munus est Patrum documenta reverenter excipere, ac veræ sapientiæ argumentum ad illorum consilia recurrere. *Interroga Patrem tuum*, inquit Scriptura, *& annunciabit tibi, majores tuos, & dicent tibi: in multitudine Presbyterorum prudentium sta, & sapientiæ illorum ex corde conjungere, ut omnem narrationem Dei possis audire, &c. Verba Sapientium audiuntur in silentio, Sapiens narrationem Virorum nominatorum conservabit.* *Deut. 32.* *Eccli. 6.* *Eccl. 9. & 39.*

Procul hinc ergo, qui Paganos Auctores Ecclesiæ Patribus anteponendos esse autumant. Equidem apud Ciceronem, Senecam, Plutarchum, aliosque nonnullos Philosophos pulcherrima, utilissimaque inveniuntur ipsismet Christianis, quorum interest veritatem exquirere, eamque probare, ubicunque tandem reperiatur, quoniam ab uno illorum Auctore, & Domino proficiscitur. Verum desideratur apud eos Scriptores res omnium præstantissima, videlicet Spiritus Fidei, & Charitatis, in quo Christianæ Religionis summa consistit. *Aug. de Doctr. Christ.*

Hæc

M. Du Bois pref. des Offices de Cic. Hæc cumulate sufficiunt ad demonstrandam illorum sententiæ falsitatem, qui Paganorum lectionem Ecclesiæ Patribus præferendam censent. Ut enim sapienter notat *D. Du Bois*, vir eruditissimus „ Nullum est in universis Gentilium operibus præceptum, quod ad rectam humanæ vitæ institutionem conducat, nisi obedientia, quam propriæ quisque debet rationis dictamini. Cæterum vero omnes actiones humanas referendas esse, uti postulat Fides Christiana, ad æternam rationem, quæ una est, certissimaque vitæ nostræ regula, & a qua rationem accepimus, ut eam consulere, eamque studiose sequi possemus, nullibi scriptum legitur.

„ Carent etiam Gentilium monumenta eo doloris sensu, quem Religio naturæ humanæ corruptionem aperiens, in nobis excitare consuevit, quod proprium uniuscujusque experimentum satis superque confirmat,

„ Neque vero illis probe explorata naturæ infirmitas, quæ talis, ae tanta est, ut quæ vere bona sunt, operari non valeamus, quæve propterea nos Deo perfecte subjicit, atque ad implorandum assiduis precibus Gratiæ auxilium impellit.

„ Nihil demum iis continetur, quod Christianæ Religionis Mysteria spectet; solius enim Christi Jesu revelatione ab hominibus edisci poterant; quæ tamen ejusmodi sunt, ut iis sublatis Philosophorum justitia corruat, atque inutilis omnino evadat ad

Æternæ

„ Æternæ Beatitatis consecutionem „. Desiderantur scilicet ea omnia, quæ Ecclesiæ Patres exponunt, atque nos docent in amplissimis suis Doctrinæ, & Pietatis monumentis, quorum lectionem hactenus usque commendavimus.

Hæc fere nobis dicenda erant de usu Patrum Ecclesiæ; quæ tamen sic intellecta volumus, ut ab ea quisque via non deflectat, qua a Deo vocatus est, ut suis erga Deum, Ecclesiam, ac semetipsum officiis accurate fungatur. Fieri quippe nequit, ut in tam salebroso, tamque longinquo itinere, studiosi, velut infantes manuducantur, eisque cuncta singillatim indicentur. Omnium autem aptissima res foret, generalia quædam principia constituere, rectæ rationi, ac sapientissimorum Magistrorum auctoritati subnixa. Immo nec istud proderit, nisi studiosi integro polleant, & acri judicio, unacum impensa laboris voluntate. „ Illud quippe certum, & indubitatum est *M. de la Rochef. Maxim.*
„ apud omnes (ut ait Vir quidam doctissimus)
„ consilia quædam dari posse, haudquaquam
„ vero judicium, perfectamque facultatem.



EPI.

EPILOGUS.

IN prima hujus Operis Parte, in qua de Auctoritate Patrum agebatur, paucis expositæ fuerunt hac de re Hæreticorum, & Ecclesiæ Theologorum sententiæ. Atque quum Auctoritatem Patrum alii nimium contrahere, alii plus æquo augere videantur, in Theologorum sententiam concessimus, qui Sanctis Patribus una cum Ecclesia Catholica, cujus est ea de re judicium ferre, omnino consentiunt.

Hisce principio positis, ostensum paucis est, errores, antilogias, fallas prolationes, suppositiones, corruptiones, atque incuriam, quæ antiquis Patribus vulgo adscribuntur, nihil omnino illorum Auctoritati detrahere, quippe unanimi omnium, vel saltem plerorumque in præcipuis Christianæ Fidei Capitibus consensioni subnixæ.

In altera hujus Operis Parte actum est de necessariis ad opera Patrum cum fructu legenda præparationibus. Eruditorum linguas ad id necessarias esse, ac præterea Criticen, Philosophiam, Eruditionem profanam, Scripturam Sacram, & Historiam demonstravimus, quæ quidem innumeras alias cognitiones involvunt.

Multiplex tertio loco legendorum Patrum Methodus proposita fuit; universa illorum Opera in quatuor Partes tribuimus, scilicet Sacrarum Scripturarum Expositionem, Dog-

mata

mata Theologiæ, Christianam Morum Doctrinam, & Disciplinam Ecclesiæ: De unaquaque parte singillatim sermonem instituimus, adjectis exemplis, quæ in tam longo, ac salebroso itinere lucem præbeant.

Tandem de usu Patrum verba fecimus in extrema Operis Parte, ubi postquam ostendimus, magna Scriptorum, quos legendos proposuimus, multitudine deterrendum quempiam non esse, methodum aperuimus, quam tenere quisque potest, ut optima studia magna cum laude perficiat.

Studiorum rationem ab Antiquis haberi solitam, unde repeti debet totis viribus exemplum paucis exposuimus. Nonnulla dicta sunt de Annotationibus, de Collectionibus, atque illarum usu, vel abusu. Demum fuse, copioseque differuimus de maximis emolumentis, quæ Ecclesiæ adferre possunt, qui in Sanctorum Patrum lectione diu, multumque se se exercuerunt, vel illorum opera novis Commentariis, Dissertationibus, Animadversionibus, Scholiisve illustrata vulgantes, vel Vocabularia colligentes, vel illorum Monumenta in alteram Linguam transferentes, sive adquisitam Doctrinam in Scholis, atque suggestis effundant, sive privatis in ædibus publicæ utilitati inserviant, sive demum in id solum incumbant, ut animum suum informent, atque cumulatius perficiant.

F I N I S.

Imprimatur. Vic. Gen. S. Officii.

V. Ab. COSTA S. F. P., & R.

Se ne permette la Stampa. MOROZZO per S. E. il Signor Marchese D'ORMEA Gran Cancelliere.

100.

100.

